

UNIVERSIDAD
DE SALAMANCA

BIBLIOTECA GENERAL HISTORICA

47-9

47-9

1a

28915



UNIVERSIDAD
DE SALAMANCA

BIBLIOTECA GENERAL HISTORICA

47-9


47-9

Cardenas
Su Libreria



~~640=4~~

61721192x



30
50
100

4a

28915

DE REBUS
HISPANICIS,
LVSITANICIS,
ARAGONICIS,
INDICIS & AETHI-
OPICIS.

Damiani à Goes, Lusitani,
Hieronymi Pauli, Barcinonensis,
Hieronymi Blanci, Cesaraugustani,
Iacobi Teuy, Lusitani,

OPERA.

Quorum seriem, vide Lector, pag. sexta.
Partim ex manuscriptis nunc primum eru-
ta, partim auctiora edita.

est libro es
ralu u m
ntes fida
Ano R



Alonso de
Ran Henlar
de Salamanca
1608

COLONIAE AGRIPPINAE,
In Officina Birckmannica, sumptibus
Arnoldi Mylij. ANNO MDCII.
Cum gratia et privilegio S. Caesar. Maiestatis.

Don Antonio de
Vidana y Sarraga



UNIVERSIDAD
DE SALAMANCA

CLARISSIMO
VIRO D.
EMANVELI XI-
MENIO
NOBILI LVSITANO S.

Historiam, quã accuratè Tullius ^{lib. 2. de} describit, proceres, magnosque ^{orat.} viros olim scriptisse, testantur Thucydides, Xenophó, Sallusti-
us, & qui solus sufficit. C. Iulius
Cesar. Post autem cū hic mos, p̄p̄modū vide-
batur euanescere, exorti sunt reges, qui ex
multis præcipuos. i. viros nobiles & eruditos
elegerūt, vt in rebus à se præclarè gestis descri-
bēdis, calamos tererēt. Neminē vero hoc dili-
gētiori vnquã studio fecisse, Hispaniarum &
Lusitanorū regib. potētissimis noui orbis do-
minatoribus, manifesto cōstat: quas. n. curas,
quos nō sumptus collocarūt, in euocādis vn-
dequa; viris doctis, quos huic muneri cū lau-
de præficerēt? neq; id immeritò. Videbāt ni-
mirū, rerū à se gestarū memoriã, tanta cū ad-
miratione ad exteros nūquã peruēturã. Ho-
rū scriptorū illi, q̄in cōcinnāda historia nō la-
borabāt, operã suã ponebāt in patriæ natura
& opib. illustrandis; inter quos diligētissimi
fuerūt, quos ad te *Clarif. D. Ximene* nūc mitto.



E P I S T O L A

Solent enim amici, quando amoris igne iam quasi sopitum excitare conantur, amicos sine munere vix vnquam salutare. Familiaritatem vero, quam cum clarissima *Ximniorum* familia, contraxit olim, dum apud ipsos in Belgio versaretur, pater meus, obsignauit Illust. & Generos. D. *Ferdinandus Ximnius*, Eques S. Stephani, Dominus Rochetorum & S. Messani, quando me ex salutari renouationis fonte ablutum, puerulum suscepit, patruus tuus. Hunc, quia fata nobis, o nimis fera! Florentiae abstulerunt, in te translatum (si licet cum Pythagora *παλιγγενεσία* μ admittere) videor admirari. Si enim virtutem tuam, humanitatemque considero, caeterasque fortunae dotes, quibus inter Lusitanos tuos in primis es celebris: singulare ingenium agnosco, insignem humanitatem suspicio, summam prudentiam, adiuncto plurimarum rerum usu, qui quasi aetatem superet, admiror. Tibi itaque literarium hoc, cum nouo anno nouum munusculum concinnaui, quod Lusitanorum scripta, nemini, nisi Lusitano dignius inscribi possunt, quia gentis istius & morum gnaro, quia virtutum heroicarum haeredi: cui natura inditum quendam virtutis amorem conspicimus, qui ut inter priuatos parietes inglorius delitescat, minimè patitur. Vnde etiam Lusitanorum praclaris toga sagoque gestis, pleni sunt omnium historiarum libri, volatque
virtu-

DEDICATORIA.

virtutum illarum decantatrix fama, per vniuersum orbem nunquam interitura. Accipe igitur *Cl. D. Ximnie*, munus hoc (crede mihi) ab ore rotundo profectum, neque illud ex pondere, sed animo metire. In amicitia enim nisi apertum pectus videas, tuumque ostendas, nihil fidum est, nihil exploratum. Vale. Colonie Vbiorum. Idid. la. c. i. o. c. ii. Ex gallina Birckmannica.

T. D.

Deditissimus,

Arnoldus Mylius Arn.
F. Birckmannus.



CATHA-



UNIVERSIDAD
DE SALAMANCA

BIBLIOTECA GENERAL HISTORICA

CATHALOGVS EORVM

Quæ hoc volumine continentur.

HISPANICA, LVSITANICA ET
ARAGONICA.

Damianià Goes *Vita.*

Hispania descriptio, eademq; à calumnijs Seb. Munsteri defensa.

Olisiponensis vrbis descriptio.

De rebus & imperio Lusitanorum, ad Paulum Iouium disceptatiuncula.

Hieronymi Pauli *De fluminibus & montibus Hispania. mss.*

Barcinonensis vrbis descriptio & Episcoporum cathalogus. mss.

Hieronymi Blanci *Regum Aragonie cathalogus, cum succincta eorum vita. mss.*

ÆTHIOPICA ET INDICA.

Damianià Goes *De religione & morib; Aethiopũ.*

Epistola aliquot Preciosi Ioannis, Damiano & Paulo Iouio interpretibus.

Deploratio Lappiana gentis.

Lappia descriptio.

Epistola Emanuel. regis Portugallie, ad Leonem X. Pon. Maximũ, de victorijs in Africa habitis.

Epistola Ioannis III. regis Portugallie & c. de rebus in Oriente feliciter gestis.

Damianià Goes *Bellum Cambaicum I. seu obsidio vrbis Dienfis.*

Bellum Cambaicum II.

Iacobi Teuij *de rebus ad Diu[m] gestis commẽtarius.*



DAMIANVS A GOES,

EQVES LVSITANVS

Io. Hogen. Fe

DAMIANI A
GOES, LVSITANI, VITA;
COLLECTA POTISSIMUM
E SCRIPTIS EIVS.



DAMIANVS A GOES
in oppido Alāquer, quod, vt sentit Re
sendius, prisca secula Gerabrigam
appellabant, nobili apud suos genere
natus, Lusitanus fuit, quales in
Hispania Hidalgos hodie nomi
nant, siue Italici iuris, vt quidam volunt, siue quod
patrem vt bene nati, tere possint: quomodo olim &
Patricij Romæ dicti: Lusitanus, inquā, non Belga fu
it. Fallit itaq; nos Cornelius Callidus Batauus, qui in
Belgicorum scriptorum censum nuper hunc retulit:
deceptus, credo, nominis ambiguitate in scriptura qui
dem, pronuntiatione enim satis distinguuntur. Ze
landum fuisse putat ex Goesa Zelandorum insula
frumenti satis ferace. Accidit nimirum Damiano
quod Homero ob præstantiam ingenij olim: cuius de
patria certabant.

Smyrna, Rhodos, Colophon, Salamis,
Chios, Argos, Athenæ, vt & Christophorum Lon
gelium, Eloquētia nomine (quæ tum existere primū,
atque è tenebris emergere cœperat,) Parisienses su
um esse dicebant, Romani sibi vendicabant, Bataui
verorepetunt. Puer igitur DAMIANVS, optimæ
indolis fuit, Emanueli Lusitania regi à cubiculis, et a
teq; prouectior in frugem optimam euasit. Fratrem
habuit.

DAMIANI A GOES

habuit, Fructum à Goes nomine, eiusdem regis cubi
bicularium, hominem probum & amicis vtilem. Ille
lustrandi orbis iam inde à puero cupiditate flagra
bat, ne obscurus domi atq; inglorius, (quod in patria
fere quisque neglectus iaceat,) cōsenesceret. Per Ger
maniam itaque & Belgicam Galliam, Lusitanorum
Regum negotia gerens, per annos amplius quatuor de
cim, terra mariq; iactatus, honorificas obiuit legatio
nes, ad ipsum etiam Sarmatia Regem, quæ Polonia
hodie dicta est. senex tandem fama clarus, litteruq;
diues, & prudentia instructus reuertit. Primum igitur
in Belgium nauigio delatus, iactis iam vel in gran
diore etate fundamentis, Italia visenda, vt scientia
rum parentis, percupidus, eruditorum hominum com
mendatione Patavium se contulit, anno eius seculi
CIO. IO. XXXIIII. Hic in Petri Bembi hominis
ea etate disertissimi, & Patricij Veneti, qui post à
Paullo III. virtutis ergo an. 1539 in Purpuratorum
Patrum collegium est allectus, amicitiam se insinua
uit. Hic hominis elegantia morumq; suauitate, vehe
menter delectatus, sponte, quod aiunt, currentem in
citauit. studijsq; calcas addidit. Quatuor ipsos an
nos Patavij commoratus, vsus quoque doctore est La
zaro Bonamico Professorum disertissimo. Aestate ve
ro dum Vindemialibus feriæ cessationesque dari so
lent, vltro citroq; peregrinari gruum more consue
uit: siue quod ingenio esset Mercuriali, & profectio
ni adueisset, siue quod capitis vertigine assidue con
flictaretur, cui malo vectationem prasens adferre re
medium medicorum filij affirmarent. Vsus & ami
citiis

V I T A

citia est crebris litteris Iac. Sadoleti, & Christoph. Madruccij Cardinalium, quorum hic Tridenti, Carpenteracti ille, prasulem agebat. Anno verò eius seculi **X X X V I I I**. Louanium postliminio redijt, & Conradum Goclenium, qui que illi succenturiatus fuit, Petrum Nannium Latina doctores lingua, vt disertos homines, & eruditos in primis coluit. Musica autem à pueritia deditus, vsque ed Lusitanica gentis ritu, excelluit, vt ea cõponeret, quæ in templis alijs modularentur. Sic & Athenienses Musicam litteris, ac gymnastica, natationique coniunxisse accepimus: pro quibus, è palliata Comædia, in Togatam retulit Terentius Venationem & Philosophiam, ad quã libero digna homine artes & Musica referantur.

Quod plerique omnes faciunt adolefcen-
tuli,

Vt animum ad aliquod studiũ adiungant,
aut equos

Alere, aut canes ad venandum, aut ad Phi-
losophos.

Musica autem Damiani, popularis eius Andreas
Resendius, poeta eius aui non ignobilis, celebravit hoc
epigrammate.

Elige vtro maus horum te nomine di-
ci;

An Phœbi an Orphei; dulcis vterq; mo-
dis.

Aut (si non spernis genus,) à quo Musica
primum

In-

DAMIANI A GOES

Inuenta est, nobis sis, Damiane, Tubal.

Huic altera, ex parte respondere Poeticam non i-
gnorans, quod hæc rythmis, illa sonis, vtraque nu-
meris constet; & licet grandis iam natu esset,
discere non erubuit, Latinaque sese Eloquentia
addixit, M. Catonis exemplo; qui iam septuage-
narius Græcas litteras (quas cum gente ipsa cane-
peius & angue ad eam diem oderat) tam auidè arri-
puit, quasi diuturnam sitim explere vellet. Sed quo
vsus Damianus magistro? poeta ipse dixerit:

Quis docuit? suus ille Grapheus, quis duxit
in alti

Pimplæi montis culmina sacra? Gra-
pheus.

Quis pinxit? suus ille Grapheus, Corneli-
us idem,

Nouit qui & versu, & pingere penicu-
lo.

Cornelius autem hic à Secretis fuit Reip. Antuer-
piensis, vt & Ioachimus Polites, Goesa Zelandia ori-
undus, poeta egregius, & ab Actis Reip. (Graphia-
rios ibi nominant) qui & carmine Damianum præ-
dicauit. Hic animum tandem ad matrimonium
appulit, duxitque Haga Comitum, (quod oppidum
Batauorum curia est) nobilem virginem Ioannã ab Har-
gen, liberaliter educatam, elegantiforma, dignamq;
quæ vni illi nuptui daretur, præterea nemini. Quem-
admodum in Epithalamio, quod post vitã subiecit, Alardus
Amstelredamus cecinit.

Sustulit ex ea filium, cui Emanueli nomen à Rege
illo



illo Portugallia inuicto: de quo nomine & omine in pueri recens nati Genethliacum lusit, Petrus Nannius.

Ab aula ac palatina seruitute, animum pridem abduxerat, ut studijs se daret commedius, posteritatiq; subseruiret, memor illius Marci Varronis sententia, qua legendos scribendoq; procudi vitam iubet, hortante eodem & stimulos addente versibus, Andrea Resendio Eborensi, vate insigni, & aulice iam vita peraso: ut veteris illud poeta, identidem vterq; memoria repeteret.

—exeat aula. Qui vult esse pius.

Igitur domicilium Louanij post tot tantasq; peregrinationes, veluti in sede Musarum, collocarat; cum ecce tanquam Dauus, Comœdiam turbans, interuenit bellum, quieti eius inuidens. Etenim anno CIO. IO. XLII. obsessa vrbs Louaniensis à Martino Rossemio, Duce non impigro, qui Geldrorum copias, Regis Gallorum auspicijs in Brabantinũ agrum, Caroli Caesaris vexandi causa, ductabat: & propius factum nihil, quam ut urbem occuparet, nisi Scholasticorum vis obstitisset, instruente copias animosq; addente Damiano; qui cum senatus populiq; nomine durantibus inducijs ad hostes exiisset, & ab ipsis in vincula cõiectus esset, violatas inducias causantibus, cum socio suo Meiero duobus aureorum liliorum millib. redemptus est; ut terga tandem hostis verterit & in fugam se dederit. Cuius etiam virtutis nomine, gratias publice studiosis Nannius Rhetor egit, ea oratione que in manib. est: descripsitq; eam ipsam obsidionem Damianus,

miannus, Olysi pone. Ut & Gelrogallicam illam conuersionem, obsidionemq; Antuerpiensem Io. Seruilius, verius sane copiosiusq; narrans, quam in sui temporis Annalibus, Paulus Louius. Ceterum de varijs Damiani opusculis, que senior Louanij edidit, approbante Academia vniuersa, hac fere leguntur. Dientis in India oppugnatio, qua Lusitanorum ea virtus enituit, ut profligatis Turcarũ copijs, victoria sint potiti. Lappiæ descriptio ac deploratio, Laudatio item HISPANIAE, quam Nannio, ut victoriam illam, Bembo inscripsit, qui tum, Venetam meditabatur Historiam. Sebastiani autem Munsteri calumnias refellit, qui Hispanos famelicos, de alieno semper saturos & peregrinos homines, duros, feroces, immanes, imperitos, ingenio infelices, inolegates, in sua Cosmographia venenis referta vocasset. ÆTHIOPICA quoque LEGATIO magnam legenti voluptatem adfert: ut & Olysi ponensis vrbs descriptio. Igitur hisce ingenij monumentis, & morũ suauitate, facilitate, & erga doctos liberalitate non modo apud suos clarus exstitit, sed & exteris hominibus carus, acceptusq; vsq; eò fuit, ut vel inuisum, absentemq; vnicè diligerent. Nam & in Germania, (de Italia enim & Belgio iam commemorauimus,) obseruabatur ab eruditis hominibus: Hærico Glareano, Bonifacio Amerbachio, & Sigismundo Gelenio, quorũ hic suas in C. Plinij Naturalem historiam Obseruationes, doctas, iupiter, & laboriosas, Damiano libens dedicauit; Glareanus libris de Musica honorificè predicauit. Senex in patriam honoris gra-



V I T A

gratia à Rege accitus, vt patriã scribere historiam re-
gia auctoritate pergeret, calumnijs amulorum cir-
cumuentus, (Virtutis enim comes inuidia est) in vin-
culis causam dicere coactus est. Tandem in libera cu-
stodia domus atq; vrbis versans, domi sua mortuus re-
pertus est, siue apoplectico correptus morbo, siue à fu-
racibus suffocatus famulis, incertum. Illud certũ, me-
liori dignum exitu fuisse. Viuent tamen perpetud in-
genij monumẽta. Imagini eius à Philippo Galleo Ant-
uerpia in as incisa Benedictus Arias Montanus, elo-
gium hoc adscripsit:

Gentis Thucydides enarrat gesta Pelaf-
gæ,

Romana claret Liuius historia:

Hic, alia vt taceam serã data scripta sene-
cta,

Æthiopum accepit nomen ab histo-
ria.

CAR.

CARMINA HAEC AD DA-
mianũ à Goes Equitem Lusitanum,
quia ipsorum in vita eius fit men-
tio, hic subiicimus.

Epithalamion

DAMIANI A GOES EQVI-
tis Lusitani, &
IOANNAE AB HARGEN HA-
gensis, per Alardum Amstel-
redamum.

Nec melius teneris iunguntur vitibus vlni,

Nec plus Lotos aquas, littora Myrtus amat:

Quam Gosis lepida est sociata Ioanna marito,

Quam generosa suum deperit Hargæ virum.

Tam bene rara suo miscentur cinnamomum nardo:

Addita quam vero est Penelope historico.

Quam platani riuo gaudet, quam populus vnda,

Et quam limosa canna palustris humo:

Tam formosa suum complectitur Hargæ maritum,

Tam coniunx Hargam suscipit ipse suam.

Qualiter æquæuo sociatam palmite vitem

Vlmi amat; iunctum sic colit Hargæ virum.

Qualis vbi Oceani renouatus Lucifer vnda

Laudatur Veneri: sic Equiti Hargæ placet.

Exijt in cælum ramis fœlicibus arbor,

Lusitanus ab hac est generatus Eques.

Vt Phebe stellas, vt fratris lumina Pheben

Vincunt, sic vincit dotibus Hargæ suis.

Fœmi-



*Fœmina digna illis quos aurea condidit aetas
Principibus natis, principe digna viro,
Digna quidem facies pro qua vel obiret Achilles,
Vel Priamo belli caussa probanda foret,
Floridior prato, longa procerior alno,
Splendidior vitro, candidiorq; niue,
Candidulum lucet sic per bombicina corpus,
Calculus in liquidis vt numeratur aquis,
Nobilis vt species spectando viraginis vrget,
Ipse alimenta sibi maxima prebet amor,
Carpit item vires, vritq; subinde videndo
Fœmina, clamq; faces addit & igniculos.
Rure leuis verno flores apis ingerit alueo,
Sic Hargæ placidus leniter afflat amor.
Vt Venus ante alios astrorum dirigit ignes
Luciferum, lucem sic amat Harga suam,
Arctius ac hederæ proceræ astringitur ilex,
Vnam: itidem in carnem corpora suntq; duo.
Qualiter artificis iuncturæ pollice ceræ
Accipiunt formas igne manuq; datas,
Non aliter Goli docilis quoq; coniugis Harga
Sedula se placido commodat ingenio,
Vt floret semper laurus, nec fronde caduca
Carpitur, æternum sic habet Harga decus.
Et prius incipient turre vitare columba,
Antra fera, pecudes gramina, mergus aquas:
Hargam ab amore suo quam duxerit vlla senectus,
Seu vir Nestor erit, Titoniusue senex.
Nil adeo validum est (adamus licet alliget illud)
Vt maneat casti firmitus igne thori.*

Nil

*Nil ita securum blandoq; recognitum amore,
Non sit vt inferius, suppositumq; thoro.*

Genethliacum
**IN CL. V. DAMIA-
NI A GOES EQVITIS
LVSITANI FILIVM EMA-
NVELEM.**

PETRI NANNII.

T Andem lata dies Erythrao digna lapillo
Aduenit, & patrem te Damiane facit
Ominis haud vani est tanta hac clementia cœli,
Quæq; sua ex hyeme nubila nulla tenet.
Indulsit natura tibi, brumæq; nouavit
Tempora, vernali dulcia temperie.
Quoq; magis posses cognoscere munera diuæ,
Quamq; haud fortuitis casibus istud agat:
Antea ab imbriferis maduerunt omnia nimbis,
Nulla vel à pluuijs hora serena fuit.
Vt metus adfuerit, ne naufraga terra vetustas
Deucalioneas perpeteretur aquas.
Sed postquam in lucem processit pusio dulcis,
Omnia mutat à clara fuere vice.
Nil Iouis in vulture sidet moestumq; minaxq;
Nec frontem placidam saua procella tegit,
Vt matrem foueat, simul vt puerum ipse salutet,
Maiale arridens fundit ab axe iubar,
Nil mirum, dedit Alcioni, cum parturit oua,
Incubitus fœdis imbribus vt careat.

**

Haud



Haud equum fuerat tibi, si Damiane negaret
 Quod capit ex ipso parua quotannis aus.
 Sed puero blandus nitidissima lumina spargit,
 Auspicium ut faciat firmiter inde bonum.
 Imbre madet coelum, quoties miser editur infans,
 Gaudia praesagit lux sine nube micans.
 Adiuuat augurium tam sanctum nomen, ut inde,
 Ad qua sit genitus fata puer, videas.
 Nobiscum Deus est Hebraea voce notatur
 Accepit nomen quod tuus Emanuel.
 Parca quod adneuit, cognata vocabula monstrant,
 Sic distractus equis rumpitur Hyppolitus.
 Sic Agamemnon habet diuturni praelia Martis,
 Atque moras belli nomine significat.
 Exitium sonat ipse suum de nomine, primus
 Qui cecidit Phrygia Protefilaus humo.
 Sic Eua viuentum genitrix, sic Moses ab vndis
 Liber ab euentu nomina digna gerit.
 Sic erit Emanuel diuis comitatus vbiq;
 Atque satisfacet nominis officio.
 Cresce puer, patremque refer, sint numina tecum
 Praesidioque Dei quicquid ages, facias,
 Regibus atque Deis commune hoc nomen habetur
 Quod natalitibus accipis auguriis.
 Sit mens caelestis sit semper numine plena,
 Regius in magno pectore sitque animus.
 Te Lusitanum, Batauum, simulatque Brabantum
 Noris, & has terras esse tuam patriam.

L. Andr.

L. ANDR. RESEN-
 DII AD DAMIANVM A-
 GOES EQVITEM LVSITA-
 NVM DE VITA AV-
 lica Deferenda.

EXemplo Damiane malo, qui primus in aulam
 Duxit Apollineos vates, fecisse videtur.
 At tamen exemplo multo peiore poeta
 Iudicio fecere meo, qui regibus illa
 Oua Musarum spe prodegeret lucelli,
 Siue illi adducti, siue intrupere coacti
 Pauperie. Quorum vita tamen error agenda,
 Hoc tolerabilior, quo fors an iniquior ipsa
 Sauit in quemque aduerso Rhamnusia vultu.
 Ecquid enim miseris suadere domestica pestis
 Paupertas non possit? ei nec Apollo negaret
 Consultus veniam, veteris nec vallibus Ascre.
 Nec bonus Aonidum sacro interdiceret amni.
 Ast ego, cui, quamquam non diues, & in tenui re
 Sum modò, & ante fui, usque aded malè non fuit vn.
 Ut saltem vitrei cyathi, purumque salillum, (quam
 Candida mappa, tripes decisset mihi mēsula & hor ti
 Copia lata mei, quoniam Damiane piabo
 Thure, quod exosa viuam patienter in aula?
 Quum tamen his illis quae non fortuna negauit,
 Suauiter, & curis vacuus, bene viuere possim.
 Possim equidem Damiane, tamen me seua meorum
 Sollicitudo premit, quibus ut paulò & decus, & res,
 Fors magis auget, conieci memet in aulam.
 Ni faciam id, clament omnes me protinus hostem,

** 2

Et de-



Et desertorem consanguinitatis. at illi
Ipsi qui sese desertos esse querantur,
Si mihi lar friget, loculis & squalida meret
Nonnunquam exhaustis raro nidore culina,
Non magis aduertant: ea siue incommoda praestent,
Quam si aleret ventis, matutinae pruina,
Rore uel deciduo. noui, experiorq; subinde.
Et tamen hac animum induxi perferre, pati q;
Nescio quam prudens, certe pius, & pius ultra
Quam teneor. nam nec superest sanctissima mater,
Nec genitor, raptus quum vix dum bimulus essem,
Ipse autem caelebs, & Musis aptior orbis,
Non male vixissem peregre, quando otia doctis
Docta viris nunquam dat Lusitania nostra.
I, miser, & libros sepeli, contemne Thaleiam,
Aula frequentanda est, veniat te nullus in illam
Mane prius, nullus redeat te serius inde,
Fac regem videas, nec tu nisi visus abito.
Interea expectans, dum non admitteris intro.
Illic contracta malas oscedine rumpe
Marcidus, aut vngues cultello rade. nec illis
Qui prope te sedeant, risu si forsitan atro
Quem videre volent, contrarius esto, sed auge
Nonnihil, ijs ipsis post id fabella futurus.
Hoc tibi sit studium, vita hac adolesce, seneq;
Dixerit heic aliquis, bene habet, patet ergo poetis,
Et doctis patet aula viris. patet Hercule. sed quid
Prodest? maiestas non vsus queritur illis.
Et si Maiestas, non vsus, scire velim, qua
Emolumenta miser possit sperare poeta,

Prater

Prater nescio quem fors an splendoris honorem.
Esse puta notum, & proceres numerari inter,
Vt summum. sed si census tibi desit auitus,
Fortiter esurias, esto tamen aulicus, atque
Spe blandire tibi, serui spe, spem tere longam.
Lusit at egregios lepidè spes ista poetas.
Postquam nummiuori legum iurisq; tyranni
In regnum & reges regnum obtinuere, poesis
Pessum ijt, eloquijsq; deus. sophiaq; forenses
Vulturij pressere iugo. res digna perenni
Contigit historia nuper. non ambigis ipse
Regibus vt faueat cunctis magis omnibus vnus
Diuus Ioannes, si pramia ponere doctis
Obscena haec sinerent harpyia, harereq; vates
Parte in nonnulla humane paterentur, haberent
Vt vel postremas prima queis iure darentur.
Ille suo ingenio in sapiam propensus honestam.
Quicquid Aristoteles argutus, quicquid amoenus
Dixerat ante Plato, mirè cognoscere auebat,
Vt melius quonam pacto foret ipsa gerenda
Publica res, sciret, consultis vt pote libris,
Fallere quod nequeant, quod non affectibus vllis
Subcumbant, quod nil sperent, metuant uel, nec aequi
Calliditate mala faciant videatur iniquum.
Ergo adsumptus erat, qualem decet esse magistrum
Discipuli, quibus diues timet Indianutum,
Atq; dies aderat ceptis ingentibus ante
Dictus, & hora, sua metuens quum prouida parti,
Factio qua leges, vili qua nundinat aere
Iura sacra inrumpunt, ecqua portenta rogabant

** 3

illa



Illā forent? ec quis terrā pelagiq̄, potentem
Discipulum faceret? quæ carnificina sophorum
Tanta erat, vt reges etiā cruciare tremēdos
Auderet, sine fruge? quasi tum deniq̄, reges
Vllum operā facerent pretium si nomen Achææ
Dent sophia, aut chartis se tristibus vsq̄, fatigent.
Aut quasi Nicomachi proles sive, nemus ūe Licai
Quicquam conferrent. Academi aut villula, præter
Argumentosas nebulas, comitemq̄, tumorem,
Esse satis regi, iuris legumq̄, peritis
Fidere, regnorumq̄, illis committere curam.
Quod si tantus amor studiorum, tanta libido.
Iura legat potius, sapiens quid Bartolus aiat,
Quid ūe sagax Baldus, vehemensq̄, Accursius horum
Quod responsa trium Phœbei sortibus antri
Certa magis soleat rabularum credere vulgus,
Deniq̄, vicerunt, quamuis non quatenus ipsi
Optabant, vicere tamen, secumq̄, triumphant
Eualuisse ducis firmatam auertere mentem.
Hæc vbi barbaries, vbi monstra, vbi talia morum
Sunt portenta, quibus tantum licet, & licet vltra,
Viuerē me ne iuuet? viuat hic Chælius, vni
Cui vatū placet aula, decus, nomenq̄, pœtæ
Quod cupit: amotis habeat riualibus vnus.
Nos aula nostrum hunc certè præponimus Ossam,
Ossam dena mea distantem millia ab vrbe,
Mentitum aspectu faciem Sulmonis aquosi.
Etsi seruitio me exire liceret honestè,
Huc ego quando aliud iam non datur, huc ego saltè
Confugerom, & suaueis peterē mihi monte latebras,
Nunc

Nunc cerasorum inter lucos, vmbrosa q̄, tempe.
Nunc riguis inter latus conuallibus hortos
Citri-feros errans, in carmina sæpe Bimatrem
Sæpeq̄, Latoiden in carmina compellarem.
At modò, vix toto versum componimus anno.
Et nisi me redimo, video Damiane futurum
Omnino vt pereat, quamquam non aurea, Luci
Vena tui, certè nec plumbea, me nisi fortè
Plus amo quam credo. & sanè si denique tandem
Dij facerent, vt me absq̄, nota leuitatis iniquis
Eripere his possem fatis, & liber abire,
Non sine me socio tu nunc Antenoris urbem
Incoleres. tecum Liui memorabile bustum
Visere, tecum etiā Patavi latissima vura
Aut manno celeri, aut cisio per agrare volanti
Dulcè foret. nunc aduerso me flumine vectum
Vicini Eridani, vatū figment a notare
Iucunda, Heliades quæ diruisse ferantur
In ripa mœsta, quanam Stheneleius heros
Casum infelicis pueri dum staret, olorem
Versus in argutum, niueas adsumpserit alas.
Nunc prono Hadriacas Brenta descendere in vndas,
Litoreq̄, Euganeo peruestigare Timau
Ostia num maneant, exstent num montibus illis
Fluminis ora nouem dio celebrata Maroni,
An magnum vsq̄, adeò tellus absorpserit annum,
Vt ne parua quidem superent vestigia, quantas
Voluerit vndarum vasto cum murmure moles.
Hanc Damiane puta veram me credere vitam,
Vatibus hanc dignam mentis melioris, eaq̄,

** 4

Posse



Posse via fama decus immortale parari,
 Non inter fumos ventosa nobilitatis,
 Atq; palatinos scurras, vrgere senectam
 Morosam ante diem, inuitosq; adcersere canos,
 Languiduloq; pati ingenium sordere veterno.
 Hac tibi de multis, summatim pessima vita
 Fatamæ exposui, quæ me non scribere solum,
 Verum etiam memorare piget. quæ caucior ipse
 Non secus euasti, atque olim Symplegada fertur
 Euasisse vagam ductor Magnesiados Argus,
 Quum Phasin peteret. Quare non nescius horum,
 Desine me infestis posthac agitare querelis,
 Si mea, quod nolles, tibi carmina rara feruntur,
 Et bonus asuescas tandem ignoscentior esse.
 Eboræ ad vi. Calend. Nouemb. 1535.




DAMIANI A
 GOES EQVITIS
 LVSITANI

HISPANIA

DAMIANVS A
 GOES EQVES LVSI-
 TANVS.

PETRO NANNIO LATINO
 apud Louaniens. Professori dignif-
 simo, amicoq; non vul-
 gari, S D.


 VM sepe numero rerum Hispanicarum
 mentio inter nos amantissime Nanni
 incidisset, multis argumentis cognoui
 te nondum iisdem satiatum, ampliorẽ
 earum notitiam è scriptis nostris expe-
 ctare. Quamobrem optatis tuis parentes, hac tali le-
 ge tibi cedere voluimus, vt si arriserint, legas, amicisq;
 tuis huiusmodi rerum notitiam cupientibus
 communices, sin minus, Vul-
 cano tradas.

Vale.

A

CLA.



VNIVERSIDAD
 D SALAMANCA

2
**CLARISSIMO
EQVITI ERV-
DITONE ET HVMANI-**

tate insigni D. Damiano à Goes,

Petrus Nannius

S. P. D.

Libellum tuum amplissime Damiane, eo animo accepi, vt si mihi ingens thesaurus oblatus fuisset, nec alacrior, nec hilarior esse potuissem. Sunt mihi à te alia præclara munera, sed nequaquam pari ratione æstimanda, cum illa tantummodo precij magnitudine, dignitatem habeant, iste de ingenij tui præstantia venerationem mereatur. Admirabilis ibi ordo, singulaque res in suas classes distributæ sunt, quam rationem scribendi maximè videtur Suetonius adamasse. Habent in tuo libro singula suam peculiarem stationem, hic Regnorum vires, illic Episcoporum & Satraparum opes describuntur. Habent suum catalogum Sancti Hispani, habent viri eruditi, Duces quoque bello clari in sua à te legitima acie constituti sunt. Habent merces sua fora, quas Hispania vel accipit, vel donat. Denique Antipodum munera, quæ duplici ratione Hispanorum sunt, vel quod ipsi hunc orbem inuenierunt, vel quod soli inde omnia deportat, in suas apothecas à te digeruntur. Quid multa? nihil omit- tis quod ad laudem Hispaniæ pertinet. Quamobrè quæ olim de Hispania legebã, potius admiratione quam

5
quàm fide prosequerbar, nunc tua authoritate effi- cis, vt me non amplius admirantè solù, sed & cre- dentem habeant. Non mihi iam figmentù videtur auro Tagum turbidù fluere. equas ex fauonio sub- uentaneù foetù cõcipere, meritoq; mihi fecisse vi- detur Vespasianus, quod vniuersæ Hispaniæ ius La- tij donarit, rectùq; setiã iudiciù Plinij existimo, qui Hispaniã censuit proximã esse Italiæ laudibus. E- numerantur enim à te innumerabiles opum fru- gumq; thesauri, vt Plutus, & Ceres non alibi quã in Hispania, aut certè peculiariter sedes habere videantur. Obstrepit hic quædam verba nouitia, sed fastidioso lectori, æquo enim æstimatori non venia, sed laude dignus habebis, quod res nouas vetustate incognitas nouis vocabulis, vt intelli- gi possint, explicueris. In apologia acrior es, sed sti- muli de amore patriæ profectis. amabit tuum pe- ctus quisquis pietatem & amat, patriæ studium in- ter virtutes adnumerat. Librum igitur tantæ utilitatis, quem tu aut Vulcano tradi, aut amicis tantummodo communicari iubebas, prælo subie- ci. Nefas enim putavi id intra paucorum manus cõtineri, quod tãto vsui publicè esse posset. Quod si singularum prouinciarum eodem modo vi- res & opes descriptæ essent, magnum profecto instrumentum haberent docti ad historias con- dendas, quum nerui bellorum pecuniæ sint, ea- rumque inopia vel copia multiplices causas & cladium & victoriarum adferat. Fieri non po- test vt quis rectè in historia versetur, nisi vtri- usque partis opes & copias cognitas habeat, & lectori exponat. qua in re vtinam aliquod Latini scriptores diligentiores essent, eaque in parte

A 2

Thu-



UNIVERSIDAD
DE SALAMANCA

BIBLIOTECA GENERAL HISTORICA

Thucydidem imitarentur . Tantum igitur mihi in rebus tuis te inconsulto permisi, nec offensam timui ex hac mea audacia, qui quiduis in Nannio tuo & ferre & probare soles. Nec ut iniquior sis, ius habes exoptulandi, si quod meum esse voluisti, utar pro meo arbitrio. Bene vale ampliff. & eruditiff. Damiane. Louanij.

HISPANIAE, CVIVS NOMINA, VARIIVARIIS nominibus amplectuntur, hæc sequens est amplitudo, potentia vbertasque.

DE eius situ, latitudine, longitudine, atque poli eleuatione, cum id satis inter cosmographos constet, nihil hic dicturi sumus, ea autem quæ rariora sunt, explicabimus.

Nec etiam id tacituri, quod antiqui scriptores testatum olim reliquerunt, eam adhuc auri, argenti, cupri, stanni, plumbi, ferri, omniumque metallorum fodinis abundare, nec non argenti viui, salis quoque vberimam esse.

De frugibus non est quod multum discepte-

HISPANIA.

ptetur, cum omnino ferax vini, olei, mellis, lactis, frumenti, fructuumque omnium sit.

Abundat etiam ouibus, bobus, equis generosissimis, piscibusque diuersorum generum. Ferarum quoque & auium miracopia.

Sunt quoque in ea diuersis in locis calidi & frigidi fontes, ad diuersos morbos efficaciam mirabilem habentes.

DIVIDITVR HISPANIA IN duodecim Regna, nempe,

Castellæ antiquæ & Valentia.	
nouæ,	Toleti.
Leonis.	Gallitiæ.
Aragonia.	Algarbiorum.
Portugallia.	Murtia.
Nauarra.	Cordubæ.
Granatæ.	

Quorum regnorum vectigalia ut procomperto habetur, magna sunt, nec enim sigillatim quid ex vnoquoque regno Regibus Hispaniæ accrescat, auderem dicere, cum dubitè id ne eis gratū futurū sit, an nō. Sed hoc scito, Reges istius Hispaniæ, quæ à nonnullis imperitis hominibus satis temerè sterilis nuncupatur, annuè vltra quinquagies centena millia ducatorum aureorum, præter exactiones, inde excipere.

A ;

DE



DE regnis diximus, modò ad clerum veniamus, In cuius reddituum computu Lucium Marinæum Siculum sequemur, qui felicius id quam Principum Hispaniæ prouētus explicuit.

Archiepiscopus Toletanus, Castellæ Cancellarius habet annuè plus minus 150000 aureorum ducatorum, habet etiam in suos familiares conferēdos circiter 100000
 Archiepiscopus Hispalensis 24000
 Archiepiscopus S Iacobi 20000
 Archiepiscopus Granatensis 10000

E P I S C O P I.

Episcopus Burgenfis	20000
Episcopus Siguntensis	20000
Episcopus Cunquefis	16000
Episcopus Placentinus	15000
Episcopus Palentinus, Comes Perniensis	13000
Episcopus Ianenfis	10000
Episcopus Segouienfis	14000
Episcopus Auillensis	8000
Episcopus Camorenfis	12000
Episcopus Cordubensis	10000
Episcopus Osinentis	10000
Episcopus Leonensis	8000
Episcopus Calahorenfis.	12000
Episcopus Salmanticensis	10000
Episcopus Badaiocensis	6000
Episco-	

Episcopus Ouidensis	6000
Episcopus Cartagenensis	5000
Episcopus Asturgenfis	4000
Episcopus Coriensis	8000
Episcopus ciuitatis Rodrigenfis	4000
Episcopus Malagenfis.	10000
Episcopus Calixensis	8500
Episcopus Guaditanus	2000
Episcopus Almeriensis	1500
Episcopus Mondonenfis	1500
Episcopus Tuiensis	2000
Episcopus Lugensis	1500
Episcopus Orensenfis	3000
Episcopus Canariensis	8000
Archiepiscopus Caragucensis	20000
Archiepiscopus Valentinus	13000
Archiepiscopus Tarragonensis	8000
Episcopus Tاراconensis	5000
Episcopus Huescensis	3000
Episcopus Segorbienfis atq; Albarrazinenfis.	3000
Episcopus Barcinonenfis	5000
Episcopus Leridenfis	5000
Episcopus Tortosenfis	8000
Episcopus Gironensis	4000
Episcopus Vrgellenfis	7000
Episcopus Vicquensis	2500
Episcopus Euniensis	1500
Episcopus Pampelonensis	6000
	Sunt



8 DAMIANI A GOES

Sunt & alij permulti Episcopi nouarum prouinciarum, Indiarumque Occidentaliū, nuper inuentarum, ex collatione siue iure patronatus quoque Regis Castellæ, quos hic non exprimo.

REGNORVM PORTV- galliæ & Algarbio- rum.

Archiepiscopus Bracharensis, qui propter antiquitatem cum Toletano Archiepiscopo, ad hunc diem vsq; de primatu (vt vocāt) totius Hispaniæ disceptat, habet 24000.

Archiepiscopus Vlyssipponensis. 16000.

Archiepiscopus Funchalensis 8000.

Episcopus Eborensis 20000.

Episcopus Viseensis 8000.

Episcopus Guardensis 5000.

Episcopus Colimbriensis 12000.

Episcopus Portensis 4000.

Episcopus Lamecensis 6000.

Episcopus Syluensis 4000.

Episcopus Cæptensis 2000.

Præter hos sunt adhuc alij Episcopi Indiarum Orientalium, Africæ & Aethiopiæ, & multarum insularum ex collatione Regis Portugalliæ, quos hic prætereo.

Volui autem hic omnes Episcopales ciuitates Hispaniæ mihi saltē cognitæ, cum putem
ad-

HISPANIA.

9

adhuc plures esse, proprijs huius temporis nominibus ob maiorem cognitionem recensere.

Sciendum quoque oīs Hispaniæ cleri proūctus (Abbates excipio) Dulpo maiores quā Episcoporum esse. Idq; præter aliquot decimas & primitias, quæ in multis locis Regib. atq; magnatibus, ex Pontificum indultis colliguntur. Ex quibus quidem redditibus iure omnes simul tenentur vnicuiq; ecclesiæ suū animarum curatum, vt aiunt, siue pastorem alere, qui ex pacto & cōsuetudine, omnia ecclesiæ sacramenta populo gratis, siue in templo, siue extra templum, siue in priuatis domibus administrat. Quod vtinam in cæteris prouincijs fieret, vbi ita pastoratus venduntur, vt pastores pro vitæ alimento, ac pensione soluenda, sacramentorum administrationem sæpe inuiti cogantur nundinari.

Est præterea innumera Abbatiarū & monasteriorum copia, quarum proventus non solum cleri redditus æquant, sed etiā superāt, inter quas sunt nonnullæ habentes decē duo decim, quindecim millia ducatorum annue, permultæ inter quatuor, & decem millia fluctuant, innumeræ rursus ab hac summa declinant. Ita tamē vt sine aliqua cōtrouersia ij qui se cultui diuino dedere, habeāt in Hispania singulis annis, vltra quadragies centena millia ducatorum, præter id, quod Commē-

A 5

datarij,



10 DAMIANI A GOES
datarij, & eorū magistri possident, quæ sum-
ma etiam ingens est. Ex quo facile apparet,
quam religiosi semper fuerint Hispani, &
quam dediti cultui diuino, cum tam liberali-
ter suas eleemosynas Christi ecclesijs impar-
titi sint.

Habet vltterius Regnum Castellæ quatuor
Magistros equitum (seu vt vocant) ordi-
num, qui magnos admodum habent redditus.

Quorum primus S. Iacobi est.

Secundus Calatrauæ.

Tertius Alcantaræ.

Hæc tria officia dignitatum, temporibus
Ferdinādi & Elizabet catholicorum Regum
Castellæ, cum consensu Pontificis ad coro-
nam Regni deuoluta sunt.

Quartus est magister equitum Rhodien-
sium, ordinis diui Iohannis.

Ordo sancti Iacobi ornatur duobus com-
mendatarijs primarijs, quorum vnus dicitur
commendatarius maior Castellensis, alter
Leonensis.

Ordines Alcantaræ & Calatrauæ, habent
singuli suum commendatarium maiorem &
suum clauigerum, sub quibus maiorib. com-
mendatarijs ingens commendatariorum e-
quitum est copia, habentium magnos reddi-
tus.

Aragonix, Valentix, & Catellonix Regna
vnum habent equitum magistrum ordinis
Mon-

Montesix, magnos quoq; habentem reddi-
tus.

ORDINES REGNORVM
Portugallix & Algar-
biorum.

Primus est magister ordinis Christi, qui
magister ipse Rex est, cuius ministerij prouē-
tus admodum magni sunt, inde, quod huic
ordini omnes prouinciæ inuentæ, tam in A-
frica, quam in Asia, & Brisilia, cum omni-
bus insulis, atque Orientalis Indiæ annexæ
sint.

Secundus est ordinis sancti Iacobi.

Tertius ordinis, qui de Auis dicitur.

Habent quoque hi ordines suos maiores
Commendatarios & Clauigeros, sub quibus
etiam est magna equitum Commendata-
riorum copia, magnos redditus possiden-
tium.

Quartus est magister equitum Rhodien-
sium, ordinis sancti Ioannis, qui priora Cra-
to dicitur, qui tres magistri magnos etiā red-
ditus possident.

Magnatum Hispaniæ Index.

Et primum de Regnis Castellæ, Legio-
nis, Aragoniæ, Nauaræ, Granatæ, Va-
lentiæ, Toleti, Gallitiæ, Mortiæ, Cordu-
bæ.

Prin-



12 DAMIANI A GOES

Princeps Asturiarú. Dux de Arcos.
 Dux de Arsona. Dux de Infantazgo.
 Comestabilis Castel- Dux de Alua.
 læ. Dux Friensis, Dux de Naiara.
 primus Regis cubi Dux de Maqueda.
 cularius.. Dux de Albuquerque;
 Architalassus Castel- Dux de Cardona, Co
 læ & Granatæ vul- mestabilis Aragoniæ.
 go Ammiraldus, & Dux de Segorue.
 Dux de Medina, Dux de Gandia.
 de Rio Sequo, Dux de Villa formo-
 sa.
 Dux de Beiar. sa.
 Dux de Scalona, Dux de Luna.
 Dux de Medina cæli, Architalassus Arago-
 Dux de Medina Sido nensis Marchio.
 niæ. Dux de Saujote.

MARCHIONES.

Marchio de Oristan. te
 Marchio de Gotia- Marchio de Gibra-
 no. leon.
 Marchio de Villena. Marchio de Moya.
 Marchio de Astorga. Marchio de Logullu-
 Marchio de Tarifa. do.
 Marchio de los Ve. Marchio de Zaara.
 lez. Marchio de Sentilla-
 Marchio de Zenete. na.
 Marchio de Coma. Marchio de Marche-
 res. na.
 Marchio de Aiamon- Marchio de Coria.
 Mar

HISPANIA.**13**

Marchio de Elche. ua.
 Marchio de Cuellar. Marchio de Monte
 Marchio de Lom- maior.
 bay. Marchio de Graial.
 Marchio de Molina. Marchio de Villa
 Marchio de Monde- Franca.
 iar. Marchio de Monte
 Marchio de Poza. Claros.
 Marchio de Denia. Marchio de Sarria.
 Marchio de Alcani- Marchio de Aquilar.
 fas. Marchio de Barlan-
 Marchio de Ias Na- gua.
 uas. Marchio de Cama-
 Marchio de Tanara. rassa.
 Marchio de Cerral- Marchio de Pliego.
 uo. Marchio de Falces.
 Marchio de Cagnete. Marchio de Cortes.
 Marchio de Villa no- Marchio de Valle.

COMITES.

Comes Catalonia. Comes de Vregna.
 Comes de Roifillon. Comes de Feria.
 Comes de Lampur- Comes de Cabra.
 dam. Comes de Velalcacer.
 Comes de Pincer- Comes de Miranda
 dam. Castellæ.
 Comes de Vrgel. Comes de Salinas.
 Comes de Benauen- Comes de Ribagor-
 te. ca.

Co



14 DAMIANI A GOES

Comes de Lemos.	Comes de Castro.
Comes de Oropesa.	Comes de Astudillo.
Comes de Alcandet.	Comes de Niena.
Comes de Medellin.	Comes de Aquillar.
Comes de Syrnela.	Comes de Ognate.
Comes de Real de M ^a canares.	Comes de Saluaterra.
	Comes de Paredes.
Comes de Saldagina.	Comes de Monterej.
Comes de Melga.	Comes de Orgaz.
Comes de Haro.	Comes de Ribadauia.
Comes de Vaninares.	Comes de Pliego.
Comes de S. Stephano de Gormaz.	Comes de Luna.
Comes de Niebla.	Comes de Monte agudo.
Comes de Valentia.	Comes de Coregna.
Comes de Treuigno.	Comes de Fuenfaldada.
Comes de Ledesma.	
Comes de Altamira.	Comes de Cifuentes.
Comes de Pallares.	Comes de Aluadelista.
Comes de Ampurias.	
Comes de Lerin. Comes de Benalcar. Comes de S ^a cta Martha.	
Comes de Trastamara.	Comes de Buendio.
Comes de Tendilla.	Comes de Teua.
Comes de Lerma.	Comes de Palma.
Comes de Villalua.	Comes de Vagnares.
Comes de Castaneda.	Comes de Palamos.
Comes de Oforno.	Comes de Miranda.
Comes de Ribadeo.	Comes de Delitoza.

HISPANIA.

Comes de Miranda.	Comes de Oliua.
Nauarræ.	Comes de Gallada.
Comes de Baylen.	Comes de Fuentes.
Comes de Gelues.	Comes de Belchit.
Comes de Oliuares.	Comes de Saftago.
Comes de la Puebla.	Comes de Morata.
Comes de Sancto Stephano, del Puerto.	Comes de Lagumera.
Comes de Castellar.	Comes de Quirre.
Comes de Cocétayna.	Comes de Aithona.
Comes de Albaida.	Comes de Almenara.
Comes de Aranda.	Comes de Punoenroftro.
Comes de Cinchon.	Comes de Baraias.

VICE COMITES.

Vicecomes de Altamira.	Vicecomes de Bas.
Vicecomes de Chelua.	Vicecomes de Blanes.
Vicecomes de Peralda.	Vicecomes de Valduerna.
Vicecomes de Ebol.	Vicecomes de Graiano.
PORTUGALLIAE MAGNATES & Algarbiorum.	

Comestabilis, qui nunc est infans Ludouicus, Regis frater, ac Præfectus regnorum cōfinium, qui vulgo Fonteiro maior dicitur, is enim Ludouicus magister quoque equitum Rhodientium est.

Dux Brigantiæ.	Dux Trancoffensis.
Dux Colimbriensis.	Dux Barcelensis.
Dux Viscensis.	Dux Aueriensis.



MARCHIONES.

Marchio de Villa Re- Marchio de Monte
al. Maior.
Marchio de Tores Marchio de Ferrei-
Nouas. ra.

COMITES.

Comes de Marialua. Nauarchus, vulgò
Comes de Tentugal. Amiraldu.
Comes de Penella. Comes de Sortelha.
Comes de Alcontim. Comes de Castãheira
Comes de Portalegre Comes de Prado.
Comes de Feira. Comes de Redondo.
Comes de Lonle. Vicecomes de Lyma.
Comes Monfancto. Regni Architalassus,
Comes de Faro. vulgò terræ Ami-
Comes de Arganil. raldus.
Comes de Abrantes. Baro de Aluito.
Comes de Vimioso. Rector, siue Prætor,
Comes de Villa noua omnium Regno-
Comes de Linhares. rum, vulgo Rege-
Comes de Vidigeira, dor.

Hi Hispaniæ magnates mihi tantum co-
gniti sunt, puto adhuc alios extra meã noti-
tiam esse, quos hic adiungat, quisquis eos me
melius nouerit. Quorum prouentus viritim
non exprimo. Id enim curiosus lector apud
Lucium Marinæum Siculum requirat, qui
rem non omnino infeliciter tentauit. Ego
au-

autem perspiciens eum quibusdam istorum
Principum plus, alijs minus diuitiarum, quã
possident tribuere, & sciens quam difficile
sit alienas facultates ad vnguem enumerare,
volui potius silere, quam rem non satis appẽ-
sam euulgare. Id etiam veritus ijsdem ipsis
principibus non satis placitum iri huius
rei singularem propalationem. Inter quos
autem (nomina fileo) aliquot sunt vt ve-
rissimum est, centum, octoginta, septuagin-
ta, sexagintaq; millia ducatorum aureorum
annue possidentes. Non pauci quinquagin-
ta, quadraginta, triginta, Multi viginti, quin-
decim, decemque. Cæteri omnes hac summa
inferiores, ad minimum trium millium red-
ditus habent. Sicut sine mēdacio asserere quis
possit, Hispaniæ magnatum annuos prouen-
tus vigesies centena millia ducatorum attin-
gere, vel vltra.

Sunt præterea in Hispania non pauci no-
biles titilis, vel dignitatibus obscuri, decem,
quindecim millia ducatorum annue habentes, est-
q; aliorum ingēs numerus, qui à millibus ad de-
cem millia ducatorum vsq; annue possidēt.

Sunt etiam Reguli, quos pastores Hispani
vocant, triginta, quadraginta, millia ouium,
& magnam bouum, equorum, mulorumque
multitudinem possidentes, quorum familiæ
amplissimæ sunt. Ex quo apparet non fru-
stra dictum in Hispania talentari pretio arie-
tes



tes admissarios emi, a finos quoq; admissarios & a finas ad foeturam xl. Iestertijs.

Ornatur etiam Hispania maximo Sanctorum numero, quorum Martyrum tantum indicem hic scribere nobis non indignum visum est. ceteros propter prolixitatem omittimus.

Sanctus. { Vincentius.
Laurentius.
Victor.
Fronto,
Istitius.
Apodonius.
Linxius.
Successus.
Sanctus. { Faustus.
Martianus.
Urbanus.
Publius.
Matutinus.
Cassianus.
Felix.
Ianuarius.
Primitius.
Quintilianus.
Enotus.
Cecilianus.
Frontonius.
Optatus.
Seruandus.
Germanus.

Fa

Sanctus. { Facundus,
Primitius fratres.
Felix.
Cericus.
Anastafius.
Sanctus. { Faustus. 2
Ianuarius 2
Martialis.
Speratus.
Natalius.
Cerinus;
Beturius. |
Felix. 3
Aquilinus.
Lætarius.
Ianuarius 3
Florentius.
Fructuosus.
Augurius.
Eulogius.
Claudius.
Lupercus.
Victoricus.
Emetherius.
Celodonus.

Eugenius primus Archiepiscopus Toletanus.

Sancta { Zoilus.
Sancta { Eugratia.
Leocadia.

B 2

Eu



Eulalia.
 Christeta
 Sabina *sorores S. Vincentij,*
 Iulitta, mater S. Cerici.
 Digna.
 Generosia.
 Bessa.
 Sancta < Donata.
 Secunda.
 Eurofia martyr & virgo.
 Centolla.
 Helena.
 Nunilonia
 Alodia sorores.

Hi omnes, Christi Martyres, vt ex eorum vitis apparet, fuerunt. Est autem aliorum ingens copia, quam ne lectoribus tædio simus, prætermittendam duximus.

Habet hoc tempore Hispania has Vniuersitates opulencia & professorum eruditione celebres.

- 1 Salmanticensem.
- 2 Complutensem.
- 3 Colimbriensem.
- 4 Pincianensem.
- 5 Siguntinensem.
- 6 Oscensem.
- 7 Herdensensem.

Quibus viris doctrina præclaris Hispania quoq; fulget, accipe.

Fron-

Fronto Præsul & Martyr.
 Fulgentius Præsul & Martyr.
 Audentius Præsul.
 Ioannes Præsul.
 Sanctus Isidorus Archiepiscopus Hispalensis.
 Sanctus Leander Archiepiscopus Hispalensis.
 Colimpius Præsul.
 Pacianus Barchinonensis Episcopus.
 Paulinus Præsul.
 Sanctus Victor Præsul.
 Vilerius Præsul.
 Antonius Præsul,
 Sanctus Vincentius Martyr.
 Zoilus Martyr.
 Sanctus Dominicus Calaguritanus, ordinis prædicatorum autor.
 Matorianus vir præclare doctus:
 Auitus presbyter.
 Sanctus Illefonus Archiepiscopus Toletanus.
 Sanctus Iulianus Archiepiscopus Toletanus, cuius meminit Magister Sententiarum lib. 4.
 Sanctus Antonius Vlyssipponensis, qui Paduanus dicitur.
 Paulus Episcopus Burgensis vir præclare doctus, & Iudæus natione, sponteque Christianus factus, scripsit non pauca Theo-



Theologica, nec indocta.

Alfonfus Tostatus Episcopus Abulensis, scripsit in nouum & vetus instrumentum.

Rabbi Abenezra doctissimus Iudæus, magnus Theologus.

Rabbi Moyse Iudæus Theologus & Medicus insignis.

Rabbi Dauid Chimhi, insignis Theologus.

Moyse Cordubensis Theologus Iudæus.

Rabbi Comora Theologus.

Hugo de Folieto.

Arnoldus de Villa noua, Raimúdi Luli præceptor.

Raimundus Lulsus.

Aquillius Seuerus.

Gualterus.

Ioannes Toletanus.

Iouentius Cardinalis.

Vincentius Monachus.

Duo fratres Coroneles, insignes Theologi.

Franciscus Ximenus, Cardinalis, qui Academiam Complutensem instituit.

Sotion Philosophus Peripateticus.

Auicenna medicus præclarus & philosophus.

Auerrois quoque Medicus & Philosophus.

Rasis Almancor.

Mesalac Medicus Astrologus.

Habramus Astrologus.

Albumazar Astrologus.

Cacutus Iudæus Lusitanus, magnus Astrologus.

Fortunius Gratianus Iuriconsultus, cuius opera rara, sed absolute scripta extant.

Alfonfus Rex Castellæ, huius nominis decimus, Romanorumque Imperator, magnus Astrologus.

Henricus infans Portugallie Mathematicus insignis, qui primo nouas terras suo studio & industria reperit.

Seneca Orator magnus, & Philosophus stoicus.

Anneus Gallion Seneca, Senecæ frater.

Lucius anneus Seneca Tragicus, Annei Gallionis Senecæ filius, Senecæque oratoris nepos.

Columella.

Dexter.

Theodosius Cæsariensis.

C. Julius Higinius, Augusti libertus, Grammaticis insignis.

Portius Latro, Orator insignis.

Lentus Cornelius, præfectus Cæsaris.

Paulus Orosius.

Quintilianus Orator insignis.

Pomponius Mela.

Iustinus historicus.

Lucius Latianus Orator.

Seuerus.



Silius Italicus.

Henricus Marchio de Villena, magnus magicus.

Ioannes Ludouicus. Viues Valentinus, orator.

Damasus Pontifex maximus, insignis Poeta.

Aurelius Prudentius Poeta.

Iuuenius Poeta.

Arator Poeta.

Sedulius Poeta.

M. anneus Lucanus, L. annei Melæ filius, qui Mela frater Senecæ & Gallionis fuit.

M. Valerius Martialis.

Sextilius Hæna Poeta.

Ruffus Festus A nienus Poeta.

Dec. Iunius Iuuenalis, oriundus ex Aquino Volscorum.

D. Georgius Manrique poeta insignis.

Henricus Gaiadus Poeta Lusitanus, & Meneſius, de quibus Erasmus in suo Ciceroniano meminit.

Laurentius à Caceres Lusitanus, Poeta & vir non vulgariter eruditus.

Ioannes de Mena poeta.

Antonius Nebriffensis eximius Grammaticus & variæ eruditionis vir, vt Erasmus in suo Ciceroniano testatur.

D. Garſias Laſſoa Veza poeta insignis.

Alfon

Alfonſus Virueſius Episcopus Canariensis, Theologus insignis.

Gomeſſius peritus Iuris, ſcripſit ſuper Inſtituta.

Hi omnes præter alios nonnullos, quos, cum adhuc viuant, ſilentio prætereo, Hiſpani fuere. ex quo apparet noſtrates non tam inſœliciter diſcere, nec verbositate & ſimulatione ſapientiam oſtentare, vel tam multis nominibus & conſuetudinibus barbariem colere, quam Munſterus in ſuo nouo Ptolomeo prædicat, vbi ad imitationem cuiuſdam Michaelis Villa nouani, hominis mihi incogniti, & hac in re non mediocriter lapſi, Hiſpanorum & Gallorum comparationem induxit. puto eum cum Baſileæ profiteatur, Gallis, ad quos reliqua Baſilea ſpectat, excepta tertia fermè parte, qua ſecundum Rhenum Germaniæ adhæret, potius quàm Hiſpanis ad blandiri voluiſſe. quam obrem vt doceat ita eſſe, quod dicit, opus eſt, vt nobis depromat vel vnum Senecam, Quintilianum, Portium Latronem, Auicennam, Lucanum, Prudentium, Iuſtinum, Columellam, Oroſium, Melam, Silium, Martialem, Iuuenalem & alios iſtis ſimiles, & tum damnet Hiſpanicam indolem, eamque Gallicis & Germanicis ingenijs poſtponat. quod ſi nec Germani, nec Galli iſtos, quos ſupra recitauimus, viros adæquent (Erasmū & Budæum excipio)

B 5

quid



quid est, quod conuicium nostræ genti de stupore faciat? Fateor aliud sæculum alio florētius, nec nunc esse laudem eam eruditionis quæ olim Hispaniæ fuit, non tamen bruta est illa terraquæ talia ingenia produxit, nec quia aliquādiu talia non produxit, in omne æuum effœta habenda est. Quod si nunc non tot chartas oblinunt Hispani, quot nonnulli faciunt, nec edēdis alienis libris plagium committūt, nihilo detēiores illis, qui se furtis librorum venditant, existimandi sunt. Edunt fortasse Hispani pauca, sed edunt sua, nec falsarij hac in parte, nec fures, estque nobis ista modesta scribendi ratio cum Italis communis. Non incesso vllam gentem, quorundam vitia tantum attingo, & qui de vitijs suis, genti suæ gloriam, alijs nationibus probrum concinnant. Habuit hac tempestate Gallia Budæum, & Fabrum Stapulēsem, & alios viros doctos, sed habuit. Conuixerūt etiam istis nonnulli Hispani illorum eruditione non plane inferiores, quorum nomina cum cognita sint, prætereo. Habuit quoque Germania Erasmum, sed habuit, habuit Longolium ambos Batauos, quam prouinciā nonnulli nec in Germania, nec in Gallia constituunt. Sed sit Germaniæ vel Galliæ, fuerunt isti viri ornamenta incomparabilia suarum gentium, sed fuerunt, ita nobis quoque Quintiliani, Senecæ, alijque innumeri fuere.

Præ-

Præteriti tēporis est, quod utrobiq; pro gloria iactatur, nisi nobis allegent Philippū Melanchthonem, columnen Germaniæ. Fateor eum hoc tempore cum illis antiquis Hispanis in harenā descendere potuisse, si se Theologiæ, ac fidei negocijs non implicuisset, quibus dum incumbit, contabescunt studia illa, ob quæ nostro æuo inclaruit. Nec defuissent Hispaniæ ab hinc annis plus mille præclara illa ingenia, quæ semper enutrire solita fuit illa prouincia, si à Gothis, Alanis, Saracenisque incultis hominib. ab omniq; genere disciplinarum abhorrentibus, non fuisset tam diu occupata. nunc vero hac barbarie utcunq; expulsa, non dubitet Munsterus, quin Hispani posthac, ad laudem eruditionis non segni gressu sint progressuri.

Index Ducum Hispaniæ.

Veriatus Lusitanorum Dux, cuius facinora Romanorum historiæ late prædicant.

Megara Dux Numantinorum, Romanorum temporibus præclarus, ut testatur L Florus lib. 2. cap. 18.

Rex Pelaius qui ob vitæ sanctitatem Dei miles vocabatur. Is enim Hispaniam Cantabricam à Maurorum incursionibus immunem fecit, eosque ex regno Leonis ciuitate accepta expulit.

Bernardus à Carpe, Dux præclarus & vir eximius,

Longolius ut ex quadam epistola Erasmi ad hunc nostrum Damianum Goes aparet patet. Hollarus dicit esse Schoningius.



eximius, qui Carolum magnum Imperatorem & duodecim Franciæ Patres apud Ronces valles deuicit, quanquam Gallorum Annales Hispanis hanc victoriam denegent.

Ferdinandus Gonçalues, Comes Castellæ eius, quæ nunc regnum est, & antiqua Castellula vocatur, in cuius historia latè patet, quantæ virtutis vir fuerit, atque filius eius Gartias Ferdinandus & Santius nepos.

Rodericus Diaz de Buiar cognomento Gid, qui bonam partem Hispaniarum ex tyrannide Maurorum liberauit, cuius nomen inter Mauros terribile, & magnæ venerationis fuit.

Ferdinandus cognomento Sanctus, Rex Castellæ, qui ex Vaudalucia, mira virtute Mauros fugauit, prouinciamque sibi obtinuit.

Iacobus Rex Aragoniæ, qui regnum Valentia & Baleares insulas à Tyrannide Maurorum liberauit.

Alfonfus primus Rex Lusitaniæ, qui ex toto ferme regno Mauros expulit, cuius gesta magis videntur diuina, quàm humana.

Ioannes huius nominis primus, Rex Lusitaniæ, qui cum inops & abiectus esset, propria arte & virtute, Castellanis, maioreque parte Lusitanorum etiam reluctante, totum regnum sibi vendicauit.

Comes Nonius Alvarez Pereira Lusitanus,

nus, qui Regis istius temporibus vixit, cuius insignia gesta historiæ nostræ latè prædicat vir fanè magnanimus, & supra hominum vires in bello strenuus, ex quo duces Brigantiæ originem suam ducunt.

Ferdinandus infans Castellæ, qui postea fuit electus Rex Aragoniæ, qui miras victorias contra Mauros in ipsa Hispania obtinuit, vt testantur historiæ.

D. Franciscus ab Almeida Lusitanus, qui ingenti classe Babylonæ Sultani, atque multorum Indiæ Orientalis Regum deuicta, Turcas in ipsa India expulit, cuius Ludouicus Ro in suo itinerario amplam facit mentionem.

Alfonfus de Albuquerque Lusitanus, qui fermè totam Orientalem Indiam sub imperium nostrum reduxit.

Ferdinandus à Vallo, Marchio de Peseera, qui Gallos apud Ticinum debellauit, eosque ex Italia fugauit, quo in prælio Franciscus Gallorum Rex interceptus fuit, & in Hispaniam captiuus adductus.

Ferdinandus Cortesius, Marchio de Valle, qui in Indijs Occidentalibus magnam Temystitam ciuitatem & regnum, non sine incredibili admiratione Regno Castellæ edomuit.

Franciscus Pizarrus, qui in ipsis Indijs Occidentalibus Imperatorem Atabalipá deuicit,



30 DAMIANI A GOES

cit, & supplicio tradidit. eiusq; ditiones atq; aliorum principum, sub Castellæ imperium redegit.

Antonius à Leiuā, vir præclarus, qui arte & virtute, Italos sæpe armis superauit, & pondus tuendi, contra ipsorum Itatorum ac Gallorum potentiam, Mediolanensem Ducatum ad extrema vsq; suspiria sustinere valuit.

Antonius à Sylueira Lusitanus, qui postremo apud Dium Turcas ex India orientali iterum profligauit, & magnum Cambaiæ regnum Lusitanis subiecit.

Goncallus Ferdinandus Cordubensis, qui regnum Neapolitanum nostris temporibus edomuit, idque sub imperium Hispaniarum redegit.

Eduardus pachecus, vir Lusitanus, qui aduersus Regis Calecutij potentiam prolixum cruentumque bellum gessit, in quo diuersas & incredibiles victorias obtinens, ipsum regem fuga salutem petere coegit.

Habuit & habet Hispania alios præclaros Duces, quos prætermitto, & hos tantum, qui virtute cū Cæsare & Alexandro certare possint, pono.

Videtur etiam Hannibal potius Hispanus quam Pœnus fuisse, si Floro fides aliqua est, cum libro 2. cap. 6. asserat ipsum Hânibalem alitum, educatum, & enutritum fuisse in Hispania.

IM.

HISPANIA

IMPERATORES GESTIS

præclari, nati & oriundi

Hispani.

Vespasianus.

Titus Vespasianus,

Nerua.

Traianus.

Adrianus.

M. Antoninus philosophus.

Theodosius Magnus.

Arcadius.

Honorius

Theodosius Minor.

Alfonsus huius nominis decimus, rex Castellæ.

Maximilianus.

Carolus Quintus Rex Castellæ.

Ferdinandus infans Castellæ.

PONTIFICES Hispani.

Damasus historicus scriptor & poeta.

Ioannes II. medicus insignis, Lusitanus.

Benedictus 13. doctissimus vir.

Calixus 3. Iuris prudentiæ peritissimus.

Alexander sextus.

Vernacula, quæ nostra tempestate ex Hispania in Galliam, & alias prouincias adferuntur, hæc sunt, nec scitu indigna, præter nō pauca

ca



ca, quæ cum in ipsa prouincia his temporibus absumantur, ut puta frumentum, argentum, cuprum, plumbum, glastum, rubia tinctorum, gosipium, & multa alia, vel quod magni momenti non sint, in ipso catalogo referre nolimus.

Vehuntur nauigio Brugas ciuitatem Gallia Belgicæ, singulis annis quadraginta millia lanæ farcinarum, quas *saquas* vocant, quarum vnaquæque ut minimum precium viginti ducatorum aureorum vel æquat, vel superat.

In Italiam quoque, ac in alias Gallia ciuitates, viginti ferme millia farcinarum vehuntur, quarum quæ in Italia consumuntur, quod selectioris lanæ sint, quadraginta, quinquaginta ducatis aureis singulæ venduntur.

Sericum, & panni serici, quæ tam in Galliam, quàm in Italiam, Angliam, aliasque prouincias euehantur, precio innumerabili constant.

Deferuntur etiam, ut summatim dicam, ex Hispania in Galliam Belgicam, & alias prouincias vina multorum generum.

Oleum.

Saccarum.

Cera.

Mel.

Oriza.

Crocum.

Vuæ passæ.

Ficus passæ.

Sal.

Alumen

Murex, siue purpura.

Cocum.

Sme-

Smegma, siue sapo. Balenæ salitæ, atq; eadundem oleum.
 Mala Medica, siue aurea. Suberum codex.
 rea. Gallæ.
 Mala Citria. Bacca laurina.
 Mala Granata, siue punica. Hyacinthi.
 Cydonites, siue (ut Gagates. barbare dicitur) co Hiaspis.
 dignatum. Alabastrum.
 Oliuæ conditæ. Corallum.
 Limones. Coria hircina:
 Capparæ. Spartum.
 Pruna passa. Pelles multorum animalium, ad vestes suffulciendas.
 Amygdala.
 Pinei.
 Castanæ. Aurum.
 Glycyrrhiza. Ferrum:
 Anisum. Chalybs.
 Caruis. Stannum.
 Anethum. Minium.
 Cuminum. Argentum viuum.
 Corianon siue coriandrum. Fructus quoq; diuersorum generum, faccaro conditi.
 Thygni saliti.

C

PRO



PRO HISPANIA ADVERSVS
Sebastianum Munsterum de-
fensio.

EX hoc charissime Nanni, videre est, Hispaniæ fertilitatem, quam hisce verbis Munsterus egregius Michaelis Villanouani imitator, ad Galliæ comparationem ita describit. qua in re facit, vt suspecti iudices, inuidia vel muneribus, vel odio obcæcati, soliti facere sunt, qui vera cum intelligant, falsa tamen pronunciant, dum inquit in suo Ptolemæo, vt eius verba referam, *Mercatores ex Hispania, in Galliam deferunt sericum & omnis generis pannos, lanas, crocum, saccarum, oriz an. oleū alumen, grana tinctorum, &c. Ex Gallia in Hispaniam frumentum, lineas telas, filum, pastel, libros, & minutiora alia mercimonia plurima, vt gladios, specula, acus.* Concedamus Galliam mittere frumentum, (quanquam id raro cōtingat) cum potius id Germaniæ orientali debeat, cuius frumentum nauibus Batauorum ad litoralem Hispaniā, eamq; oceano attiguam subuehitur, hi enim inuectitia annona ab hinc annis 15. plus minus vsi sunt. Ad mediterranea Hispaniæ exoticum frumentum non peruenit, certe pro singulis culeis ex Gallia, singulæ Holcades frumento onustæ ex Hollandia, appulerunt. Tamen de-

demus hoc Munstero & præceptori suo Villanouano vt vera sint, quæ dicunt, quid? an non ex ipsorum verbis apparet. Hispaniam Galliæ plus impertire, quam Galliam Hispaniæ? Miror autem, cur dum agrorum fertilitatē vtriusq; prouinciæ, inter se confert Munsterus, asseuerat Hispaniam vini, frumenti, & carniū copia à Gallia vinci. Vbi (vt de hac Galliæ vbertate disceptemus) auditū est, aut visum ex Gallia in Hispaniam vinum deportatum esse? nisi forte ad continia Cantabriæ, & id raro, quippe cum ij magis amplectuntur Hispanicum etiam dilutum, quam Gallicum merum. Prodeat nunc Gallia Belgica, ac Angelia, Irlādia & Scotia, simul cum Noruegia, Dacia, Suecia, Moscouia, Rufa, Liuania, Lituania, Prussia, ac tota Orientalis Germania, necnon Hollandia, & testentur quid vini Hispanici in ipsarum finibus absumentur. Deinde si iam ex Gallia in Hispaniā frumentum, vt vult Munsterus inuehitur, id nō ex natiua malignitate soli, sed ex aspectu, vt aiunt, astrorum accidit, quæ hostiliter ab anno 1516. ad hunc vsq; diem, morbis, cædibus, calamitatibus, prouinciam affligerunt, alioqui fertilis est Hispania, vt testatum antiqui scriptores reliquerunt. Et vbi hæc sæuities syderum mitigata fuerit, petent à nobis Galli frumentum, vt antea soliti fuerunt facere. Hoc credo ignorasse Munsterum, Gallos



à nostris crebrius, quã nos ab ipsis olim frumētum expetisse. Nec hoc tempore peregrino frumento indigeremus, si omnes (vt in Gallia & alijs prouincijs fit) Hispaniæ partes quæ coli possunt, colerentur, cuius enim vbertas tanta est, vti maiori anni circulo mediastini atq; plebei homines, ex syluestribus fructibus, melle, herbisq; laute victitare possint, quæ res eos parum ad agriculturam propensos efficit. Accedunt ad hoc nouæ Orientalium, Occidentaliumque Indiarum navigationes, continuum quoq; bellum Africanum, atq; Italicum, quæ nostri magis amplectuntur, quam aratri labores. vnde euenit nõ solum apud nos agriculturam negligi, sed etiam metalla, quorum venis adhuc Hispania abundantissime ornatur, ex visceribus terræ non effodi. Cætera quæ Galliæ sunt, veluti lineæ telæ filum, glastum, facile iudicabis an ea tanti sint, vt cum Hispanicis frugibus conferri possint, quanquam maior pars telarum & filicabacæi, quæ in Hispaniam apportatur, Batauiæ solum producat. Quod ad carnes autem spectat, verius ipsa veritate est, non tantum in Galliam ex Hispania, boves, sed magnam quoque mulorum copiam educi, equos etiam, sed furtim, ob Regum edita Reliqua autē quæ sequuntur, futilia sunt, indignaq; tanta comparatione. Nec hoc contentus Munsterus, vt per omnia suum autorē

Vil-

Villanouanum sequeretur, stomachū in Hispanos euomuit, credo re vera, eum nonnūquam ab aliquo Hispanorum iniuria aliqua laceffitum fuisse, cum sic in eos verbis debacchetur. Ait enim *frugalis vita Hispani sicut & Italici* (etiam Italos noluit immunes à suo temerario iudicio) *nec tantum cibi & potus, vt Galli & Germani absumentes, nisi sint inuitati, nam tūc se ad saturitatem explent edulij, quia rara eis & maiore auiditate accidunt conuiuia.* Elegans scomma, & dignum quod topographijs prouinciarum inseratur, quasi Gallorum & Germanorum conuiuia splendida plane, & opipera sint habenda. satis ibi ciborum & potus, sed externi homines non de copia conqueri solent, sed de lautitia & elegantia. Sed si namus vnumquemq; patrio more viuere, atrū panem, stipulis, furfuribusque vna pistis commistum, fetidam cereuisiam, carnesq; salitas, ter quarterq; recoctas, assasque sibi suisq; familiaribus administrare, vel aquam & herbarum placentas. Quod si de numero conuiuiorum disputandum est, vincunt Germani & Galli Si de magnificentia, splendore, lautitia, elegantia, multis modis Galli & Germani ab Italis & Hispanis vincuntur. Cæterum laudes conuiuiorum si quæ sunt, nõ ab Hispanis Hispaniæ, nec à Germanis Germaniæ vindicandæ sunt, sed id iudicium exteris hominibus committendum est, exitus certe & finis conuiuio-

C 3

rum



rum honestior in Italis & Hispanis, quum Germani & Galli eo animo conuiuia aggrediantur, vt vino se adimpleant, refarciantq; quo feruente animus, sensus, iudiciũ, ratio, reuerentia, grauitas, sedulitas, prudentia, & alia multa amittuntur; iniuriæ, cædes, luxus, stupra, clandestinæ locutiones, consiliorũ principum, amicorũq; effutiones, vulnera, plagæ, insidiæ, proditiones, aliaque infinita perpetrantur. Itali & Hispani contra, sic ad conuiuia se ornant, vt bene saturi, & cibis referti, à mensa discedant. Hic tametsi corporis salus repletione grauetur, animus tamen & ratio, vt accidit in ebrijs, minime leditur. Ita fit vt qui vinum intemperanter ingurgitant, animum, cõscientiã, corpus, honorem, vitam labe tingant. Qui autem cibi voraces sunt, corporis tantum saluti noxij sunt. Istis perpenſis, iudicet æquus æstimator, penes quos laus istius rei consistere debeat. Nec mihi ideo ista dicta sunt, quod magni esse momẽti putẽ hac in parte, vel vinci, vel vincere, sed q̃ ferre nõ potui: Hispanos tanquã famelicos & cœnipetas, nunq̃ nisi de alieno saturos & Mũstero describi. Neq; mea dicta à Mũstero accipi volo, veluti recriminationẽ, sed admonitionem, vt cautius posthac & syncerius in suis scriptis agat, virum enim eum bonũ scio, & aliquo vsu familiaritatis mihi cognitũ habeo. Nec prætereudũ puto id, quod deinceps

idem

idem dicit, cum re non intellecta, multorum etiam sit opinio, quod duriter & inciuiliter apud Hispanos aduena excipiantur, adeo, vt itinere defessis, cibum sibi vicatim querere cogantur. Res sic se habet. Olim pãdochei Hispaniẽ, ad quos viatores tã peregrini, quã incolæ diuertere solebãt, fures atq; latrones erãt, sicut Germaniæ, Galliæ aliarumq; prouinciarũ hodierna die non pauci sunt, quales si non essent, non tam subito in immensum ditescerent. Hæc perpendentes catholici Ferdinãdus & Elizabeth Castellæ & Aragoniæ Reges, lege sanxerũt, sub magna mulcta, ne quis cauponum, pãdocheorumque quicquam præter domesticũ seruitium, & cibi loquendi operam aduenientibus præberet. Pro equis autẽ, hordeum, auenam, fœnum, stramen tantum venderet, quarum rerum precium, publica æstimatione ipsis forib. diuersoriorum inscriptum est, ita vt barbarissimus, & simplex homo cuiuscunq; nationis, facile intelligat, quid pro domestico seruitio, quid pro equorum alimento, sine aliqua licitatione hospiti dandum sit. Hospes præterea tenetur cum aduena in forum, & ad propolas procedere, vel aliquem ex suis eo mittere, cuius opera vtatur externus in eduliorum emptione, quæ empta in diuersorio parantur, parataque ipsis, strata mensa apponuntur. sic fit vt discedente aduena, nihil rixarum oriatur, nihil ei aufe-

ratur,



ratur, nihil extorqueatur, cum ipsemet cibos sibi emat, sibiq; ex tabulis diuersorio affixis constet, quid hospiti annumerandum sit. Hæc autem in ciuitatibus & oppidis tantum sunt, in pagis & villis, vbi propolæ defunt, licet pandocheis edulia vendere pro arbitrio, cætera ex tabularum tessera indicantur. Hæc immanitas non tam fera videtur, quam à Munstero depingitur. Deinde si ad humanitatem Italorum Hispanorumq; respicias, hæc inuenies, cum ad eorum ciuitates veneris. Amicitia contracta, officium suum vnusquisque gratis offeret. quicquid dignum visu sit, ostendet. circumspectis, visisque omnibus, te ipsi in hospitium tuum deducunt. At si quenquam illorum, dum gratus esse cupis, in prandio, vel in cœna retinere volueris, vix ab eis illud impetrabis, id præcauentibus ipsis, ne homini peregrino, & sumptui, & molestiæ sint. tandem ex viginti, si tot comites habueris, vix vnum aut alterum retinebis, nec id efficies, donec clare intelligant ex animo, & non fictè eos tibi conuiuas velle. Galli contra & Germani, vt verum est, & experti sumus humanissimi in peregrinos sũt. quicquid visendum in suis ciuitatibus habet, ostendant, omneque officium benigne exhibent. Sed peractis spectaculis, vbi diuersorium repetis, siue frigide, siue ardentè ipsos inuitas, faciles eos habes, nec opus est magna

conten-

contentione precum, idque laudo, est enim illud ingenue cuiusdam & candidæ simplicitatis, nihil fictum existimare in verbis inuitatoris, sed sunt nonnulli improbiores, qui se vltro tuæ mense ingerunt, idque magno numero, quos antea nec noueras, nec videras, ijque non quia amici sunt, sed se amicos aliquando futuros sperant, pro Pythagorica lege omnia futurorum amicorum communia credunt, homines me hercle nõ male ad vè trem philosophantes, Postremo in Italia, Hispaniaque, dum templa, arces, armamètaria, ædificia, huiusque generis alia inspexeris, vel à domo amici alicuius tui, apud quem hospitabaris, discesseris, si custodib. vel operarijs, aut amici famulis, aliquam gratuitam pecuniolam dare coneris, efficies pro amico, vt inimicus abeas. Tanta est eorũ magnanimitas, vt peregrinis hominibus, gratis officium suum exhibere contendant. Et si aliquando talia munera istis accipere contingat, id vi coacti, & omnino reluctantes faciunt. At Germaniæ Galliæque famuli arcium, armamentariorum, templorumq; custodes multo contra, nulla humanitate nec decore seruato, nõ tantum non recusant, quod facere non nouerunt, sed antea quam offeras, præbent ipsi manus, sic vt qui sub arcis præfecto meretur, ianitor, custos, pincerna, pisttor, lotrix, cocus, omnes demum quotquot sunt, prædã inter se,

C s



se, antequam des, calculis diuidant. Parique modo in familijs amicorū fit, à quibus enim amicis antea quā discedas, omnes famuli inter se computatione, lucrum aduentantis liberalitatis diuidunt, quæ res ita increbuit, vt pro dedecore iam non habeatur. Ad istummodum humanitate, vrbani- tateque hæ nationes differunt. Nunc iudicet Munsterus, & ferat ipse sententiam, & dum mores gentium scribere conatur, edat ea tantum, quæ ipse viderit, & certissima habuerit. Mutantur quotidie ciuitates, oppida, mores, viuendiq; hominum rationes, nec iam Germania Galliaque tales quales nobis à Cæsare depinguntur, nec tam barbaræ sunt, quod idem æstimare licet de cæteris nationibus. Quid enim hoc tempore minus verum, quod olim verissimum fuit, mercaturam Germanos ob ferocitatem non exercere, cum hoc tempore nullibi magis Mercurius colatur. Aut eis Solem, Vulcanum, & Lunam deos ascribere, eisdemque ad annum vigesimum vsque pubertatem inuiolatam esse. Non ne si quis id dicat, vaniora dixerit, quam si quis etiamnum Druides adhuc apud Gallos sacrificia administrare, eosque pro victimis vel alios homines, vel seipsos immolare, aut Lusitanos lineis thoracibus in bello vti, aut ex intestinis captiuorum hominum, futura prædicere, vel hor-

dea-

deaceum vinum bibere, & pro oleo butyrū in conuiujs consanguineorum vsurpare, cum hæc omnia iam euanuerint, & alia viuendi ratio introducta sit. Demum si Munsterus novos nostri temporis hominum mores describere velit, inuisat prouincias vt ipsi fecimus, actunc ea quæ experientia viderit, scribat. quod si fecisset, non oleo carere Baleares dixisset, non Hispaniam sterilem, non eius incolas immanes, atq; in-discendo rudes, non Nerium promontorium Celticum vocasset, & in Algarbe, cum in Galitia sit, pronunciaisset, nec multa alia vana quæ præmitto, suo Ptolemæo inseruisset. De his satis, ne videar incandescere, aut minutias rerum non satis minute tractare. Tamē sciat Munsterus hanc ipsam Hispaniam, de qua nunc loquimur, eandem esse, quam ex omnibus prouincijs Cæsar ab initio quæsturæ suæ, semper chariorem & electiorem habuit, in qua nullo tempore, ob hominum magnanimitatem, & militaris disciplinæ industriam, Romani deserunt legiones habere, teste Hirco. Quam etiam Vespasianus tanti fecit, vt ei ius Latij tribuere non formidauerit. Hæc numero deuicta à Romanis, vt Cicero de respons. Aurusp. asserit, nūquam fuit, Sed pietate & religione, quam Romani tunc temporis sibi soli tribuebant. Huic vt cederet terra Cretensis, Iouis in-

cu.



cunabulis elata, Plinius Iunior in suo pane-
gyrico voluit. cui⁹ inter alia hæc verba sunt.
*Adde tot egregias ciuitates, adde culta incultaq; om-
nia, vel fructibus plena, vel gregibus, adde auriferorū
opes fluminum, adde radiantium metallæ gemmarū.
Scio fabulas poetarum auribus mulcendis repertas,
aliqua nonnullis gentibus attribuisse miracula, qua-
dam sint vera, sint singula, nec iam excutio veritatē,
sint vt scribitur Gargara prouentu lata tritici, Me-
uanam memoretur armento. Cāpania censeatur mon-
te Gargano, Lydia prædicetur amne Pactolo, dū Hi-
spania vni quidquid laudatur assurgat. Hæc durissi-
mos milites, hæc expertissimos duces, hæc facundissi-
mos oratores, hæc clarissimos vates parit, hæc iudi-
cum mater, hæc principum est. hæc Traianum illum,
hæc deinceps Hadrianum misit imperio. Huic te de-
bet imperium cedat his terris terra Cretensis, parui
Iouis gloriata cunabulis. De hac etiam maxima
ductus admiratione Budæus li. 4. de Asse, cū
multorum antiquorum autoritates in me-
dium attulisset, ista loquitur. *Ingenia sunt hæc
testimonia de opulentia Hispania.* Vterius ait.
*Multa adnotauimus, quæ fide caritura sunt, vt opi-
nor, præsertim apud eos, qui omnia & præterita, &
futura præsentis temporis modulis metiuntur &c.* In-
finita enim sunt, quæ hic de laudibus Hispa-
niæ scribere potuissem, nisi timerem lectori
molestā fore lectionis prolixitatem. Quod
si quis latius intelligere cupiuerit, legat id
quod Polidonius, Polybius, Strabo, Iustinus
So-*

Solinus, vterque Plinius, Liuius, P. Valleius,
Paterculus, Vegetius, Florus, Pōponius Me-
la, Stephanus de Urbibus, Philostratus, Dio-
dorus Siculus, Martianus Capella, Cælius de
antiquitatibus, atq; Budæus testatum de Hi-
spania reliquerunt, apud quos & alios non
nullos tales ipsius Hispaniæ laudes reperiet,
vt facile iudicaturus sit nos de hac re plura
veraque dicere potuisse, quod & fecissemus,
nisi obiectiones nimij in patriam amoris, à
maleuolis, & infestis hominibus timuisse-
mus.

ADVECTITIA QVAE EX A-
siae, Africæ, nouæq; terræ prouincijs, Regibus
Castellæ & Portugalliæ subditis, quæ innu-
mera sunt, in Hispaniam aduehūtur,
ac inde per totam Eu-
ropam

Primum in Castellam, ex nouis, vel occi-
dentalibus Iudijs, Hispalim magna vis auri
deportatur. Argentum.
aurea vasa & argeneta mira dexteritate ope-
rata. Vniones Margaritæ.
Smaragdi. Cyanos, vulgo Turquina.
Casia. Guaiacum lignum.
Dactyli.
Indidem ex insulis Canariæ & alijs locis, sac-
carū, Coria bubula & hircina, plii paci, simiæ,
atq;



atque vestes pennis auium miro artificio cōtextæ, & alia admiratione digna,

Quæ in Portugalliam ex prouincijs sibi subditis aduehuntur hæc sunt.

Singulis annis ex Nigritarum regnis deducuntur Vlyssiponem 10. 12. millia mancipiorum, præter alia ex Mauritania, India, Brisiliaque aduecta, quæ singula passim decem, 20. 40. 50. aureis ducatis venduntur.

Præterea ex Nigritarum prouincia apportatur magna auri copia.

Ebur, ex eodemque vasa non ineleganter exsculpta, atque imagines.

Mala Getulica, vulgo paradisi grana, seu mala geta.

Panni mira arte ex palmarum folijs contexti,

Piper longum.

Zibelli (vt vocant) musiones vel feles.

Dactyli palmarum.

Ex Brisilia, lignum quod Brisil vocatur, & vestes auium pennis contextæ, ac lecti pensiles, ex gosipio, instar retium connodati, & saccharum optimum.

Ex India Orientali & Cathaio.

Piperis annuè tricies, quadragiesque centena millia pondo, cuius centum libræ vendun-

duntur Vlyssipone 34. ducatis, supra quartam ducati partem, quæ summa minimum est duodecim, aut tredecim, aut quatuordecim centenū millium aureorū ducatorum.

Zingiber.

Muscata miristica, atque eorum flores.

Cynamomum.

Cariophyllon.

Reubarbarum.

Mirabulani omnium generum.

Casia.

Dactyli Indici, siue Tamarindi, & omnia aromatum genera.

Crocum Indicum.

Lignum aloes.

Sandali rubri & albi.

Lacha.

Hebanum.

Item gemmæ omnium generum pretiosissimæ.

Vniones.

Vasa aurea & argentea, mira industria facta.

Panni serici, & aurei.

Tele Gosipinæ.

Sericum.

Styrax siue styrace, storax vulgo.

Laserpitium, vulgo Belzoi.

Ambar, gris vt vocant.

Musculus.

Nuces Indicæ.

Scutellæ mira arte ex calce concharum factæ, quas *porcellanas* vocant, quarum nonnullæ precio 50 & 60 & 100. ducatorum venduntur, & alia infinita apportantur, quæ ob prolixitatem omitto.

Ele-

Elephantes quoq; quinq; vel sex tempore felicitis Regis Emanuelis inde allati sunt, quorum dū puer ipsius prudētissimi Regis ab intimis cubiculis essem, treis simul vidi, atque Rhinocerotem vnum qui omnes Regem ipsum equitantem præcedebant. Certamini etiam unius istorum Elephantum cum Rhinocerote, interfui, spectaculum sane admiratione dignum, in quo elephas succubuit. Quem ludum Rex ipse felicissimus Emanuel Vlyssipone præbuit anno (si bene memini) 1515. vel 16.

Ex Insulis Madeira Hesperidum Sancti Thomæ, principis, atque alijs magna saccari copia. Glastum quoq; & Gosipium ac frumentum ex his insulis vehitur.

Ex Brisilia, ac Nigritarum prouincia psittacorum, cercopheticorum simiarum, aliorūq; miraculorum, ingens turba apportatur.

Hæc sunt quæ de fertilitate, opibus, nobilitateq; Hispaniæ, à me Nanni doctissime scire petisti, quæ te volente, iubenteq; ea lege scripsimus, vt omnibus ius faceremus castigandi, mutandi, augendi, quod mirifice exoptamus, haud ignari, plurima esse à nobis omissa, quibus Hispania ornatur, & celebrari possit. Tu interim vive, & vale. boniq; consule.

Louanij. 12. Cal. Decemb. Anno
1541. Epi-

49

EPISTOLA DAMIANI A GOES
AD.

IO. IACOBVM
FVGGERVM PRO DEFENSIONE HISPANIAE.

EX tuis literis amātissime Iacobe cognouit te febris correptū fuisse, ab eadēq; modo liberatū, quod nuncium etsi mihi satis ægrū fuerit, inde quod morbū tā tetricū sustinueris, tamē gratū, cū intellexi te penitus ab eius tyrānide euasisse, Quod autem ais me parum amicē in Munsterū hominē mihi vtcunq; cognitū debacchatū esse, te iudicē in hac causa eligo, & quid, cū laudes & vbertatē Germaniæ, vti nos Hispaniæ, scripturus esses, in eū, tibi dicēdū cogita qui nulla causa vrgēte, Hispanos famelicos de alieno sēper saturos, in peregrinos homines duros, feroces ac immanes, nec nō imperitos, ingenio infelices, arrogātes, iactabūdosq; vocasset, quib. notis Munsterus gētē nostrā inuasit. Ego vero cōtra, dū nostros defendo, quid feci aut commisi? Germanos profecto & Gallos nō in genere, vt ipse Hispanos, lædo, sed in specie tantū, & in harū prouiciarū famulos & gnathones solū quasi ioco ludēs, meā defensionculā emisi, ipsūq; Munsterū virū bonū prædico, quē tantū moneo.

D



50 DAMIANI A GOES
neo, vt post hac cauti⁹ scribat, & ea quæ e^oper-
ta habuerit, solū typismādet. Quod si fecisset,
nō tot mēdacia & de sua quoq; Germania suo
Ptolomeo inseruisset, omitto alios libros de
Christifide loquētes, quos ipse, euulgauit, qui
adulterini & fictici j̄a multis iudicātur, res sa-
nē si sic est nō admodū pia, nec Christiano ho-
mine digna. Hęc omnia tibi amantissime Io.
Iacobe retuli, vt scias me latius in Münsterum
stomachari potuisse, q̄ sanē fecissem, nisi esset
homo Germanus in Germaniaq; natus, quā
gentē & prouinciā, ego tāquā numen semper
veneratus sum, & in qua eximios amicos ha-
beo, quorū amicitia sanctissimē inuiolatam
mihi & volo, & perpetuo seruata cupio. Cete-
rū q̄ ad librū Lusitanicū attinet, vidi quę scri-
bis, p̄ quibus tibi gratias ago maximas, librū
enim egomet apud Peutingerū vidi, & trūca-
tim legi, qui re vera ei cū linguā nostrā igno-
ret, minimē vsui est. Quarete iterum atq; ite-
rum oro, vt vel librum ipsum mihi impetres,
vel eiusdem exemplar vnum, quod si feceris,
historiæ nostræ, quam in manibus de rebus
Indicis habemus, magnum adferes adiumen-
tū, & nobis facies rem, pro qua tibi perpetuo
deuincti erimus. Vale, & nos vt facis, ama.

D. Antonium Fuggerum nostro no-
mine saluta. Louanij II. Aprilis
Anno 1542.

Io.

51
IO. IACOBVS
FUGGERVS DAMIANO
A GOES EQVITI LV-
SITANO.

Non opus erat apud me vlla excusatione Da-
miane amicorum amicissime, quod parum
amicē te in Munsterum stomachatum esse
scripseram. Id enim ex amicitia & verē sincero a-
nimo, quo erga te semper hactenus fui affectus, fa-
ctum esse credas velim. Ignorabam etenim ipsum
Munsterum tam atrociter in Hispanos debaccha-
tum esse, idq; nunc etiam miror, cur ausus fuerit
in illam tam vberem & præstantem occasus regio-
nem, quam ipse nunquam viderit, in qua nūquam
peregrinatus sit, tam atrociter præter vllam occa-
sionem, ignorans omnium rerum, ita temere in-
uehi, vt interim taceam qua temeritate in euul-
gandis adulterinis fidei nostrę libris (vt scribis) v-
sus est. Vt ita re cognita te non solum excusatum
sed ipsum etiam ob insignem eius temeritatem
plane odio habeam, & omnium doctissimorum
virorum acerrimo stylo perstringendum iudicē,
qui non solum de ijs quæ non viderit aut ex-
pertus sit, ita audacter & temere in publicum
proferat, sed etiam ea quæ ad sacrosanctæ fi-
dei nostræ sustentationem & augmentum perti-
nent, adulterari non vereatur. Sed vides & ipse
cognitum habes, quam peruersa aliquot an-
nis fuerint secula: vt nedum dicere, sed

D 2

& ty.



32
& typis committere quæuis somnia nonnulli ausi
sint. Deus Opt. Max. faxit ut propediem meliora
sequantur. Cæterum quod ad librum Lusitanicum
attinet, sedulo equidẽ egi cū Peutingero, ut mihi
eius copiam faceret, idq; tandem impetraui, ea ta-
men conditione ne cuiquam ostenderẽ, neue re-
scribi quicquam curarẽ; quod sanè pollicitus erã,
eam solam ob causam, ut quem tanti faciebat li-
brum non intellectum viderẽ, vidi & mox, ut fidẽ
dederam, ne quidquam suspicari possit restitui.
Nosti opinor hominem, decrepitũ, antiquitatis &
raritatis studiosum, qui ob eam causam libro ut
arbitror non intellecto delectatur, quod præter se
neminem habere credat. Agam tamen sedulo, ut
si quidquam impetrandum est à sene, hunc librum
eliciam, faciamq; pro viribus ut meam in hoc ne-
gocio diligentiam & sedulitatem non defuisse in-
telligas. His te cum coniuge quam optimè
valere cupio. Ex Augusta 8 Maij.

1 5 4 2.

DA-

33
D A M I A N I A
G O E S E Q V I T I S L V -
S I T A N I .

V R B I S O L I S I P O N I S
D E S C R I P T I O .

I N C L Y T O P R I N C I P I D O M I -
n o H e n r i c o , p o r t u g a l l i æ i n f a n t i s a c r o s a n c t æ
e c c l e s i æ R o m a n æ T i t u l i s a n c t o r u m q u a -
t u o r c o r o n a t o r u m C a r d i n a l i m e r i -
t i s s i m o , D a m i a n u s G o e s E -
q u e s L u s i t a n u s .

S. P. D.

Indicarum rerum historiam, in lucẽ
ut darem, cum crebris doctorum ho-
minum epistolis diu vrgeret, eam ex
exemplaribus colligere, atque dispo-
nere pridem cœperam, id quidem
mihi effectum iri posse, tunc pollicebatur otium meum
literarium, quo eo quidem tempore laute, & ci-
tra publicorum negotiorum onera utebar. Sed cum
mecum perpenderem, mihi id modo deesse, quod
summe in historia scribenda requiritur, ab incepto
destiti. Nam ei qui iustam, & absolutam histo-
riam scribere vult, in primis liberum, & vacuum
tempus tribuendum est, deinde animi quies, &
omnium munerum vocatio, postmodum magno-

D 3

1476



rum principum fauor, quo industria, & labor studiorum, premijs adaugeantur. Quocirca (praesertim cum neq, cura neq, negotio, carere possem) succisui tantum dierum horis, id quod continenti temporum decursa destinaram, concedere, & tribuere proposui, & curriculo mearum lucubrationum currens, Olisiponis vrbs descriptionem hoc tantum tempore componere institui, eamq, tuo duntaxat nomine illis inquam ipsis euulgare decreui, qui à nobis id flagitare nusquam destiterunt. In qua sane descriptione, quidquid ad ipsius vrbs originem, & ornamentum inuestigare valuimus, faciliori quam potuimus penicillo depinximus. Caterum opusculum hoc quale qualecunq, fuerit, sub tua protectione emittere consulto proposuimus, ut quae nostro huic labori desunt, nam forte multa deerunt, quae nos assequi non potuimus, ea tua animi celsitudine, & eximia doctrina, sic foueantur, proteganturq, uti ab alienorum laborum mordacibus, temereq, calumniantibus, nullo alio adminiculo suffulta, sese tueri, defendereque possint.

Vale.

VR.

VRBIS OLISIPO- NIS SITVS, ET FIGVRA,

DAMIANO GOE EQVITE

LVSITANO AVTHORE.

QVæ sunt vrbes nostra hac tempestate, quas iure oceani dominas, ac tanquam Reginas appellare possumus, quarum ductu & imperio totus oriens, occidentisque hodie nauigatur. Earum altera est Olisipo, quæ à Tagi faucibus eius oceani partis imperium sibi vendicat, quæ Africam, Asiamque immenso maris circuitu complectitur. Altera vero Hispalis, quæ à Bæti fluuio occidentem versus, quem hodie dicunt nouum orbem, classibus patefecit. Cuius describendæ partes, ijs cōsulto relinquimus, quorū scriptis, de huius noui orbis reperti ratione, multa forte memoriæ mandabuntur. Nobis vero, cum de situ, & vrbs Olisiponis statu constitutum sit solummodo scribere, non ab re visum fuerit, si antequam negotium aggrediamur, inde incipiamus, vnde ipsa res de qua scripturi sumus, nobilior effecta sit, nempe de inuento à nostratibus per æquora in Indiam itinere. Quæ res ut me-

D 4

mora-



morabilis, ita etiam in ea paulo nobis vagari licebit, atque etiam antiquorum testimonijs, studio nostro lectoribus aperire, quanta difficultas in hoc negotio, se semper obtulerit ijs, qui rem tantis periculis plenam, ausi fuerunt quouis modo tentare. Quocirca ab eo qui summo studio, summaque animi virtute rem tam præclaram nostris temporibus aggredi ausus est, exordium capiemus. Is enim inuictus ille Alfonsi quinti filius, diuus Ioannes secundus Lusitanorum Rex fuit. Ille quidem qui bello regnum suis vindicauit, pacemque libi regni hæreditatem multifarie turbatam restituit. Igitur cum regis indefatigatum animum Indicarum rerum desiderium vehementius agitaret, non nauibus solum ab illa parte litoris Aethiopici, quod ad ea usque tempora à nostris exploratum erat, eam Indiæ plagam, quæ ad ortum solis attinet, inuestigare proposuit, sed terrestribus etiam itineribus negotium auspiciari voluit. Quod quidem per homines Lusitanos singulari linguarum, rerumque notitia præditos, in eo libro quem de rebus Aethiopicis scripsimus, factum esse demonstrauius. In quo etiam studio, doctrinaque prudentissimi principis Henrici, oceani Atlantici, Aethiopicique insulas, & litora prius, multoque antea inuenta, lustrataque à nostris

stris fuisse, obiter tractamus. Proinde dum Ioannes ille adhuc viueret, industria, auspicijsque Bartholomæi Didaci, viri Lusitani, nauticæque artis peritissimi, frontem ei continentis parti contiguam, quæ recta ad montem Lunæ porrigitur, nostri inuenerunt. Quæ frons ab Oceano emergens, sinu Hesperico, Prassoque promontorio, immenso tractu terrarum, ad australem cæli cardinem, vtrinque protensa, gradum ferme quintum, & trigessimum attingit. Quibus terminis Ichthiophagorum videlicet, & Anthropophagitarum, nihil literis Ptolomæo cognitum fuisse constat. Quamquam Plinius Mela, Solinus, & Martianus, ex Iuba, Artemidoro, & Xenophonte Lampfaceno, & Nepote Cornelio, de Hannone Pœnorum Rege, & Eudoxo, alijsque qui hoc mare experientia, seu relatu nauigabile tradunt, scribentes, huius itineris notitiam olim fuisse, totumque ab Indis ad Herculeas columnas patefactum, cultaque eius litora esse testentur. Ac insuper testimonijs confirment. C. Cæsare Augusti filio in Arabico sinu constituto, Hispaniarum nauium, naufragio cietas fragmentorum reliquias apparuisse. In qua quidem sententia Herodotus eximius antiquitatum indagator, Græcos fuisse asserit, qui mare quod extra columnas vocatur Atlanticum, & rubrum, idem esse mare pro-



certo affirmant. Atque alibi Græci, inquit, qui Pontum incolunt, Oceanum confluere terram, pro comperto habent. Postmodum ex vetustissimis Aegyptiorum annalibus, hæc prodit. Nempe Necum ipsius gentis regem, cum à deprimenda fossa, à Nilo ad Arabicum sinum deslitisset, nauibus quosdam Phœnices misisse, quos iussit, Herculis columnis superatis, ad septentrionale vsq; mare penetrare, atque inde in Aegyptum cursum facere. Qui è mari rubro soluentes in australe venerunt mare, denique in Aegyptum per fretum Herculeum post biennium remearunt: & in hunc modum dicunt Græci Africæ litus primo in totum cognitum fuisse. Secundo verò, Xerxis temporibus Africæ promontorium Sata spem superasse scriptis confirmant. Qui admodum navigationis tædio confectus, ad columnas Herculis, vnde in Atlanticum Oceanum prodierat reuersus, in Aegyptum cursum tenuit, Denique Strabo ex Aristonico testatur, Menelaum per Gades circumductum, iter in Indiam fecisse. De qua quidem re, prolixius non agemus, ne longius, quam res ipsa postulare videtur, digrediamur. Illud quidem verissimum videtur, & ratione credibile, tam vastam, & periculis infinitis obiectam navigationem, ita tum hominum animos affectisse, vt semel inchoata, vel (si attigit) absoluta,

luta, nemo secundo rem tam arduam, vel potius monstrosam, aggredi auderet. Qui sanè tam immensæ peregrinationis cursus, nostratum, siue indefatigata indole instigante, siue auri sacra fame vrgente, tam denique modo frequens habetur, vt non maioris negotij nunc huiuscemodi nauigationem existiment, quam si in Britanniam, aut in Belgicam, ex Lusitania per Oceanum iter facerent. Huic verò repertæ fronti, vt ad inceptum redeamus, ob rem insperatam, Rex idem Bonæ spei caput nomen indidit: reliquum iam inde Oceanum Indicum nauigandi, occasionem faciliorem, sibi oblatam esse sperans. Cæterum naues illæ quibus Bartholomæum Rex præfecerat, multis casibus, aduersisque tempestatibus dissectæ, ipso Bonæ spei promontorio, vt antea demonstraui-
mus, superato, flumen ingrediuntur, cui Infantis flumen nomen inditum fuit, eò quod inter cæteras naues, vna cui Rex Lupum Infantem, virum Lusitanum præfecerat, omnium prima ad fluminis Ripam appulsa sit. Inde verò vltius progredi minimè tutum esse duxerunt, propterea, quod in tanta maris vastitate, itinerisque, & temporis intercapedine, gentem nullam reperissent, quæ tum nauibus vteretur, veriti ne si longius procederent, non Indos, genus hominum suapte natura



60 DAMIANI A GOES

tura cultissimum, ac disertissimum, sed alias nationes, terrasque barbaras, ac immanes offenderent, à quibus fortè etiam grauioribus incommodis premerentur, quàm quæ in ijs experti essent, quorum litora, portusque antea tetigissent. Qua re maturè pro rerum facultate, & prudenter animaduersa, mutata velificatione, in Lusitaniam reuertuntur. Id verò diuino potius quàm humano consilio accidisse crediderim, quod deuicti Oceani gloria, futuro regi integra, fato quodam, intactaque reseruari videretur. Interea quidem re infecta, Ioannes Rex moritur: nouisque rerum momentis occurrentibus, vti tum maximè fieri consuevit, Emanuel Regnum suscepit, statimque biennio postquam regni gubernacula suscepisset, cum omnia domi, forisque, à finitimis regibus tuta satis, ac pacata cerneret: quod à suis maioribus antea summo studio factum esse videbat, in id ipsum animum cepit intendere. Tres igitur parari naues, ac instrui iubet. Quibus Vasconum Gammam, genere Lusitanum, equestris ordinis virum præfecit. Qui comparatis rebus omnibus quæ ad tam longam profectiorem necessariæ videbantur, octauo Idus Iulij anno Dominicæ Incarnationis M. CCCXCVII. idoneum Aquilonem natus Olisipone soluit, celeriterque, concitatore vento in Indiam lætis auspicijs, sed im-

men-

OLISIPONIS DESCRIPTIO. 61

menso labore peruenit. Sed nos rebus ijs omnibus cum ipsa India omissis, ad institutū nostrum properemus: Olisiponem igitur quis primus condiderit, in tanta seculorum vetustate, pro certo nos affirmare non audeamus, quam tamen inter antiquissimas Hispaniæ vrbes, annumerandam esse, vetustissimi quique scriptores testantur. Hanc Varro Olisiponem, & Ptolemeus Oliosiponem appellant. Strabo verò Vlisseam, & ab Vlisse conditā esse, ex verbis Asclepiadis Myrliani videtur asserere. Is enim Myrlianus in Turdania ludo literario præfuit, atque de gentibus ipsius regionis librū conscripsit, prodiditque etiā Olisipone in tēplo Mineruæ, fragmenta quædam suspensa tūc extare, videlicet parmas, Apulstra, nauiumque rostra, Vlyssis errores indicantia. Ex quo sanè loco non satis liquere arbitrantur quidam Olisiponem ab Vlysse conditam esse. Nobis tamen tanti viri testimonio adhærere placebit potius, quàm illorum dicta comprobare, qui id nullo certo argumento cauillare conantur. Præsertim cum Solinus vir apprimè doctus ipsius Strabonis sententiam sit sequutus. Noster quoque L. Andreas Resendius vir doctorum omnium iudicio & calculo comprobatus, id multis in locis scriptorum suorum, & imitatur & confirmat. Sed quod ad nominis rationem attinet, ex quadam ipsius Resendij oratio-

tio-



tione, & ex multis vetustissimis tabulis in vrbe ipsa repertis, ab illoque collectis, facile liquet, scribi debere Olisiponem, per O & duplex iota, & simplex s. Erat autem Olisipo Romanis temporibus Romanorum ciuium municipium. Plinij grauissimi scriptoris testimonium hoc loco afferre non pigebit. *Municipium (inquit) ciuium Romanorum Olisipo, felicitas Iulia cognominatum.* Vnde autem nominis origo emanarit, temere affirmare non audemus. Id enim fortasse tam multis fabulosum videretur, quam illud Varronis, à Iustino iudicatur. In Lusitania vbi est oppidum Olisipo, monte Tagro, equas è vento suscipere. Cuius sententiam, & Plinius, & Solinus approbarunt. Quam tamen vt diximus, Iustinus his verbis mendosam esse enixè affirmat. *In Lusitania (inquit) iuxta fluum Tagum equas vento concipere multi authores, prodiderunt, quæ fabula ex equarum fecunditate, & gregum multitudine nata sunt, qui tanti in Gallecia & Lusitania, & tam pernices visuntur, vt non immerito ipso vento concepti esse videantur.* Quæ sententia nobis sanè non ita displiceret: nisi phisicis rationibus adniterentur probare, naturam ipsam, ex fœmineo tantum sexu, sineque talium congressu, multa gignere, & procreare solitam esse. Quem quidem Varronis locum D. Rodericus Archiepiscopus Toletanus, in sua historia, satis luculenter comprobat.

Mons

Mons verò Tagrus, cuius Varro meminit, meo quidem iudicio ille idem est, quem nos *Sintreum* vocamus, & à quo Lunæ promontorium in mare prorumpit, millia passuum ab Olisipone plus minus viginti, & quatuor. Quod nostris hodie Rocham appellari placuit, siue vt latinè dicam, Rupem. In cuius decliui montis, oppidum, admirabili loci amœnitate, cœlique clementia hodie conspicitur, ingenti ac munifico Regum Lusitaniæ domicilio nobilitatum, quod de nomine montis *Sintram* dixere. Mons verò diuersis ferarum generibus, auiumque, mirè abundans, pecori item pascendo propter singularem soli bonitatem, adeo est accommodus, vt cuilibet facile possit persuaderi, equas sine admissario concipere, Ad latus porrò huius montis, quod latus ab Oceano patet, vicus passibus circiter duobus millibus in colliculo positus est (*Collares* accolæ vocant) à quo hæud ita procul, sub rupe in pelagus procumbente antrum est quod accedente alluitur Oceano, fluctusque introrsus recipientes, salo spuma permisto, recipit in sese, & idem eructat ingenti vndarum strepitu, in quo Tritonem concha canere olim visum nostrum vulgus existimat. Quod ad locum quidè attinet, cõstanter quicquã affirmare nõ audeã. Propterea quod ab omnib. id litus propius legentibus, cerni facile, ac conspici possit



64 'DAMIANI A GOES
possit. Tritonem verò Tiberij Cæsaris tem-
poribus visum in Lusitania, auditumque fu-
isse, ita scribit Plinius. *Tiberio* (inquit) *principi*
nuntiavit Olisiponensium legatio, ob id missa, visum
auditumque, in quodam specu concha canentem Trito-
nem, qua noscitur forma. Nec verò illud silentio
prætereundum esse duximus. Nostro hoc
tempore plerisque in locis huic litori vicinis
quoddam hominum genus reperiri, qui &
natura, & nomine Marini ab indigenis vo-
cari cœperunt, ob eam præsertim causam,
quod hispidum quid in cutis superficie ge-
rentes, notas quasdam squammarum, ac tan-
quam reliquias antiqui generis, per totum
fermè corpus sparsas, præ se ferre, atque reti-
nere videantur. Eos enim ab hominibus ma-
rinis, vel Tritonibus, originem, genusque
traxisse, pro certo semper habitum est, eiusque
rei initium inde profluxisse à maioribus ac-
cepimus Tritones scilicet ad littus prosilire
interdum, atque colludere paulatim assuevis-
se, eosque fructuum dulcedine delinitos,
quorum in ijs locis maxima est copia, eo-
dem reuersos sæpius, ineffabili quodam inco-
larum astu, eorum aliquot interceptos, ac po-
stea blanditijs ad exultum, manluetumque
genus vitæ traductos esse. Et quidem si fabu-
losum videbitur, domestica familiaritate,
vocales reddi Tritones potuisse, insuperque
cum Lusitanis consuetudinem vt haberent
esse.

OLISIPONIS DESCRIPTIO. 65
effecisse, fabulosius sanè mihi erit, barbarum
incultumque Tritonem, in Africa, in palude
Tritonide, profuisse, accum Græcis garri-
tem, ab Iasone tripodem, quam Delphos as-
portabat, vt syrtium periculis, suo ductu e-
uaderet, sibi dari poposcisse. Nostri verò
temporibus, vt efficacius testimonium in
medium afferam, piscator quidam, dum in-
ter scopulos Barbarij promontorij, filo, ha-
moque, iuxta D. Viranis facellum, pisces capere
contendisset, derepente ex vndis in scopu-
lum, mas Triton exiliuit, barba prolixa, cri-
nibus oblongis, pectore hispido, facie non
admodum deformi, absolutaque hominis
forma. Qui cum paululum apricatus esset, &
hominem à tergo, ipsius formam contem-
plantem, inspexisset, voce non dissimili pro-
lata, territus confestim in salum se submer-
sit. Hæc piscator de Tritone, siue homine
marino cupidis audiendi, compto ordine ac
sermone, hodierna die enarrat. Deinde pau-
cis ab hinc annis, hanc procul à Lunæ pro-
montorio, vt nobis retulit Ferdinandus Al-
uarus domus Indicæ scriba, vir integræ fi-
dei, qui iuxta illud litus rusculum habebat,
cuique vicinus erat vir probus, minimeque
fallax, is enim vicinus per sæpe piscandi gra-
tia, se in quosdam litoris scopulos confere-
bat. Ibi cum negotium die quadam feliciter
succederet, (vt Ferdinandus ab eo ore tenus

E

ac-



accepit) pisces quos hamo capiebat, à tergo sui in arinum scopuli anfractum, quo tutius asseruarentur, proijciebat. Quod quidem persæpe inculcans, interdum nudum adolescentem imberbemque per anfractum conspiciebat. Attamen cum in illo loco, circum vicini incolæ frequenter nare consueuissent, credebat ex ijs aliquem fortè esse. Cui, cum intentus piscationi esset, nihil verbi faciebat. Tandem intentius animaduertens, adolescentem pisces manu capere, & ad os deductos edere inspicit. Quare commotus occurrit, hominem petiturus. Qui violento cursu, cachinans, ridensque, in fugam sese proripuit, pelagoque vrinans sese submersit. Eodem ferme tempore, è regione vrbs, pelago interiecto, non procul ab oppido quod *Barrerium* nostri nominant, iuxta Alfonso Albuquerque viri patricij villam, similis formæ hominem marinum ex animem æstus maris in litus eiecit. Præterea in antiquis regni archiuis, quibus ego ipse præsum. extat adhuc compositionis chyrographû vetustissimum, inter regem Alfonso tertium, & Pelagium Petreiû, equestris ordinis D. Iacobi magistrum, transactæ, qua decretum fuit, nõ magistro ordinis, sed regibus deberi vectigal Syrenum, aliarumque belluarum, in ipsius ordinis litoribus captarum. Vnde

fa-

facilè colligitur Syrenes, cum de eisdem lex lata fuerit, frequentes olim in nostris æquoribus fuisse. Sed hæc hæc hactenus de Tritonibus, Nereidibus, Syrenibusque dicta sufficiant. Cæterum, vt ad institutum reuertamur, scire oportet, vt paulò antea diximus, nobis de nominis vrbs Olisiponis origine, & causa, nihil certi constare, imò nec quicquam, quod ad ipsius pristinam memoriam spectet, nec item ad res in ea olim gestas, inter Græcos, Latinosue authores reperire potuisse, cum minimè dubium sit, in ea ciuitate in qua hodierna die tot elogia, epitaphiaque latinis characteribus, lapidibus exculpta extant, in ea ipsa, multa & præclara facinora transacta prisca temporibus etiam fuisse, quibus nostrum hoc commentarium ornare, lustrareque valuissemus. Sed cum illa omnia, vt ratione licet credere, temporum iniuria potius, quàm scriptorum incuria fortè periissent, ex nostris tantum Lusitanicis annalibus, cum altius nihil, quod minimè fabulosum videatur, repetere audeamus, exordium faciemus, Et post illam miserandam cladem, qua fermè vniuersa Hispania à Mauris occupata, Christi fidem deseruit, quomodo iterum ipsa Olisipo Christo initiata fuerit, demonstrabimus. Quæ res sic se habuit. Cum olim as-

fiduis



fiduis incursionibus Mauri Hispaniam impeterent pij ac Christiani homines vndique opitulandi gratia eo confluebant, Regibus suam operam offerentes. Accidit tunc inter alios D. Raymundum Tolosatium Comitem ad Alfonso Castellæ Regem, electum imperatorem, subsidio venisse: Cui Henricus eius ex sorore nepos, huius expeditionis comes fidissimus fuit. De cuius Henrici ortu, inter authores non satis conuenit. Nam Castellani scriptores eundem Constantino-politanum esse aiunt. Galli autem ex Lotharingia pro manasse asserunt, nostri verò ex Hungaria originis seriem deducunt. Atamen nulla certa ratione omnes, id quod dicunt, demonstrant, qua nos quicquam audacter confirmare possimus. Cæterum ob ingentia istorum principum merita, Alfonso Rex, Raymundo Orracam, Henrico verò Therasiam, filias in matrimonium collocauit. Et quidem Henrico & Therasiæ, Portugalliæ comitatum in dotem dedit, cuius provincie eo sanè tempore, præcipua pars à Mauris occupabatur. Ex Therasia, Henricus Alfonso suscepit. Is Alfonso post multa, & præclara facinora, pro Christi fide acta, cum quinque potentissimis Regibus Mauris in campis Oriensibus apud castrum viride conflicturus, quos vnico prælio deuicit, à suis militibus, in ipsis castris vnico temporis

mo-

momento, Rex electus, creatus, iuratusque fuit, & quidem reluctans, id contumaciter cunctis asserentibus, non decere strenuos milites, tam arduum, contra præclaros reges prælium inire, nisi sub regum vexillo. Affirmant nostri scriptores, ipsum Alfonso, anteaquam prælium iniret, Christum in cruce appensum in æthere conspexisse, ei victoriam pollicentem, atque ducem fide flagrantem ita respondisse. Domine cum certosciam, te filium Dei esse, mundi que verum seruatore, non est quod te mihi demonstras. Vade ergo, inquit, & hostibus tuæ religionis, te ea lege ostende, vt nos tantis malis careamus, ipsique credant cognoscant que tua, tui solius nece, mundum viuere, & saluum esse. Ob quod miraculum, scuti basi, quod albi duntaxat coloris, tunc temporis Alfonso ipse gestabat, quinque ceruleos clypeos, pro deuictis quinque regibus, clypeis que cunctis, in Christi plagarum memoriam, quinque alba puncta, quincunciali ordine Rex ipse subnexuit. Quibus signis ab eo usque tempore Lusitanie Reges summa cum reuerentia vtuntur, ea que continuò ob mysteriorum gloriam omni debito honore deosculantur amplectuntur que. In quibus illud etiam mysterij, scitu dignum, inest, quod si quinque præfatis clypeis, numerum omnium punctorum adiungas, rationem triginta de-

E 3

na-



nariorum reperies. Quo quidem pretio, orbis redemptor Christus, à Iuda Iudæis venditus fuit. Igitur affecti sunt Lusitaniæ Reges, ex tam insigni victoria, ea signorum tam gloriosa mysteria. Quæ signa ut cœlitus à Christo cōcessa fuere, sic ipsi ducibus, nobisq; sub eis militantibus, ipsius Christi fidē in immensum per vniuersum orbem, longius, latiusq; quàm vnquam fuit, nostraq; industria, & labore propagata, euulgataque hodierna die est. Porro, ut ad scopū reuertamur, cum Olisipo ab hoc rege Alfonso obsideretur, & bello diu præliando, cōfligendoq; oppugnaretur, Christi fidei anno ipsius Christi natalis 1147. restituta fuit. Cui bello etiā nonnulli peregrini milites ex varijs Europæ partibus religionis causa interfuere, quorum non pauci dimicando desiderati sunt. Nec defuere qui ex ijs miraculorum argumentis, loco sanctorum habiti sunt, inter quos quidam Henricus fuit, natione Germanus, Bonnæ natus, oppidum est ad ripam Rheni, non procul à Colonia Agrippina constitutum, cuius Henrici meritis Deus multa & præclara miracula dignatus est facere, ut nostri annales testantur. Hoc Rege Alfonso regnante, non multis diebus post expugnatam Olisiponem, corpus D. Vincentij Leuitæ & Martyris, in ipsam urbem, ex sacro promontorio, ubi diu latuit, relatum est, & in fornice summi templi,

pli. summa cum reuerentia hodierna die asseruatur. Quam rem diffusè Resendus noster graui carmine prosequutus est. E regione necuius monumenti, Alfonsi quarti Regis, sepulchrum extat, eius inquam qui anno Christi 1340. Alfonso Castellæ Regi suo genero Iuculentum contra Alboacem Maurorum potentissimum Regem subsidium tulit, cruentissimoque ad flumen falsum prælio, aduersum eundem Alboacem præfuit, & gloriose victor, cognomen Ad falsum victoris vulgo obtinuit. Ob quam causam ipsius Regis mentionem non displicuit nobis hoc in loco facere. Ad radicem verò huius summi templi, paulò inferius Occidentem versus, interposita platea, sacellum diui Antonij, quem Paduanum vocant, admirabili structura, & mira elegantia elaboratum, sese nobis offert, olim ipsius diui Antonij parentum habitaculum, in quo quidem ipse natus, educatusq; fuit, ex cuius natalibus non mediocriter, sese vrbs Olisipo extollit, & meritò quidē cū inter cœlites tā dignè omniū Christianorum cōsensu, sic annumeratus relatusque sit, ut Deo totius Christiani populi sententiam miraculorum fide cōfirmante, ipsius beatiss. Antonij nomen per vniuersum orbem cognoscatur, & reuerēter ubiq; gentium ab omnibus eius memoria colatur, celebretur-



que. Super cuius sacelli epistylum domus
 ciuica, seu vrbana curia constituta est. De cu-
 ius ordine, serieque regiminis, multa & præ-
 clara dicere potuissemus, si id alienum à no-
 stro instituto non videretur. Quamobrem
 ad ea quæ polliciti sumus redeamus. Igitur
 antiquæ vrbis Olisiponis situs, collem excel-
 sum, ad Tagi Ripam deductum vsque, anti-
 quitus solummodo occupabat, nunc verò
 plures montes, ac valles, magnitudine ample-
 ctitur. Cuius potissima, celeberrimaque pars
 Orienti opposita est: qua potissimum parte,
 suscepto iam Tago, pelagus in latitudinem
 millia passuum sex patet. Ex aduerso latere
 duo sinus efficiuntur: quorum vnus, Aquil-
 onem versus introrsum reductus ad fre-
 quentem hac tempestate vicum *Gallecum* no-
 mine, alter verò ad meridiem paulum defle-
 xus, ad vicum *Conam* quotidianas habent na-
 uigationes. Ab eodem vero latere paulò in-
 ferius, oppidum *Almada* situm est, in extre-
 mo frontis, quam Cornensis sinus obliquo
 circuitu emittit. Quo quidem loco pela-
 gus à licentiosa sinus vastitate paulo co-
 arctatur. Illincque ad vrbem traiectus
 est, passibus paulo minus, quam milli-
 bus quatuor. Ripa verò lateris eius ferè
 præcipitio in mare descendens, ac dorso
 in arcus similitudinem ad meridiem sese incli-
 nans, ad Barbariū promontoriū extenditur,
 Mo-

Medijs his anfractibus, sinuosa, deuia, quali
 syrtes inter sunt: in quibus aurum arenis in-
 uolutum nostri conquirunt, eo præcipue lo-
 co quem *Addiciam* nuncupant: quod item ple-
 risque locis in ipsa Tagi ripa fieri consuevit.
 Nec à veterum sententia discrepat, qui Ta-
 gum auro, gemmisque affluere scripserunt.
 Ab hoc rursus Barbario promontorio, ad ci-
 teriorem litoris partem, quæ occasui subie-
 cta est, in mare progreditur lunæ promon-
 torium, à quo ingenti flexu, veterū Turdulo-
 rum fines exoriuntur. Quod litus in hanc vs-
 que ætatem, à nostris, vetus appellari consue-
 uit. Interius. nò magno deinde interuallo, in
 extimo Olisiponēis sinus ostio, fanum Vir-
 gini matri, quam Ductricem appellant, dica-
 tum, in scopulis inspicitur, vbi nocturnis
 facibus accensis, nauigantibus iter noctu præ-
 monstratur, ne locorum ignari, ad vada,
 scopulosque vicinos, naues allidere cogan-
 tur Interiora legenti Aquilonem versus, op-
 pidum *Casiale* situm est, quo naues, onera-
 riæ in anchoris consistentes, accedente ma-
 ris æstu, auram operiuntur, portu vadoso alio-
 qui, & anfractuoso. Modico inde interuallo,
 aduerso etiam flumine, sinus in cubiti formã
 efficitur, in cuius fronte sacellum est diui Lu-
 liani, supra quod aliud diuæ Catherinæ sa-
 crum. Tum eodem latere obliqua ripa, pro-
 prius ad vrbem accedēti, Bethелеem Oppidu-
 lum,



lum, & ibi templum iogens diuæ Virgini dicatum, vna cum cœnobio monachorum, qui diui Hieronymi vitæ institutū professi sunt, se se offert, incredibili sumptu, ac magnificētia, constructum, diui Emanuelis regis monumentum, quod dum viueret, sibi ipse designauit erexitq; Magnam tamen ipsi operi accessionem Ioannes tertius Emanuelis filius, qui nunc feliciter regnat, & fecit, & facere nō cessat. De qua re extat ibi in arcu celebre Resendij nostri bessalibus literis tetrastichon, quod quia à multis externis hominibus eo accedentibus describitur, ponere non graua bor.

VASTA MOLE SACRVM DIVI-
NAE IN LITORE MATRI.
REX POSVIT REGVM MAXI-
MVS EMANVEL.
AVXIT OPVS HAERES REGNI
ET PIETATIS, VTERQVE.
STRUCTVRA CERTANT, RE-
LIGIONE PARES.

Turris verò ex aduerso, quatuor tabulato-
rum extat, quadrato extructa saxo, quam
ictis in mare molibus, ipse etiam Emanuel
Rex in edificari curauit, vti salo vndique cir-
cundata, ab omni subita hostium vi, & im-
pressione, tuta redderetur: nullæque naues,
ijs

OLISIPONIS DESCRIPTIO 75
ijs inuitis, qui turris præsidio impositi sunt,
propter angustias, ad urbem propius au-
derent accedere. Hinc autem ad primum
urbis cornu, trium millium passuum in-
terest spatium: quo excursu crebra villa-
rum suburbanarum ædificia, mira elegan-
tia & amœnitate cōstrueta, licet cernere. Ru-
ra item, ac pascua, præter maximam omnis
generis fructuum copiam, summam etiã pul-
chritudinem, ac iucunditatē ipso aspectu præ-
se ferentia. Quod si singula quæ in urbis am-
bitu insunt, persequi vellem, res profecto me
longius quam oportet distraheret. Qua pro-
pter ab instituto non longe discedamus. Ur-
bis igitur Olisiponis initiū, ab hac parte, qua
meridiem respicit, vetus regia amplissima,
magnificoq; opere pulcherrima, efficit, quã
Ad Sanctos nostri nuncupauit. Nomen in-
ditum loco, quod longo temporis spatio,
corpora sanctorum martyrum Verissimi,
Maximæ, ac Iulix ibi recondita fuerint, do-
nec sub Ioanne rege eius nominis secundo
translata alio fuere. Qui quidem diui, dum
Christum dei filium orbisq; seruatorem cō-
stanter profiterentur, sub Romano præside,
Olisipone passi sunt. Inde obliquo aggere,
saxoq; constructo ad vestalium tēplum, cui
diuæ Mariæ Spei nomē est, per clium sen-
sim depressum itur: vnde rursus eadem via in
aduersū montē conscēditur, Cuius in tergo,
sa-



facellum diuo Rocho nuncupatum, conspicitur. Eodē deinceps tractu, in vallem amoenissimam, mœnibus vr̄bis contiguā, hortisq; vndique confitam, est descēsus: quæ à sacello Eremitarum, diuo Antonio consecrato, nomen olim sumpsit Nunc verò ijs exclusis, ab adnūtiatione angelica deiparæ virginis facta, nomen habet, & à vestalibus Dominicani instituti inhabitatur. Mox pari accliuitate collis nascitur, densissimo oliueto obsitus, vt nō facile introrsus inspicī possit. A superiori vero parte apertus, & sacello diuæ Annæ, recens dicato, ornatus, quod summa cum religione, & reuerentia, magna item populi frequentia, ab omnibus hodie visitur, & colitur. Ab hoc subinde per agrum compascuum, leprofaria, foroq; boario interiectis, in aliam vallē non minus fertilem, iucundamq; deuenitur. Quæ Maurusia nuncupatur, ex eo quod post recuperatam de Saracenis vr̄be, eo loci permisi sunt Mauri habitare. Cuius sinistra partem, quæ ad septentrionem vergit, vbi campi diuæ Barbaræ incipiunt, angelorum facellum diuidit. Supra vallem hanc orientem versus, mons excelsus imminet recto, difficilique ascensu, à quo fanum diuæ Mariæ Montanæ, quod in summo mōtis culmine situm est, nomen accepit. Ab hoc præterea modico flexu, vtcunque directo itinere, ad vr̄bem reditur, statimque obuium fit templū vetustissimum

Augu-

Augustinienſium monachorum, diuæ Virginis gratiarum sacrum, introrsus eidem vr̄bis muro adhærens. Ex inde porro præteritis ditissimo cœnobio Vincentio leuitæ & martyri dicato, canonicorum diui Augustini, atque Gymnasio non ita pridem celebri, antequam Rex Ioannes Tertius illud Conimbriam tranſtulisset, ad ripam Tagi decurritur, quæ aquilonare vr̄bis cornu ab ea parte efficit. Qua parte amplissimum, nobilissimumq; vestalium diuæ Claræ cœnobium, ad fluminis crepidinem ferme attingit: indeque auerso itinere, sacelloq; diuæ virginis paradisiacæ interiecto, ad primam vr̄bis portam, quæ Crucis dicitur, iter est. Ab illo autem Claræ templo ad regiam veterem quam Ad Sāctos antea nominari diximus, vbi meridionale vr̄bis cornu posuimus, rectus margo, secundo mari ab oriente æstiuo incipiens, in meridiemque excurrentis, millia passuum tria ferme efficit. Eo igitur modo, latus hoc vr̄bis mari alluitur, reliquæ tres partes aditum habent à terra. Itaq; collibus quinque, vallibus totidem feracissimis, & iucundissimis, vr̄bs tanto spatio complectitur, ita, vt vniuersus eius ambitus septem millibus passuum designari possit. Certam autem eius formam descriptionemq;, facile deliniari posse non arbitror, cum in solo montoso, alperoque sita sit. Nihilominus si quis ex oppido Almada,

quod



78 DAMIANI A GOES

quod contra in vltiore sinus parte positum esse docuimus, rectis immotisq; oculis, vrbis situm figuratumq; velit contemplari, ab ea præsertim parte, qua in urbem traicitur, illam certe veram vesicæ piscis effigiem referre comperiet. Quod si solum omnibus ex partibus planum esset, à latere terrestri, formam arcus demonstraret. Interioris vero vrbis amplitudo & magnificentia, tanta est, vt cum cæteris omnibus Europæ vrbibus, & hominum multitudine, & ædificiorum pulchritudine, & varietate, merito contendere possit. Domorum siquidem amplius quam viginti millia inesse constat. Earumq; ingens multitudo, tam principum virorum, nobiliumque, quam etiam priuatorum hominum, eleganter, & sumptuose prope incredibili constructa est, adeo, vt etiam parietes intrinsecus, fornicesque, ligno Sarmatico vndique vestiti, vermiculato opere, auro, variisque coloribus adhibitis exornentur. In litore, fontes quâ plurimi ex diuersis vrbis partibus per ductus subterraneos oriuntur, è quibus populus aquationem facit. Eorum vnum Regium nominant, marmoreis columnis, ac fornicibus eximie constructum, sexque fistulis tanta aquæ copia profluentem, vt vnus, vniuersæ hominum multitudini potum pene suppeditet. Hic autem saporis, & splendoris, & lenitatis præ-

itan.

OLISIPONIS DESCRIPTIO. 79

stantia, omnium fontium, quos vsquam me videre meminerim, aquam aut æquat, aut superat, Tepidâ etenim cum effundat, paruoq; ipsa post temporis momento resederit, tum purissima, frigidissimaq; suauissimè bibitur. Duo præterea fontes haud ita procul, emergunt maximis aquæ scatebris, in mare breui admodum fluxu prorumpentes. Quod si longiori distarent à mari interuallo, multæ frumentariæ molæ tanta aquarum vi atq; impetu, quouis anni tempore facile agerentur. Cæterum lotricibus, alutarijs, fulonicisq; opificibus, plerumq; seruiunt. Nô multo deinde interiecto spatio portam crucis versus, fons alius, aut vt verius dicâ stagnum emergit: qui Equorû dicitur, propterea quod per ænea statuarû equestriû labra, aquâ ore affatim vomētū, instar fluuioli cursum tenet. Sunt deniq; diuersarum aquarum salientes, fontes, puteique non pauci in omni parte vrbis, magnâ civibus cōmoditatē afferentes. Quos omnes in præsentis sigillatim enumerare, non huius instituti multum interesse videtur. Ad reliqua igitur vrbis ornamenta breuiter, ac summatim delibanda veniamus. Atq; vt antiquâ in summa arce regiâ, quæ in editiore vrbis parte posita est (opus ipsam antiquitatem vere repræsentâs) omittamus, Oliipo septem in primis ingentibus ædificijs singulari regum nostrorum consilio, sumptuque incredibili magni



magnificentissimè extructis, hoc tempore illustratur. Horum primum, vt à religione initium faciamus, Misericordię templum est, quadrato vndique lapide eleganter extructum, non infinito prædioru mcensu, ac prouentibus annuis vberrimis, quemadmodum pleræque omnes nostræ ætatis Basilicæ, sed sola optimatum, ac piorum hominum benignitate ita sustentatum, vt prope fidem superet, quantum in annos singulos ex collatitia stipe, in pauperes impēdāt. Huius qui curam gerunt, sodales, siue vt expressius dicam, fratres Misericordiæ nuncupantur, quibus, propter & generis, & nominis claritatem, & summam etiam pietatis probitatisq; existimationem, negotium defertur. Siquidem illi omnes communi consilio parique animorum voluntate, illud Misericordiæ ærarium administrant: quod ex fortuitis tantum modo hominum piorum largitionibus, elemosynisque conflatum est. Ex quo summa sodalitijs fide & integritate, nullo habito personarū delectu egentium omnium inopiæ consulitur, ac prouidetur, præsertim puellarum pupillarum, quibus inde, iuxta cuiusq; qualitatem, dotes in matrimonium conferuntur. Tum etiam eorum qui graui aliquo incommodo, aut calamitate pressi, vitam in mæore rerumque angustia trahere coguntur. Quo fit, vt multorū tam incolarū, quā exterorum

men-

OLISIPONIS DESCRIPTIO. Si mentes, ad largiendū alliciat, perpetuus ille ordo, incorruptaq; ratio ærarij quotannis in pauperes exhauriendi. Nihil enim in eo pecuniæ vltra annuū tempus asseruari fas est, nec item proventus habent, nec ex instituto legibusq; sodalitijs habere licet. Quod sanè eo magis admiratione dignum videtur, quod ex ærario amplius viginti quatuor, aureorū ducatorum millib. in singulos annos constet egentibus erogari. Quin nonnullis annis numerum quadraginta millium æquasse vel superasse, compertum est. Secundo loco sequitur alterum Misericordiæ, ac humanitatis exemplū, Valetudinariū videlicet commune pauperū, infirmorūq; hominum, nomine Omnium sanctorū, nō magnificentia ædificiorū, nō sumptuū magnitudine, non deniq; benignitate erga pauperes, varijs corporis morbis conflictatos, & expositos infantes quos nutriendos alendosque curat, priori illi cedens. Id quatuor diuiditur claustris, hortisque amcenissimis, porticibusque quatuor & triginta, quibus circumcirca continēter adhærent ædes magnificæ, triclinijs, lectis, culcitrisque mundissimis decenter ornatae. Ibi pauperes ægrotantes benignè, liberaliterque excipiuntur: nec nili recuperata in integrum valetudine, inde dimittuntur, dato insuper quibusdam viatico, quo se non paucos dies, dum firmiores, valentioresque effecti

F

fue-



82 DAMIANI A GOES

fecti fuerint, sine villo labore ac molestia subleuare possint. His porrò quæstorum, curatorum, medicorum, pharmacopolarum, cæterorumque ministrorum domus rectè distinctis ordinibus coniunctæ sunt: vt infirmis, si quis casus necessitasue acciderit, præsto semper adsint, diesque noctesque pro se quisque sedulo diligenterque inferuiant: adeo vt inter reliqua regia xenodochia quibus amplissimis celeberrimisque Hispania passim præter cæteras orbis Christiani prouincias referta est, nostrum hoc facile principatum sibi vendicet. Pro huius verò foribus campus patet apertus, planus vndique, quadrato ædium pulcherrimarum ordine circūdatus, à quo diui Antonij & Maurus valles, quarum supra mentionem fecimus, in Δ literæ figurâ se contingunt, ac diuersis postea plateis in corij bubuli similitudinem detracta cauda, explicantur, mare versus decurrentes. Ad dextrum deinde eiusdem xenodochij latus, medium inter aquilonem & occidentem, diuî Dominici templum situm est, ac collegium celeberrimum, cuius ex aduersa fronte campo interiecto occidentem versus, tertium extat monumentum, à Diuo Petro, Ioannis regis huius nominis primi filio, sumptu publico cõstructum, domus reuera amplissima, mirificoque opere admodum conspicua. Quam eo tantum cõsilio inibi, dum nomine Alfonsi

quin-

OLISIPONIS DESCRIPTIO. 83

quinti, sui ex fratre nepotis, regni regimen sustinuit, extrui imperauit, vti exterarum gentium regumque legatis, eo loci hospitium præberetur: publicisque sumptibus ibidè liberaliter magnificeque exciperentur. Inde si recto itinere ad litus ire perrexeris, relictis ad dexteram in loco eminentiore cœnobijs Carmelitarum, Franciscanorum, ac ordinis Trinitatis, magnifica, sumptuosaque structura nobilissimis, regiam nouam plateam, anagliptarijs, annularijs, cœlatoribus, vascularijs, fabris argentarijs, & ærarijs, aurarijs, item argentarijsque refertissimam, præteriens, in aliam eodè pariter nomine nouam mercatorum, continuo flectens ad læuam, deuenies, cæterarum omnium longè latissimam, ædificijsque pulcherrimis, vtrinque exornatam, Illuc omnibus ferè ex partibus orbis, & gentibus, quotidie mercatores certatim cõueniunt, maximo hominum concursu atque frequentia, propter cõmerciorum portusque opportunitatè. Eadèque via contra septentrionè progredièti, ad læuam portorium vetus obijcitur: vbi pro mercibus importatis publica regi vectigalia nuper pendebatur. E regione huius portorij forū quod veteris pali vocatur apparet, in quo semper nò pauci hoies mēlis assidētes reperies, quos notarios vel librarios vocare possimus, nullis tamè ciuitatis ministerijs obligatos. Hi omnes ex hoc vitæ genere sibi alimentum sup-

F 2

pedi-

84 DAMIANI A GOES
peditant, quod omnium accedentium, mentesque
suas explicantiū, sensum assequantur, ordine
que in eodem ipso loco, subito schedis, scri-
bant petentibusque; dato pro ratione materiae
pretio, tradat, in tantum, ut literas, epistolas-
que amatorias, elogia, orationes, epitaphia,
carmina, laudes, paratalia, petitiones, syngra-
pha, & cuiuscunq; generis alia quae ab eis po-
stulaueris, ad ea habeant dispositum scribendi
stilū, quod nullibi in totius Europae urbibus
fieri vidi. Vnde Olisiponis magnitudinē, &
hominū frequentiam facile quis iudicabit. De-
hinc recto itinere ad templū Misericordiae,
de quo iam diximus, iter est, contraque eius ve-
stibulum ex orientali latere, quartum appa-
ret aedificium, regis Ioannis hoc nomine ter-
tij, perpetua memoria dignissimum. Duplex
nempe magnificarum aedium structura, toti-
dem porticibus, utrinque triginta duobus ar-
cubus, octogintaque cellis exornata, angusta,
aequalique areola interiecta: quam domum
frumentariam reipublicae, ac quasi Lusitaniae
nutricem merito nominare possis. Ea liqui-
dem mente horreū ibi publicum à rege opti-
mo ac prudētissimo constitutū est: ut sublato
frumēti leguminūque; omnium portorio quod non
sine fisci magno detrimēto, ipse omnium regū
Lusitaniae primus plebi elargitus est, speque
ingētis quaestus mercatorib. pposita, frumē-
tum vndiq. ab eis conuehitur. Eo pacto bre-
ui

OLISIPONIS DESCRIPTIO 85
ui plebs annonae caritate subleuatur. Quod
sane magno reipublicae comodo factum esse
nuper experti sumus. Post huius tergū, nouū
portorium inhæret, ipsam maris crepidinē at-
tingens, immanis quaedam lapidū moles, tignis
trabalib. cōfertim immixtis, ac fistucationib.
in mare adactis, suffulta, regisque eiusdem iussu
sumptuque constructa, cui merito ob edium
magnificentiam, & operis pulchritudinē, quin-
tum in hoc ordine locum tribuendū esse du-
ximus. Eodem tractu secundo mari, campus
latus admodum inest, à noua portorij, hor-
rei que structura, tū à septentrionali, tum ab
occiduo latere, pulcherrimarū aedium serie cir-
cumseptus, tum maxime à meridionali, por-
ticum iucundissima aspectu, ad litus usque orna-
tu summo, deductus. Nam aliud latus quod ori-
entem hibernum respicit, mare includit. In
eo forum inest piscarium, vnaque forumque;
cupedinis constitutum, quo cetarij, factores,
cupedinarij, sanij, panifices, dulciarij, grega-
ti quotidie cōcurrunt, omnia quae ad urbem
vescendi causa afferuntur, vendentes. Præte-
rea, propolarū, institorū, cauponum, stabu-
lariorū, linteonumque; tabernae ibidem instru-
ctissimae visuntur. In hoc verò piscario foro,
certa quātitas corbiū deposita est, magistra-
tū edicto, quib. cimbris piscatorijs appulis,
pisces à media stinis in forū ad venditrices ad-
uehuntur. Hi quidem corbes singulis annis à

magistratu, piscatoribus, plus minus, duobus millibus ducatorum locatur. De qua sane re, an causa adaucti vectigalis, ciuitati congratuler, an tam latentem tyrannidis speciem reprobé, dubius & perplexus sum. Nec huic loco talia conserui, nisi vt vrbis opulentiam externis hominibus patefacerem. In huius verò campi occiduo sinu, eodé piscario foro à tergo relicto, mercatoq; panificum, holitorum, fructuum venditorū, aucupumq; interiecto, nec nō macello, domus quā nostri Septensem nominant, sita est, in qua regij præfecti negotia ad bellum Africanum spectantia expediūt. Nō procul præterea ab hac domo, cōtiguo eđiū ordine, sextū monumentū, opere admirabili factū extat: præda spolijsq; multarū gentiū regūque refertissimū, q̄ ab Indicis negotijs, quæ ibi pertractātur, domū Indicam vulgus nostrum appellat. Attamē meo quidē iudicio, aromatū, margaritarū, carbunculorū, smaragdorū, aliarūque eius generis gemarum, quæ quotānis ad nos ex India deportātur, emporiū copiosissimū, tū auri quoque & argēti facti infectique, horreū amplissimū verius appellare poteris, q̄ cellas ibi q̄ plurimas miro artificio atque ordine distributas, maxima omniū harū rerū copia affluētes, ab omnibus conspici posse palam est, vt me hercule, fidem res superatura sit, nisi id omnium oculis obijci, manibusque in horas

pene

pene contrectari videremus. Proinde ex regia, quam ibi desuper D. Emanuel amplissimam, & sumptuosissimā sibi fabricatus erat, porticus latissima velut musculus, vt demonstrauimus (à qua cāpus de quo paulò ante mentionē fecimus à meridionali latere sepitur) in mare prorumpit, in cuius fronte ad Orientem versus, turris vndique quadrato saxo mirè exulta, litori imminet. Ad hoc ibidem in ipso litore aliud ædificium opere mirabili à fundamentis modò facere coepit potentissimus Ioannes III. Rex dominusque noster, q̄ cū Deo diuisq; ppitijs ad exitū pduxerit, octauum; locū ciuitatis ornamēti obtinebit, ac reliquis omnib. palmā facile præripiet. Postremò ei regie, q̄ diximus Emanuelē ædificasse, è regione huius nouæ instructuræ, occidentem versus, platea interposita, contiguum est septimū, vltimūque publicum monumentum, cellis quā in plurimis, ac triclinijs quaquaversum artificiosè fabrefactis instructum, vt ob interiorum ædium multiplices recessus aditusq; diuersos, Labyrinthum esse verè existimes. Ibi Reges nostri armamentariū ingēti armorū omnis generis copia refertū cōstituerunt, machinarū itē & tormentorū, tū rerū omniū quæ ad bellū terramarique gerendū pertinēt apparatu, adeo instructū, vt ceteris omnib. q̄ Europa Asiæ hodie instructissima copiosissimaq; hère fertur

F ↑

que



quorum optimam partem vidimus, & multitudinem machinarum, & infinito armorum telorumque numero facile praestet. Id vero hoc argumento me cuius facilius probaturum puto, quod rex in ordinarijs tantum navalibus expeditionibus, naues plures ducetis omnium generum perpetuo instructu, optimeque armatas in Asia, Africa, Europaque habere cogitur. Tribus autem harum aedium cellis, quadraginta millia pedum armatorum corpora, ac tria millia catapultarum integra quasi ex deposito diligentissime, nitidissimeque custodiuntur, praeter ea quae ad quotidianos & extraordinarios motus depromuntur. Bombardici quoque generis, Mortarios, Scorpiones, Basiliscos, Leones, Colubrinos, Camelos, Petrarios. Dispersores, Ruptoresque in usitatae magnitudinis, & ponderis, tum reliquorum etiam vulgarium missilium, quos Falcones, Bercios, Sclopposque vulgus appellat: Pulveris item, & globorum, tam ex saxo quam ex ferro tantam vim & copiam asseruari comperitum est, ut si singulas omnium diuersasque formas, numerum, pondusque per partes explicare coner, verear ne falsa ijs, pro veris huic operi videar inseruisse, quibus haec legendo duntaxat, vel audiendo, percipere sufficiet. Ad reliqua igitur pergamus. Urbs ex ea parte qua mari adluitur, ut paulo ante demonstraui- mus, ut pote nobilissima eius parte, portis duabus, & viginti distinguitur: pars vero

que

quae continentem respicit, sedecim, quibus omnibus, propter infinitam hominum multitudinem, eiusque ambitum latissimum, maxime indigere videtur. Turribus autem per murorum gyrum septuaginta septem munitur. Templum vero, quae a Graecis parœciae appellantur, in quibus sacramenta fidelibus omnibus subministrantur, quinque & viginti numerantur, praeter ea, quae plurima monachis, Anachoritis, vestalibusque virginibus sunt attributa. Huic loco non nihil in laudem ecclesiasticae musicae adijciam, idque verissimum comperitissimumque inter omnes ciues habetur. Nempe quod in praecipuis anni festis diebus, ex ipsa urbe Olisipone, ultra triginta absolutos cantorum choros, ad sacra modulato cantu, in pagis villisque circum vicinis canenda, vna die cuncti exeant: omnibus urbis templis, in quibus musica modulata canitur, ex eo nihil detrimenti, ad suas celebrandas festiuitates capientibus. Societates vero, quas confraternitates vocant cxxxj. sunt, in quarum usum ingens a sodalibus quotannis conflatur pecunia, quae in pauperes, & alios usus necessarios summo ordine, elargitur. Quod ad loci, situsque salubritatem, & aeris temperamentum attinet, tanta certe soli, caeli que clementia, & amenitas est, ut nullo ferè vnquam anni tempore, nec aestas, nec hyems immoderata sentia-

F 5

tur,

90 DAMIANI A GOES
tur, quo factum est, vt multi mortales ex di-
uersis nationibus, terrisque remotissimis,
cœli puritate perlecti, illuc commigrarint:
derelicto que solo natali, & patriæ cura
posthabita, perpetuam ibi sedem, vitæ-
que domicilium posuerint. Urbis verò terri-
torium, suburbanis, rusticisque villis ædifi-
cijque magnificis, quocumque oculos ver-
teris, propter agri fecunditatem vndique
refertum videas, tanta etiam hominum fre-
quentia, vti secundis iam pridem rebus, per-
petuaque pace cum finitimis parta, complu-
res iam ruri potius, quàm in vrbe commo-
randi desiderium teneat. Agros enim pas-
sim, non vicis pagisque solum, sed templis et-
iam, claustrisque innumeris & ornatissimis,
frequentari, cum tanta animi voluptate vi-
demus, vt villæ, tam rusticæ, quàm suburba-
næ, numerum sexcentarum excedant. Pagos
verò qui ab vrbis magistratibus ius petere
coguntur, ducentos quadraginta numerant,
inter quos sex & triginta, priuatis propriisque
iudicijs ac prætoribus vtuntur, suisque op-
pidanis iurisdicendi potestatem habent, in-
colarumque controuersias per se omnes di-
iudicant, & finiunt, nisi cum de causis capita-
libus, grauioribusque agitur. Tunc enim ad
summum vrbis magistratum prouocatur, e-
iusque sententiam requirere compelluntur.
Denique vt ea que insigne aliquod ornamē-
tum

OLISIPONIS DESCRIPTIO. 91
tum vrbi afferre possunt, breui velut epilo-
go complectamur, ad Tagi ripam quinquæ-
gesimo circiter ab vrbe lapide, flumine ad-
uerso, oppidum Scalabis situm est, peruetus
atque inter pleraque alia Lusitanie oppida
percelebre, quod Plinius quintam Lusitanie
coloniam fuisse, atque præsidium Iulium o-
lim vocatum testatur, nostri hodie *Sanctare-
nam* vocant. De qua re plura apud Resendum
nostrum antiquitatis amatores inuenient.
Inde quoniam in montis excelsi admodum
iugo positum est, in campum apertum & pla-
num, longè lateque despicit, qui campus Tago
medius diuiditur, maxima terræ fertilitate,
que cæteris omnibus, vsque eo præstat, vt mo-
dicæ arationes, quotannis pro vallis angu-
stia, incredibiles tritici aceruos afferant. Ad
tantam autem soli vbertatem id laudis non
pudebit connectere, quod multis dictu vix
credibile videbitur, sexagesimo nempe post
die, quàm sementis fieri cœpta est, segetes
momento ferè temporis adultæ, ac præma-
turæ secantur, teruntur, & si libet, moluntur.
Verum vt ad propositum reuertar, Tagus quæ
Scalabim adluit, vsque ad vrbe latissimo alueo
defertur, atque altissimo. Nec eo contentus, in-
terdum multos sinus vltro citroque, & in insulas
efficit. Eo itidem interuallo, oppida, pagi,
villæque aspectu, situque gratissimæ ac
ame-

ame-

92 DAMIANI A GOES
amœnissimæ conspiciuntur. Medio ferè cur-
su cis Tagum, occidentem versus, oppidum
Alanquer situm est, quod, vt sentit Resendi-
us, prisca secula Gerabrigam appellabant. Lo-
cus natalis nostri, cuius nouam interpretati-
onem si propiùs inuestigare libuerit, Alano-
rum ecclesiam lingua Saxonica sonare com-
peries: nec à veritatis via multum aberrabis.
Alanos siquidem cum vniuersam Europam
cædibus, incendijsque vastando peragraf-
sent, ijs locis consedisse, eaque tantisper inco-
luisse ex multorum annalium monumentis
compertum est, dum Gothis superuenienti-
bus ex prouincia prorsus discedere, aliasque
terras quærere coacti fuerint. Quæ gens om-
nis lingua, moribus, vicinitateque, Saxoni-
bus ab origine ferè semper coniuncta fuit, &
ad hunc usque diem mutuo quodam vincu-
lo propinquitatis sese refouent. Ad huius ve-
rò oppidi radices (est enim eius præcipua
pars in summo montis præalti culmine sita)
fluuus è multis fontium riujs subterraneis
oritur per amœnus, pisciumque multo fera-
cissimus, qui arboribus vtrinque consatus, so-
le meridiano, magnisque caloribus, um-
bram efficit, quo homines, vt plurimum sece-
dunt, gratissimam. Mox magno impetu in-
ter confragosa montis, in planiciem aper-
tam delatus, sexque à capite fontium passu-
um millibus, in Tagum diffunditur, qua par-
te

OLISIPONIS DESCRIPTIO 93
te Tagus crebras insulas emittit, quæ omnes
frumento, pascuisque pingulissimis abun-
dant. Attamen earum nulla hoc tempore ca-
stellis, pagisue, aut vitibus colitur, vt Strabo
scriptum reliquit. Quæ res Tagi ipsius alluui-
onibus vetustateque temporis fortè deficien-
tes, hoc gloriæ corollario cohonestantur,
quod hodierna die, Tagus ipse per vniuersa
Oceani litora, in Africa, Asiaque, leges & in-
stituta det, quibus ipsarum prouinciarum re-
ges, principesque, sponte vel coacti parent,
tributaque Lusitanis soluunt, Christi que fi-
dem indies magis magisque non pauci co-
lunt. Quod non in Indorum ditibus mo-
dò, sed in Chinarum etiam terminis, ac Iap-
ponum finibus, gente antehac Europæ inco-
gnita, summa cum reuerentia fit. De innu-
meris verò exoticis rebus quæ ex nostris vni-
uersæ Indiæ, Persiæ, Arabiæ, Aethiopiæ,
Bresiliæ, Africæque ditibus, in hanc vr-
bè toto anni circulo aduehuntur, deportan-
turque, cum de omnibus ijs satis luculenter,
in eo opusculo, quod de fertilitate & opulen-
tia Hispaniæ emisimus, tractemus, nullam
consulto hic facere mentionem sigillatim
voluimus. Si quis fortè id cognoscere auidè
cupierit, ipsum librum conquirat, quælitum
que legat. Cæterum si lectori noster hic la-
bor displicuerit, sciat nos non ita hoc opus
audisse, vt itinera alijs scriptoribus interclu-

sa à nobis esse opinemur. Nam si fortè aliquis de origine, & vrbis situ compertiora in medium attulerit, rem profecto gratam cunctis, nobisque in primis fecerit.

V I T A
H I E R O N Y M I
P A V L I B A R C I N O -
N E N S I S.

HIERONYMVS PAVLVS Barcinonensis I. C. Barcinone, Metropoli Gothalanie principatus natus est honestis maioribus: parente Iacobo Paulo, eius atatis iureconsulto non incelebri, & consummata inter opes & gratiam Principum virtutis ac doctrina, vt ipse in extremo patrie vrbis descriptionis testatur. In patria filius artes ois libero dignas homine, iactis feliciter Latina lingua fundamentis, sic hausit, vt & in Iuris ciuili studio, post etiam aequalibus antecelleret omnibus. Hinc Romanam, quod in cœlibatu vitam ducere sacerdos exoptaret, commigravit, vixitq; annos plurimos, vt & Barcinonensis Canonicus, mox etiam Archidiaconus fit creatus, & Roderico Borgia Cardinali per familiaris, qui post pontificatum adeptus, Alexander sextus est appellatus, ab intimis eidem cubiculi fuit, & ob singularem doctrinam, vtriusq; iam pridem Iuris laurea insignitus, à consilijs, scripsit, ediditq; Cancellariæ Romanæ Practicam, vt nominat, anno M.CCCC.

M.CCCC.XCIII. altero Pontificatus Alexandri anno. Mox etiam honoribus auctus, demandataq; ei est Vaticana bibliotheca Pontificia longè angustissima cura atq; custodia, anno M.CCCC.XCIV. non nisi doctissimo cuiq; & hodie purpuratorum in Patrum numero eruditissimis viris commendari solita. Quintum autem in eius bibliotheca profectis numerari video, ab Onuphrio Panninio in ijs scedis, quas Schottus Itinerarij Italia, rerumq; Romanarum lib. 11. cap. 10. inseruit, quas cum suis de regia ad D. Laurentium Bibliotheca edidit Tarracone Io. Bapt. Cordona Episcopus Dertosanus, Anno M.D.XXCVII. Neq; verò patrie oblitus Hieronymus est, vt qui locum gustarunt, sed etiam litterarum eandem monumentis illustrauit. Nam præter accuratam Barcinonis descriptionem, scripsit de fluminibus, vrbibus ac mōtibus Hispaniæ: qua nunc primum lucem accipiunt And. Schotti beneficio: Quo etiam labore Hieronymus Surita, erudito ad Antonini Aug. Itinerarium Commentario adiutum se confitetur. Est enim ingenui, inquit ille, agnoscere per quem profeceris. Carueni id legimus eiusdem, supra quam eius atatis captus erat, venustius, hætenus nondum editum, Panegyrica laudatio B. Augustini Ecclesiæ Doctoris eximij cuius hoc principium:

A Eternas Libyci laudes, quo regius Hippo,
Carthagoq; vetus, quibus Africa terra superbit.

HIE

HIERONYMI
PAULI BARCINO-
NENSIS,

DE FLUMINIBVS
ET MONTIBVS
HISPANIAE,

AD REVERENDISS.
D. RODERICVM
EPISC. PORTVENSEM
CARD. VALENTINVM; S.
R. E. Vicecancel-
larium,

*Qui post Ro. Pontifex creatus ALEXAN-
DER SEXTVS est appel-
latus.*



SCRIPSERAM, Pater amplissime,
quorundam Poëtarum hortatu Li-
bellum hūc de Hispaniæ nostræ fluijs &
Mpnibus quorum apud veteres men-
tio habetur: eum Celsitudini tuæ di-
catum non prius ausus sum manife-
stum præbere, quam tibi: quem nemo ignorat, &
ingenio, & rerum experientia nemini tui ordinis
cedere, emendandum tribuissem: Accedit loco-
rum,

rum, regionumque notitia, quorum te amplissi-
ma Prouinciæ nostræ legatio peritissimum reddi-
dit. Magnam enim Hispaniæ partem foeliciter per-
agrando, immensæ tuæ dignationis, & gloriæ
monumenta nostræ Hesperiae reliquisti. Spero da-
buntur tuo nomini aliquando maiora: Nunc autē
aliquid Cosmographiam & fuscitationem Anti-
quitatis pertinens, per vacationem à studio iuris
collectum, haud iniocundè degustasse sufficiat.

*Alba, qui & Clodianus appellatur per Indicetas,
quos Emporitanos vocant, decurrit: Emporiae Phocen-
tium, & Latinorum olim coloniam alluens, à Py-
reneis funditur, & versus Medas insulas in quibus
Paleopolis opidum quondam fuit, in Balearicum
mare deuoluitur.*

*Anas fluuius est non mediocris in Hispania: &
Lusitaniā à Bætica, teste Pomponio, separat: ortus
in Leminitano agro Tarraconensis Iberiæ: modò
in stagna se pandit, modò in angustias resorbet,
& alicubi in cuniculis totum se condens iuxta E-
meritam, & Pacemiuliam lapsus, tandem in Ath-
lanticum emittitur Oceanum:*

Aurelius Clemens Prudentius:

Nunc locus Emerita est tumulo

Clara Colonia Betonia

Quam memorabilis annis Anas

Præterit: & viridante rapax

Gurgite mœnia pulcra cauat.

*Areda fluuius est apud Celtiberos; à quo, vt tra-
dit Plinius Arenates populi nominati fuere.*

*Astura fluuius est in Tarraconensi: à quo Astures
acre hominum genus, nomen accepere:*

Lucanus:

Hic præter Latias acies erat impiger Astur.

Aurum etiam apud eos effoditur, quod præclare describitur à Silio his versibus:

Sed scelerum causas aperit Deus: Astur auarus

Visceribus laceræ telluris mergitur imis,

Et redit infelix effossa concolor auro.

Hunc amnem vulgus *Aurigam* nominat.

Auoceladus fluuius est Celticorum: qui Galletiæ ac Lusitaniam contingunt.

Bacchus fluuius esse fertur in Bætica.

Belo fluuius est & opidum in oris Bæticiæ.

Besola in eiusdem oris fluit.

Betis fluuius, qui Bæticiæ nomen dedit, quæ postea *Vandalusia* à *Vandalis* creditur nuncupata: dextra læuæque oliuiferis colitur opidis. Ipse ex Tarracoeniensi regione demissus per mediam ferè Bæticiam, sicut nascitur vno decurrit alueo: post autem mari propinquus lacum ex se ingentem facit. *Cordubam* Pieridum alumnam atque *Hispalim* celeberrimas vrbes alluit. Amœnissimis admodum excellentissimisque præclarus est insulis, nullaque etiam affluentissima eloquentiæ facundia mediocriter collaudandus. In cuius agris homines soli cœlique natura voluptates deliciasque abundè præbet: Vnde Poetarum quidam *Elysios campos* in his oris esse finxerunt. Hunc amnem auctore *Liuiio Chiuio* Hispani appellant: Græci *Betym* à vocabulo, quod profundum sonat. Magnarum enim nauium ferax est, quibus varia mercium genera exportate liceat. Meminit *Stati* in *Genethliaco* *Lucani* ad *Pollam*:

Gratio nobilior Melethæ Betis.

Bethym mantua pronocare molli.

Et *Martialis*:

Betis

Betis oliuifera crinem redimite corona,

Aurea qui nitidis vellera tingis aquis.

Quem Bromius quem Pallas amat.

Vino enim abundat regio, atque huius fluminis aqua immersa sæpius, & madefacta vellera, colorem recipiunt aureum.

Bibilim ferri temperamento aptissimum tradit *Trogus Pompeius* in Hispania esse: quem reor *Salonem* appellari. Inde eo nomine ascito, quod *Bibilim* urbem alluat.

Betulus fluu. est in *Leletanis*, ni imbribus intumeat, exiguus est, & vadofus: præbet tamen suburbanis agris celebris, & pulcherrimæ vrbis nostræ vtiles irrigationes: cuius etiam molinæ hoc amne ciuntur, & exhausti riui in vsus officinarum trãseunt: ab orientali latere *Barcinonis* *Balearicum* ingreditur pelagus.

Cinga flu. est vagus admodum, & rapax: *Fragam* urbem alluit. Postremo *Ibero* mixtus, eum tantum auget, vt inde nomen maximi Hispaniarum fluminis accipiat.

Lucanus:

Cinga rapax vetitus fluctus & littora cursu

Oceani pepulisse suo: nam gurgite mixto

Qui præstat terris aufert tibi nomen Iberis.

Chalybem Hispaniæ fluuium esse, & iuxta *Arandim* opidum fluere prisca auctores tradunt.

Clerum Hispaniæ flumen esse legi, nec qua fluat regione traditum est.

Durius vltioris Hispaniæ celebratum est flumè arenis aureis: in *Tarracoeni* oritur & in *Celtiberos* lapsum *Numantiã* urbem alluit. Tandem *Sifamonem* oppidum lambens, & in *Lusitanos* veniens

ens in Athlanticum procurrit Oceanum.

Silius Italicus:

Hic certant Pactole tibi Durimque Tagusque.

Diva, Cantabros perfluit.

Esitium Hispaniæ fluvius esse legitur, qui cū dulcis esset, amarus postea factus esse fertur; quod ex Græcorum fabulis ortum puto.

Eunemius fluvius est Galletiæ, quadrinomius: nam & *Lethes*, i. obliuionis appellatur. & *Bellion*, & *Limia*: fabulis est admodum famigeratus: vt qui vulgo ab inferis oriri existimetur. Aurum etiam, vt pleraque Hispaniarum flumina, arenis commixtum deducit è montibus.

Silius libr. iij. bel. Pun.

Quiq; super Gronios lucentis voluat arenas

Inferna populis referens obliuia Lethes.

Lethem autem Strabo inde appellatum tradit, quod cū Galli atque Turduli locijs ad id flumen armis peruenissent, eo traiecto seditione orta disidentes, eorumq; obliti quod in Hispanos mouerant, belli, iuxta flumen resedere.

Florius, Astures irrigat.

Iberum nemo sine pudore ignorat Hispaniæ fluvium esse, quippe qui toti *Iberie* nomen dedit. *Hiberiam* autem Asiæ Regio ab *Iobele*, vt *Iosephus* tradit, appellata est. *Dionysius* porro *Alexandrinus* auctor est, eos qui *Asiam* incolunt *Iberes* ex *Hispania* profectos esse. Contra sentit, auctore *Agrippa*, *Plinius*: quod est vero similis, si prisca hominum origines repetantur. Oritur *Iberus* agro *Iuliobricensi* in *Cantabria*, tenuissimus, primò mox magnorum amnium capax, *Calagurritano*que exceptus agro, *Tutelam* petit opidum & *Cel-*

& *Celsam* urbem, ponte olim celebrem; inde *Salduliam*, quæ nunc est, *Cæsar Augusta*, affluit, opimam admodum urbem: & patentibus vndique campis irriguis lætissimam. Illinc digressus in Austrum labitur, nauium ferax, iunctus deinde *Cinga Sico*rique amnibus *Dettisam* opulentam urbem alluit. Postremò maritimarum iam nauium patiens, versus *Alphacium Ibericum* dulcorat pelagus.

Meminit *Lucanus* in tertio:

Stagnantem Sicorim & rapidum deprehensus Iberum.

Commertijs post *Bætum* primus est; sed aquarum copia, non ingruentibus in *Bætum* Oceani æstuarijs maior.

Ilerda, *Ilergetarum* fluvius à quo *Ilerda* vrbs vetustissima appellata esse legitur. *Vulgus Nocenam* appellat. *Silius* huius vrbs meminit illo carmine:

Et que Dardanos post viderat illa furores.

id est, *Romana* bella: nam *Petreius* & *Affranius Pompeianarum* partium duces auspicijs *Cæsar*is ibi expugnati fuere. Meminit & vrbs *Horatius*; ad quam tempore belli ciuilibis frequentes epistolæ mittebantur:

Aut fugies, inquit, Vticam, aut vincus mitteris Ilerdam,
Nonnulli eundem esse hunc & *Sicorim* arbitrantur.

Lacros per *Celticos* fluit.

Limia per *Gallecos*.

Limius ad *Deorum* insulas.

Meacus *Gallecos* penetrat.

Menuba *Turdetanorum* fluvius est, *Bæti* se commiscens:

Mensicus & *Melsus* per *Cantabros* fluunt.

Minus fluuius est Galletiæ maximo ore spatiosus; qui, vt Isidoro Carthaginensi placet, à minij colore, quem frequens trahit, nomen creditur accepisse.

Munda fluuius est inter Lusitanos notissimus: & opidum eiusdem nominis in Bætica, vbi Pompeij liberi debellati fuere. Silius de vrbe.

Et Munda Emathios iterum paritura labores

Maliadas fluuius est Carpentaniæ, exiguis nauigabilis scaphis.

Naumasa, auctore Pomponio, per Cantabros fluit.

Nerna Negauices per eosdem.

Narius, Nelo per Astures.

Nania, Cantabrorum fluuius est, vnde ferunt *Nauarrigenas* nuncupatos, qui & nunc *Nauarri* dicuntur. Nonnulli à *Niuarra* opido nominatos existimant.

Nauillus in Galleciis est.

Negauicus in Cantabris.

Osgitanus fluuius in Bætiam mergitur.

Pallantia, per Edetanos funditur.

Rubricatum fluuius est à colore eo nomine appellatum, à Pyrenæis demittitur, & per Bagutos in Lacetanos lapsus Issentium circuit agros. Inde ad Leletanos nostros veniens Serresum iuxta montem labitur. Auctus deinde Norica flumine *Rubricatam* opidum petit. Hinc digressus ad quatuor millia passuum in *Barcinonis* littore occiduo ingreditur pelagus.

Saha in Cantabris labitur.

Salsus Turdetanorum, id est, Bæticularum, fluuius est aquarum amaritudine infamis, *Geenne-*
flum

flum præterfluit agrum. Meminit Cæsar in Commentarijs.

Salo Celtiberiæ fluuius est, ortus Aracelitano agro, armentorum pecudumque potui perquam utilis; ferrique temperamento aptissimus est: Mauros petit opidum & *Ferisiam*, *Silaos*, & ipsam *Bilbilim* in cliuo positam: exin *Epilam* petens in agro Cæsar Augustano Ibero demum coniungitur. *Martialis*.

Quibus remissum corpus stringes breui Salone qui ferrum gelat.

Sanga Cantabrorum est flumen.

Saducas in ora exit Bæticiæ.

Sars per Lusitanos fluit: & emittitur iuxta turres Augusti.

Sambroca, vulgus *Sanucam* vocat, per agrum Emporitani decurrit, *Sacram*que villam & *Noemporium*.

Sicoris Ilergetarum fluuius est, à *Surdaonibus*, & *Cerretanis* inter Pyrenæos oritur, accoliturque amoenis opidis, *Ilerdam*que urbem iam magnus alluit. Inde *Octigenam* petit, & apud *Michenesiã* Ibero se iungit: Arenis aureis non est Tago inferior.

Meminit *Lucanus* in descriptione *Ilerdæ* vrbis his carminibus.

*Colle tumet modico leuiq; excessit in altum,
Pingue solum tumulo super hunc fundata vetusta
Surgit Ilerda manu: placidis prælabitur undis
Hesperios inter Sicoris non vltimus amnes;
Saxem ingenti quem pons amplectitur arcu
Hibernas passurus aquas.*

Huius quondam fluminis accolæ in *Trinacriam*

criam nauigātes à patrio amne *Sicori*, vnde disces-
ferant, *Sicaniam* appellauere: quod ostendit Silius
his carminibus:

Post dirum Antiphæ sceptrum & Cyclopeæ regna

Vomere verterunt primum noua rura Sicani

Pyrene misit populos qui nomen ab amne

Asciti patrio terræ imposuere vocanti.

Sunt qui scribunt eos primum Latium tenuisse, lō-
ge ante Aborigenes, & inde à Liguribus pulsos in
Siciliam transfretasse.

Silenfis fluuius est in agro Segouienfi.

Sorabis Illecahonum fluuius est, in agro Derta-
sono; quem ab opido per quod fluit vulgus *Seniam*
nuncupat: Nec desunt qui existiment hoc flumen
hodie *Milafiam* appellari.

Subi fluuius est tenuis, Suesetaniæ regionis, vul-
gus *Francolinum* appellat. Spelunca opido surgit &
Tarraconensium deliciosis agris infusus ibidē ma-
ri excipitur: huius aqua irrigata lina, carbasa red-
dunt vsui nauium aptissima.

Sucro fluuius est non exiguus citeriori Oro-
spedanis ortus montibus, Sertorij, & Pompei præ-
lio insignis, Setabitanum præterfluit agrum. Inde
Algeriam ambit opidum ita Arabico nomine ap-
pellatum, quod in insula positum sit; Postremo
non longè à *Colleria* Ebusitano cōditur æquore. Na-
uium patiens est, si eius aluei sæpe rotantur: & qua
se excursu imbrium sparserit cogatur in aptas an-
gustias, compactis vtraque ripa trabibus. Huius
fluminis meminit Silius in illo carmine.

Sedetana cohors, quam *Sucro* rigantibus vndis,

Atque altrix celsa mittebat Setabis vrbe.

Et Sa-

Et Salustius in libris historiarum: *Castra hostiū apud*
Sucronem capta, & prælium apud flumen *Turiam*, & dux ho-
stium *C. Herennius* cum exercitu, & vrbe *Valentiæ* deleti.

Tader fluuius versus nouam Carthaginem fun-
ditur. Oritur mōtibus, quibus *Baetis*, & *Murtiam*,
Aureolamq; contingens. *Ebusitano* pelago seu I-
berico conditur, hunc vulgus *Securam* appellat.

Tagus fluuius est Graijs nostrisque carminibus
celebratus, aureis granulis insignis, piscium ostre-
arumq; feracissimus. Ex *Catulonensi* erumpens a-
gro & in *Carpentanos* lapsus *Toletum* præpotē-
tem, validamq; vrbera pene circuit: tandem *Lusi-*
tanos contingens ad *Olisiponem* ingreditur occa-
num. *Catullus*:

Tertia Iberia quam cit annis aurifer Tagus.

Staius Papinius in Epithal. *Stellæ & Violantillæ*:

Hinc Hermum, fuluoq; Tagum decurrere limo.

Meminit & Iuuenalis.

Omnia arena Tagi quodq; in mare voluitur aurum.

Et *Ouidius*:

Cedat & auriferi ripa beata Tagi.

Tamara, fluuius est in *Gallecia* clarus.

Tuis, qui & *Ticer* à *Plinio* appellatur, inter *Au-*
setanos fluit, à conuallibus *Pyrenes* delapsus per
confragosa primum loca, & salebras in plana de-
currens, *Hierundam* validam vrberem petit, vbi *Nu-*
darium amnem absorbens, inde iam grandior fa-
ctus *Indicetum* apricos agros circuit, & versus
Cirneum montem immiscetur mari.

Turia *Sedetanorum*, & *Contestanonū* fluuius est,
eorum amœnissimus irrigans campos, *Turiolum* sui
nominis opidum linquens *Valentiæ* vrbi delitia-
rum & nobilitatis altrici proximus labitur. Inde

65

ob

ob crebram riuulorum deductionem tenuissimus in mare deuoluitur. Salustius quarto historiarum libro in hæc verba meminit: *Inter læua Mænum & dextrum flumen Turia, quod Valentiam paruo intervallo præterfluit.* Ab Afris postea, qui eam urbem ad CCC. pæne annos tenuerunt, barbarum huic fluuiio nomen vix ore Latino sonandum impositum est; quod referre pudet.

Laudat hunc amnem Claudianus illo carmine inter laudes Syrenæ:

Floribus & roseis formosus Turia ripis.

Turiam, quidam ideo dictum existimauere, quod petentibus olim Phœnicibus Gades, cum ab Ebusio soluissent, tēpestare repulsi ad huius fluminis ostia deuenerunt: vbi vaccarū multitudinē inuenientes flumen *Turia* id est vaccis cultum appellauerunt: quas ipsi *Tur* patrio sermone appellant. Alij *Thuriam* significatione Græca, quasi *celerem* appellari putant.

Tarnus fluuius est in Leletania; aureos tradens grumulos. Vulgus *Tarderiam* vocitat. Exoritur monte, quem *Virnum* quidam, alij *Senium* appellant, qui omnium metallorum genere scatet; marmoribus quoque foecundus est. Leguntur aureæ arenule inter fluminis lapillos non longius à loco, vnde annis oritur, toto anni tempore; præsertim si vis aquarum repente immineat, tunc enim imbribus eliquata terra, ex monte, quem diximus, cum auro labitur, & in amnem defluit. Inde demissis tabulis ab accolarum alacri turba pretiosissimum naturæ munus excipitur. Scimus lectum fuisse nouissimè grumum ponderis vnus libra,

bræ, & confectum inde torquem. Fluuius ipse Celidonium irrigans agrum non longè à *Blandis* opido nostrum subintrat pelagus.

Vacua inter Carpetanos fluit; quos iuniores *Castellanos* appellant, & lintribus vel monoxilis, non onerarijs nauibus, vt refert Strabo, enauigatur.

Vacus per Lusitanos fluit.

Via per Gallicos.

Vir per eosdem.

Velo per Celticos,

Vduba tenuis est fluuiolus, in regione Ilercanum Sagunto, ærumnis & seruata fide venerandæ vrbi propinquus. Hanc urbem nostra ætate, cum antiquissima sit & à socijs Herculis condita, *Veteresimuros* appellant.

Silius.

Haud procul Herculei tollunt se littore muri

Clementer crescente iugo, quis nobile nomen

Conditus excelso sacrauit colle Zacynthos.

DE MONTIBVS, & Promontorijs.

A *Varium*, promontorium est non longè ab *Anæ* fluuij ostio.

Barbarium promontorium est Lusitaniæ, haud procul ab *Olisipone*, insigni & quæstiosa vrbe.

Calpe mons est totus in mare prominens, latitudine exilis, altissimus celsitudine, *Abila*, qui in

Afric.

Africa est, oppositus, quem alteram *Columnam Herculis* esse fabulosa vetustas tradidit, eumque quondam perpetuo iugo *Abile* iunctum ab Hercule, cum in Hispaniam venisset, separatum, & inde Oceanum mole montis ante retentum, in medias exundasse terras, angustoque freto Europam ab Africa separasse. Lucanus.

Hesperium Calpen summumque, replevit Atlanta. Silius,
— ac laudibus olim *Terminus Herculeis Calpe.*

Canatus citerioris Hispaniae mons est, è Pyrenæis sublimior vergit in Galliam Narbonensem, versus Ruscinonensem agrum: In cuius vertice non improbata fama lacus esse fertur, immensae profunditatis, qui repentinis imbribus oceani more effluare & quasi efferuere videtur, ac grandine & tonitribus concuti. Interius umbrarum & demonum esse sedes ferunt; lugentiumque clamores & plangtus audiri horribiles; & ea loca ad infernas usque regiones penetrare affirmant, fataque & arbores eius aquae malignitate contactas aduri atque arefcere.

Caridemum, ut Ptolomæus tradit, promontorium est in capite Bæticae versus nouam Carthaginem, haud procul à portu magno.

Celticum, promontorium est Galleciae, in oceanum prorumpens.

Canens promontorium est sacro propinquum.

Edulesis mons est in Tarraconensi.

Erminius mons est Lusitaniae.

Ferraria promontorium est in agro Dianensi distat ab Ebuso insula Lxxx.M.P.

Erini mons est mari contiguus, in citeriori apud Emporitanos & ostia Ticeris.

Idu-

Idubede, montes sunt continui in Tarraconensi in Cantabria incipiunt & usque ad nostrum mare excurrunt:

Ilipa mons est in Bætica.

Iouis mons est undique absolutus, olim portum, nunc speluncam Barcinoni præbens, recrecentibus lapidicinis egregius est, & vario fructuum fontiumque genere ornatus: Inter quem & Tarraconem montes sunt ad litus rupicosi, & per declivia cautum in forma graduum distincti: quos vulgus olim *Scalas Hannibalis* appellauit.

Larso promontorium est Pyrenæi apud Vascones in Oceano Cantabrico.

Lunæ promontorium est, non longe ab ostio Mundæ fluuij situm.

Lunarium promontorium est in Loletanis, versus Indecetarum oram.

Masseria montis Hispaniæ regionem non legi.

Magnam promontorium est Lusitaniæ inter Hannibalis portum & Olisiponem situm, quod & *Olisiponense* & *Artabrum* appellatur: In hoc Fauonio flante equas sine masculis concipere ob earum multitudinem poetæ auctore Pomponio Mela fabulati sunt: quod ostenditur à Silio his versibus:

Hic adeo cum ver placidum flatusque tepescit.

Concubitus seruans tacitos grex præstat equorum.

Et Venerem occultam genitali concipit aura:

Sed non multa dies generi, properatque senectus

Septimaque bis tabulis longissima ducitur ætas.

Quidam autem affirmant huius geniturae equos triennio tantum viuere, & perrarò quadrimos videri: Porro si vento generantur, velocissimos esse non est mirum. Nihil enim vento velocius inueni-

airi

niri potest. Vnde Homerus xx. Iliados ait; Eryctonium habuisse tria millia equorum, cum quibus Boreas suscepta equi specie coiuuit, quo velociores essent:

Nerium promontorium est Vardulorum in Cantabris.

Erubium promontorium est Gallaicorum, situm inter Minium & Tamaram flumen.

Orospe montes sunt continui à columnis incipientes qui adusque Carthaginensem agrum porriguntur.

Pyrenaei perpetui montes sunt, Hispanias à Gallis diidentes: dicti vt plures tradunt quod fluminibus crebris feriantur vel à *Pyrene* *Bebrycia* Virgine ab Hercule ibi stupro cognita; quod videtur sequutus Silius iij. Punicorum his versibus:

Pyrene celsa nimboſa vorticis arce

Diuiſos Celtis latè ſpectabat Iberos,

Atque æterna tenet magnis diuortia terris;

Nomen Bebrycia duxere à virgine colles,

Hospitis Alcida crimen qui ſorte laborum

Geryonis peteret cum longa tricorporis arua

Profeſſus Baccho ſæua Bebrycis in anla.

Lugendum formæ ſine virginitate reliquit.

Pyrenen; leu vt Diodoro placet, (nam ea fabuloſa Plinius exiſtimat) dicti ſunt, quod olim à paſtoribus impoſito igne conflagrauerunt; quo incendio varia metallorum genera erupiſſe tradit: aut quod verius puto, appellati ſunt, quia in modum *Pyrarum* eorum cacumina emineant. Horum radices incipiunt finibus *Narbonenſis* *Galliæ* regionis.

Sar

Sardoum promontorium quod *Pyariam* vocant, Patet frons eius verſus noſtrum pelagus, in latitudinem circiter decem millia paſſuum, vbi *Canciliberum* opidum *Iberitanorum* olim, & *Ruscinonenſium* nunc *Perpinianenſium* emporium. Eſt & in fronte *Veneris* portus & *Ceruaris* promontorium *Galliæ* finis, vnde & *Pompeij* trophæa cernuntur. De in & promontorium aliud oſtenditur nautis celebratum, quod *Crucianum* appellant. hic ab *Hispania* in *Galliam* nauigantibus initium eſt *Narbonenſis* procelloſi atque importuoſi ſinus, quippe qui *Auſtro* & *Africo* totus expoſitus eſt. Quatur etiam æua hyeme *Circio* & *Aquilone*. Inde digreſſus *Pyrenæus* in ſublime ſeſe faſtigat, in excelſum iugum exſurgēs; quod cum niuoſum ſit *Albetam* vocant, à *Cerretanis* *Herculis* quondam *Comitibus* & *Vaſconibus* ſuprema eius inhabitatur. Ipſe *Emporitanoſ*, *Anſeranoſ*, *Ilergetaſ*, *Surdaoneſ*, *Iaccitanoſ*, *Cantabroſque* relinquens, tandem *Larſonem* verſus *Oceano* ſe iungit: In hiſ motibus percaſſidi pauones gignuntur, non ingētes; boues elephantibus maiores; vt *Græcorum* quidā tradidere. *Pernas* ſuum, qui in hiſ cōuallib. naſcuntur acceptaſ fuiſſe *Romę* tradidit *Strabo*.

Sacrum promontoriū eſt media occidua *Hispaniæ* fronte in *Oceanum* extenditur.

Saturni promontorium, in quo aræ *Seſtiane* verſus *maritima* *Aſturoſ* eſt.

Solorius mons eſt excelſus verſus *Oretanoſ*, non *Arogotiſ* vt recentior quiſpiam tradit:

Serrefus, quem & *Serratum* vocant, mons eſt finibus *Leletanoſ* in *Lacetaniſ*: Olim profaniſ

Deo



deorum cultibus dicatus: de quo quædam haud indecenter enarrare lubet. Mons ipse non modo in Hispanijs, sed vbiuis prouinciarum Latini, Christianique nominis fama pernotissimus est; situs & religio efficit, distat à Barcinone circiter xxx. milia passuum, tantundem mari remotus. Lambitur à septentrione rubricato amne, vbi *Palladium* opidum Olesia patet xij. millia passuum in insulam sedens, & nulli contiguus, vt Soracte in Italia. Altitudo eius ardua, & quam eminentes cliui caulesque exasperant: Nemorosus internis ornis & fraxinis & huiuscemodi arboribus insignitus est, salientibusque fontibus irriguus, medicinalium quoque herbarum feracior. Aspectus eius amplissimus vt Pyrenæis & occidente sole Balearibus terminetur. Et cum cernentibus se inaccessiblem ostendat, benignum tamen aditum circuitus tribuit; exterius autem præruptis exesisque saxis ita vndique in graduum, & ferræ similitudinem, & ex ordine compositum est, vt prudenti opere naturam ipsam aut mundi huius opificem montem ipsum nescio quid sacri numinis ostentantem suo celeberrimo cultui extruxisse credam. Religionis eius auxere initia, quod supremæ Virgini sacer sit ob vetustissimum ipsius simulacrum abditissima spelunca diuinitus adiuuentum. De quo si pro materia diceretur, græde esset profecto opus; & ideo relinquendum, Ultra montis modum ara Virgini extructa est, & augustissimum templum Via quoque ascendentibus non exigua, laborioso, accolarum cultu regijsque sumptibus coacta est. Desperatum prima manu opus mox absolutum. Cacumina præterea montis religiosi habitantur viris, quos heremicas

ap-

appellant, ligneisque grandibus & exemptilibus scalis & pendentia saxa admotis non sine vastæ sublimitatis terrore, ac casus etiam periculo aduentur. Ascendentibus ne decidant remedium est, curiosius scandere & ne ima despiciant. Heremice ipsi celibes, ac spretis libentius malè caris opibus cœlestia venerantur. Templum quod diximus cera argentoque atque auro conflatis per orbem donarijs onustum est. Cuius veterrimi tholi fastigio mirandæ virginæ opis miseris agrisque mortalibus præstitæ testes appendent statuar, & depictæ imagines, cathenæ, lorice, clypei, & rostra carinis erepta, atque alia liberationis ac victoriæ monumenta. Quodque omnium maximum est, reuiuiscantium hominum funebria vestimenta superatæ naturæ mirificentissimum spectaculum. Soluuntur vota sexto Idus Septembris: numerosa populorum vsque ad interneccionem pressura. Sed iam alios quæramus montes.

Scombraria promontorium à scombris piscibus dicta, sita sunt inter *Dianium* urbem & *Carthaginem* nouam.

Temarianus Bæticæ mons est.

Tenebrum promontorium est in agro Dertosano.

Trileucum quod etiam *Lexaciacorum* dicitur in Gallecis est, non procul à fluuio Brigantia.

Vrinium montem esse Hispaniæ non designatâ regione, complures tradunt.

Vadaneronem quidam non temerè Celtiberiæ montem esse existimant: ab alijs effractum atque in insulam positum: quem nunc *Vadanorum* corrupto in vulgus vocabulo appellari volunt. Olim

H

Ma-

Manibus sacer fuit, qui etiam à Martiale carmine celebratus est, vbi *Voberse* siluæ meminuit *Montordi* opidi, & *Somone* vici, & *Congredi* *Balnearum*: quæ omnia in agro *Bilbilitano* sunt: vbi & *Ferraria*. Distat mons à *Tarracone* dierum quinque itinere: quod à Poeta notatum est cum ait:

Quinta forsitan esseda videbis.

Mons ipse sterilis est, & niuosus, vbi etiam hodie intempesta nocte umbræ apparere dicuntur.

BARCINO

HIERONYMI

PAULI BARCINO-

NENSIS IURE-

consulti, ad Pau-

lum Pompe-

lium.

AMICORVM quosdam fures esse temporis ait Seneca. Tu contra Pompeii facis: curas enim & instigas ne surripiantur amicis, neque negotijs obruantur. Rogas vnum, aut aliud: quo temporum mora fructum aliquem literarum his, quos diligis, pariat: appellasque negotia ipsa impedimenta quædam philosophiæ & sublimioris exercitationis animi interceptionis. Interrupisti nuper per epistolam negotiosas legum actiones, gratissimo

rogatu Cupis enim vt quæ de vrbe mea, eiusque agro & principatu, incolis & situ, deque eorum rebus præclarè magnificeque gestis, apud priscos auctores & fide dignos legi, ad te scriberem, addita perstrictim vsque ad nostra tempora historia quod libens feci: id te exposcente: vt de eruditione taceam amicorum optimo: Placuit mihi à nostra, quamquam labori & vigilijs obnoxia, tamen vt iuris prudentes volunt, non minus, quam tua vera atque sacra philosophia: ad mitiora & cunctis iucunda studia, tui gratia & materiæ diuertere: placidiorique exercitio patrium solum, velut præsens, mente paulisper collustrare. Igitur vt à conditore ordiamur: Qui ab Hercule conditam tradunt recentiores parui momenti auctores habentur, nulla adiuti priscorum auctoritate aut probabili coniectura. verumtamen ea opinio in vulgus sparsa, fouente iactantia, difficilè truditur. Vnde veterum quidam Poetarum huic annexi Barcinonem Herculeam dixerunt: quod nonnulli tamen à cultu Iouis, non à conditore dictum conspiciantur: eorumque opinionem ex Macrobij sententia, sed non liquidò, vt nobis videtur, comprobare nituntur: qui ait summum maximumque in citeriore Hispania Martis numen fuisse, quem ipse ex radiorum ornatu solem interpretatur: eundemque esse & Iouem & Herculem. Quin etiam ad suæ opinionis confirmationem extare hodie aiunt, vetustos lapides delubri Martis in agro Settabitano, vbi Mars dominus vt Sol & Hercules appellantur: verum validior surgit opinio ex his qui existimant ab Amilcare Barca.

Poenorum strenuo & sapientissimo duce fuisse conditam primi belli Punici temporibus. Etenim Poeni & Carthaginem in agro Spartario, explorata opportunitate insignis portus, construxere, ubi exile oppidum fuerat ante, à Teucro positum, & plures alias vrbes in Hispaniæ littoribus. Itaque cum hæc: tum nomen (nam & *Barcine* etiam à veteribus est appellata) vel eiusdem argumento, indicant è familia *Barcina* fuisse conditorem. Ea, Carthagine & per vniuersam Africam clarissimis imperatoribus excellens fuit: quippe qui maximam senatus suæ Ciuitatis partem ad se traxere; non absque inuidia Gisgonum atque aliorum nobilium factionis aduersæ. Originem domus primariam, à *Barce* antiquissima vrbe Libyæ nonnulli existimant. Sed ne huius disquisitionis vel fragilis opinionis omisisse videamur: Credidere quidam *Barcinonis* primordia à *Barcilo* vrbe *Cariæ* fuisse ducti, vt reor, magis similitudine nominis & Græcorum Asiaticæque gentis profugijs atque erroribus, quàm veterum traditione. Porro primū qui vrbes nostræ meminerit, reperio *Pomponium Melam*. Is Augusti temporibus, inter parua oppida oræ Hispaniensis *Barcinonem* enumerat. Sed *Plinij* secundi tempore coloniam iam fuisse constat Romanam, *Fauentiam*que cognominatam: Interque colonias ius quoque *Italicum* sub diuo *Alexandro* habuisse, responso *Pauli* iuriconsulti ostenditur: *Diocletiani* item tempore frequentem fuisse urbem legimus, & suburbij auctam, attrita prius per Germanos sub præside *Gallieno* *Tarracone*. *Diui* verò *Constantini* principatu haud parui nominis & opulentam urbem fuisse

In Lusit.
D. De cē.
fib.

fuisse ex scriptoribus animaduertere licet. Cæterum prius quàm insequentia tempora perscribantur, erit operæ pretium antiquissimos quosdam *Clari* ciues vrbes nostræ florente in Hispanijs Romana *ues Barcæ* R.P. referre. Scio equidem Romanorum nominū *nonenses*. suscitata vetustate gaudebis.

L. *Licinius* secundus, & L. *Licinius* *Sura* ciues *Viri illustres Barcinonens.* nostri fuere, & vterque Consul. sed non vno tempore: vt in *Epigrammatibus* legitur, & eiusdem familiae *P. Licinius*; notæ, etiam poetæ *Martiali* probitatis. Fuit & *municeps* noster *C. Publicius* *Mellissus*: qui ob causas vtilitatesque publicas ex fide atque constanter defensas, statuam in foro *Barcinoni* meruit & *iiii* Vir eiusdem vrbes creatus est. Is magistratus ad *Seuiratum* postea auctus est. fuerunt & ex ea vrbe *C. Iulius* & *M. Antistius* homines, & amoenioris ingenij *M. Conetius*, & *Caluius Paulinus* huic omnibus honoribus in R.P. sua summa cum laude perfuncto etiam statua posita est, curate *Sergia Fuluinilla* rarissimi exempli foemina. Sed & huius generis viro, cui tamen *Ilerdensi*, *Gal. Paulino*, qui ab *Hadriano Cæsare* equo publico donatus est, statuam olim positam fuisse *Tarracone* cum titulo optimi, & in R.P. liberalissimi ciuis nunc etiam inscripta marmora ostendunt. Nobilitata fuit & olim monumento *Clari* adolescentis *Sp. Pomponij* magistri equitum, qui sub *Afranio* meruit. Eius epitaphium circumfertur sub his versibus.

BELLO SERTORIANO
SVSCEPTO VVLNERE
A CALAGVRRITANO HICIA.

H 3

QVEM VIA

GRATIA.

QVEM EX TEMPO FODI
ACQVIRENDÆ VALITVDINIS CAUSA
BARCINONEM PETII
AESCVLAPIO VOTA VOVI
TEMPLVM INGRATO
VT FIERET, STATVI:
MORTE IMMATVRA ME
INTERCIPIENTE A VALI
TVDINE ET AB AVRA ADOLÈ
SCENTEM MISERABILITER
DESTITVTVM VIDES.

*Qui, ne sis
nescius,
pleraque
confluxit
Epigram-
mata.*

1. 2. 3. 4.
5. *Scripto-
res Barci-
nonenses.*
6. 7.

Hoc ipsi epigramma alicubi fortasse Barcinoni latens vel iam perditum minimè legimus, sed eius testimonium habemus Cyriaci Anconitani, Epigrammatum per orbem sanè diligentissimi collectoris, cuius ad nos sex haud parua volumina peruenerunt. In hac quoque vrbe erectus fuit olim fornix à M. Aurel. Antonino Faustinae Augustae: cuius adhuc Epigramma in marmore cernitur. Post Constantinum sub Theodosio claruit L. Dexter historiarum scriptor, Praefectus Praetorio: cui Hieronymus libellum de illustribus Christianis dicauit. Sed nec caruit sanctissimis viris, Religionem nostram professis, & qui Pontificatum sub primitiuis Christianorum conuentibus in ea vrbe prouidentissimè tenuerunt. Quorum habentur egregij L. Victor, Acius, Alexander, Theoticus, & mox sub Theodosio superiore Pacianus, cuius adhuc ara colitur, vir, vt ait Hieronymus, castigata eloquentia illustris: & ab hoc Seuerus & Idalius huius sanctissimi senis pauca quaedam per interualla podagrae, scripta legimus. Ornauit & hæc tem-

tempora anistes Olympius, cuius per signi exemplo Pontius Paulinus Aquitanicus sacris nostris in hac vrbe initiatus, ad Pontificatum Nolanum assumptus est: huius extant epistolæ ad Licentium Poetam, Aurelij Augustini alumnus Religionis & humanitatis plenæ. Assertores etiam vsque ad necem habuit sacrosanctæ Religionis Eulalam virginem, & Euphratem Arabem aduenam, & hos Diocletiani temporibus: qui sub falsa suspicione immissi per Christianos in Nicomedia incendiis, persequeretur toto vrbe infantes, similis etiam occasio Neronem olim vt in Christianos sæuaret mouerat, sed alia causa Decianæ persecutionis fuit, quod ipse Decius Cæsar ærarium Romanum spoliatum ab Imperatore Philippo adulescente diceret, profusionibus factis in Fabium Christianorum antistitem, qua ratione & diuus Laurentius Celtiber thesauri Pontificij & à Fabiano in Xistum transmissi custos, diris, varijsq; cruciatibus adfectus est: & cum sempiterno nomine finem vitæ adeptus: cui merito ex cœlitibus soli Roma quinque quæ cernimus, per celebrata templa dicauit. Eodem quoque supplicio indignè necati sunt in hac vrbe Anastasius Ilerdensis, vir Equestris ordinis, ex eiusdemque Diocletiani aula, & alij quidam, tamen nonnulli apud Betulonem oppidum Barcinonis littori proximum occisos tradant. Sed iam ad temporum seriem reuertamur.

Irruentibus sub Honorio & Theodosio in Hispanias Barbaris, captaq; & diruta à Vandalis eius tractus insigniore vrbe Tarracone, succreuit habitatoribus Barcino: paruit post hæc Gothicæ

H 4

gen-

genti, & Alanis, vt reliqua Hispania. Quo tempore Ataulphus Gotorum Rex, Theodosij imperatoris muti gener; quia in mores Romanos propter coniugem mitescebat, conspirante clam Vallia, dolo suorum ibi interfectus est: Creditur à nonnullis vestigia quædam columnarum & antiquorum ruderum, quæ in paradiso sublimiore vrbis parte videntur, sepulcrum olim Ataulphi sustinuisse: pars reliquias arcis, alij porticus arbitrantur: Fama vulgi habet Herculem ibi monumento conditum, quæ opinio scriptis Salustij iuuatur: nam his in Hispania Herculem sepultum fuisse Afris & Iberis persuasum testatur. At Barcinoni sub ditione Gotica, augescente populo suburbana domus constructæ sunt, interque maiores Hispaniæ vrbes habita est, nam & sedem tum ibi Goti, quæ postea Toletum translata est, atque à Lusitania ad citi Alani constituerant, idoneam rati ad tutelam Pyrenzi, simul & maritimos exercitus inde facile in Italiam vel Numidiæ littora mittendos: ex copia item materiæ, ad construenda nauigia, accedente commoditate extantis tunc portus. Quodque Barcinon in Bæticam per maritima, vel in Celtiberiam & penitiorem Hispaniam per mediterranea euntibus atque redeuntibus quasi obuia ad utrunque iter occurrit: vnde existimatum est à non vulgaribus propter consistentem tum maximè in ea regione Alanam & Gotorum gentem, inceptos appellari *Got alanicos* populos: qui nunc *Catalani* dicuntur. Etsi quidam ab Angario quodam, cognomento Catalone, Germanorum duce dictos fuisse scribant: quem ante Caroli magni tempora nõ legitimo exercitu, vt Sarracenos pelleret, Hispaniam

niam intrasse tradūt, militibusque suis *Catalonorum* nomen indidisse, & paulò mox, dum Emporias vr bem obsidet, occubuisse. hunc ducem quidam non Germanicæ, sed Gallicæ gentis fuisse ferunt è Cattallaunica regione singulari prælio memorabili. Superiora sanè astruere illius tēporis scriptores videntur: qui vsque ad Caroli Calui tempora hanc regionem Hispanicam Gothicam & prouinciam Narbonensem Gallogotiam appellant. Sed iam Getarum tempora repetamus; Gothicam deinde gentem post ducentos annos in mores Latinos pæne transformatam, sed diuturna pace præsegnem, plurimoque luxu & varijs ac flagitiosis etiã libidinibus eneruatam; euertere Sarracenorum, quos nunc diximus, & Maurorum permistum genus. Itaque notissima Roderici Regis clade, Barcinon capta, peræque vt cæteræ Hispaniæ vrbes, acerbè quassata est; nam præter Cantabros, Astures, atque Pyrenensium aliquas gentes, quas vix locorum asperitas est tutata, vniuersa Hispania in Mauroarabum ditionem peruenit: mirumque profecto visum est, vt, quam Romani prouinciam olim, continuis ducentorum annorum & calamitosissimis bellis vix bene subegerant, qui eam Barbari per exigua quindecim mensium mora in seruitutem redegerint: Quinimo nec latis Hispaniæ finibus contenti, sed Pyrenæum transgredientes, & Aquitaniam, & cuncta inferiora vsque in Arlatem obtinere. Tanta fuit aduersantium syderū vrgens potestas: vel diuinæ potius mentis in degeneres à maiorum moribus populos aperta punitio,

Recepta deinde sub plurimæ famæ Carolo &

H 5

Ludo

Ludouico Augustis Barcino, à principibus gubernari coepit, qui *Comites* appellati sunt: & ciuibus rursus augeri, militiam magis quam commercia exercentibus. Quorum præstantia Comites bis à Sarracenis captam Barcinonem receperunt: ac longè lateque et si parua manu, dominatum auxere, continuis bellis innumeros Barbarorum exercitus profligantes. *Tarraco* primum, quæ à Gotis parum, & à Sarracenis plusculum instaurata fuerat, subinde & *Dertosa* commercijs opportuna, & *Ilerda*, claræ vrbes, à iugo Mauroarabum per eos liberatæ sunt & Catalanorum nomen vulgatum. quorum *Barcinon* metropolis fuit semper, utque summam magnam & multa perstringamus, à faucibus Iberi Niceam vsque, sub alpibus Imperium pertulere. Sed ne Catalanorum res etiam in Africa & Oriente splendide gestas texere videamur; quod sequente vita, alterius & protensioris erit operis, ad urbem duntaxat nostram redeamus.

Iunctis Aragonensium & Catalanorum imperijs sub Innocentio II. conspicua suscepit incrementa: captis præsertim *Balearibus*, pulsisque à præculto agro *Valentie* Afris: quo tempore mercaturæ pariter & militiæ intentæ Barcino, breuique hostium spolijs & commerciorum lucris amplificata, inter primas Hispaniæ iterum & celebriores Europæ connumerari coepit: continuata vsque ad nostra tempora gloria. Siquidem in omnibus & grauissimis bellis quæ in Sicilia, Sardinia, atque Italia, lateque per orbem à Regibus Aragonum foeliciter gesta sunt, naualibus maximè prælijs præcipua auxilia Barcinonensium fuere, prorsus nec vllæ sine eis partem victoriæ. Auxerunt nomē,
fa-

facultates, nauigatio & libertas, senatui, populoque à regibus ob ingentia merita concessa; ite religionis & iustitiæ obseruatiæ, ad hoc publicæ rei priuataque cura laudabili adiuta parsimonia, & cõseruatrice Imperij concordia, expurgataque in primis ciuitate, velut dulci reip. pernitiæ otiosorum incolatu.

Plurima & perpulcra quorundam ciuium nostrorum belli & pacis facinora iam nos, Populi, sollicitat ut prædatur. Sed ea vberiori operi Catalanicæ historiæ reseruat ad iuridicæ gubernationis formam trãseutes.

Post Punicam dominationem, cuius nihil liquidi exploratum habemus, legibus paruit *Barcino*, primum Romanis, quibus per Gotos exactis, intrusæ Barbaræ, lingua tamē latina promulgatæ, in quibus Romanæ vti petricosæ atque ambagiosis subtilitatibus inutiles abrogantur: & in eisdem, inter nationis Gothicæ homines & Romanos (sic. n. tū Hispanos appellabatur) cõiugia prohibentur, ne feritas gentis Romani sanguinis cõmitione mollesceret: quæ sanctio, lōgo post tempore, māsuefactis Barbaris, sublata fuit: sub ipsis Comitibus aliæ leges subortæ sunt, rudi sermone cõscriptæ, nec sententijs, ut plerisque videtur, satis cohærentes, vacantibus. utpote ea tepestate armis magis quam legibus incolis: quia manu Comitum omnia pene gubernantur: tū sub regibus adulta iam vrbe Romanæ leges à Iustiniano digestæ, restitute sunt: additis quibusdam municipalibus. quarum studio dediti cõplures, inter primos legum peritos claruere: tamen pauci, utcumque periti, nulla scripta reliquerint, forsibus omnino actionibus occupati: quæ acutissime atque exactissime in Barcinonensium foro etiam nūperaguntur. Accedit grauitas, & libratum animi iudicium, quo ciues nostri præcipue commendantur. Hoc igitur tenore morum & serie legum

opibus, & gloria florentem ciuitatem nostram pueri vidimus, eandem adolescentes mutata fortuna labantem; sed nunc intestinis bellis attritam, opibus exhaustam, ciuibusque infrequentem, dolenter cernimus, atque vtinam senes reuiuifcentem videamus, quod cura quidem & beneficentia optimi maximi que principis Ferdinandi, vt eueniat, haud desperare licet. Hæc bella, luxus, & ciuium discordiæ partim, (quibus opulentissimæ vrbes periire) partim tenacitas libertatis, licentia principis læsæ pepererunt.

Summa bellorum ratio hæc fuit: nam singulares causas & subinde ærumnas & cruentos annales velle perscribere non est huius operis. Quare ad situm vrbis transeundum est.

Pristini oppidi muri vetustate notabiles, integri adhuc videntur, paulò editiore parte vrbis, cū quatuor duntaxat portis, nunc enim nouem sunt. In illarum turribus capitis bubuli statua, dum cōderetur vrbs, posita fuere ad pacis atque imperij votiuæ signa. Hoc vetus oppidum, & quæ quōdam suburbia fuerunt illi circumquaque addita, amplectuntur nunc nouæ vrbis muri: quibus in superproauorum nostrorum temporibus adiuncti sunt ab occasu alij recentiores muri, quæ postea succreuerant pomeria claudentes: redditque vniuersa vrbs in plano iacens nouam faciem hemicycli, seu C litteræ utroque capite apertum æquor tangens: vnde expugnatu difficilior fit: exposita per frequentes procellas hostili classe naufragijs: nec facile vel æstate, auxilia prohibente. Etenim tutius noctu, & haud raro per lucem inter numerosa hostium nauigia, auxiliarias naues littus vrbe

sub-

subire vidimus incolumes: Mare ipsum nostra tempestate etiam aduersum ostenditur afflictæ vrbi, dum soluto veteri limite, obrutaque littorali area, vrbem petit, excavatque muros, & mœnia intus aperit: vnde pulcherrimæ ædes tractandis commercijs, reponendisque temporarijs mercibus ad littus posita, vndarum pulsu concussa ruina timent, & satis difficile est hybernos fluctus insipientis pelagi obicibus arcere. In quo tamen ardentem cura laboratur, obiecta immensitate molarum.

Intra vrbem templa visuntur pulcra quidem & egregia, in primis que plurimo claroque sacerdote ornata, inter que ipsa templa, vetusti operis diui *Michaelis* apparet, populari peruigilio frequentatum: quod olim *Aesculapio* dicatum fuisse non nulli arbitrantur: argumento afferunt, pavimento inscriptos angues: ab alijs templum fuisse *Iouis* existimatur, pari primariæ vrbis religione. Nam *Tarraco* eximio templo & cultu *Iouis* enituit: hoc sanè ex monumentis antiquorum lapidum patet, *Minerua* templum habuisse *Barcinoni*, haud procul ab vrbe, *Veneris* ædes fuisse fertur, vbi sanum diuæ *Eulaliæ Emeritensis* antiquitate venerabile, à Christianis dicatum fuerat, in quo sepulcra ciuium Romanorum ante demolitionem vidimus. Nam per superiora bellorum tempora, ne præsidium hostibus redderet, quod per obsidionem Gallorum euenerat, non absque graui vetustatis dispendio à nostris dirutum est: sed nuper eodem loco erectum. Muri & domus vrbis ex lapide sunt qui in monte *Iouis*, ab occasu vrbi prope iuncta semper reascitur. Vix in ea non luto sordidæ aut

poræ

porticibus occupatæ conspiciuntur: sed nec coelū
protectis subgrundissue aut mæriæ obtegitur,
proinde nec ædificiorum frontispicia deforman-
tur, quibus multas alioqui per celebres vrbes de-
honestari comperimus. Mons ipse ad decorem vr-
bis accedit & salubritatem, intercepta palustri au-
ra absolutos vndique & contra Zephyrū erectior
cernitur, læto vinearum & arborum conspectu;
probata in eo rubrica eruitur effossum olim
metallorum, vt multi autumant, index: Nec fonti-
bus caret limpidiſſimis, aut viuacibus herbis: pro-
spectu verò tam longinquo, vt quidam Balearicos
montes inde, ægrè tamen, sub Occasu aut Ortu so-
lis cerni contendunt. Cōstans fama tenet ex rema-
nētibus orta vestigijs, olim vrbi portum reddidisse
montem, ventis Euro atque Austro interq; hos
medio, tutissimum: quibus plaga illa validius infe-
statur, hic postea ficcus relictus est, refluente lōgius
Salo, ide oq; colonis fabricatio inchoata: famam cō-
firmare Artemidorus videtur, qui ait *Leletaniam* cu-
ius caput est *Barcino* portus frequentem fuisse:
Sed & idem his versibus Anieni apertè ostenditur
in ora Maritima.

Et Barcinonum amœnas sedes ditium

Nam pandit illic tuta portus bracchia,

Viuēt que semper dulcibus tellus aquis.

In summo montis specula est posita, vbi olim
fanū fuisse Iouis nō pauci consentiūt, Nunc q̄dicu-
las habet annuis ciuium conuentibus, iucundè si-
mul & religiosè inuisas, inq; ijs proculdubio pul-
cro fonti vicina percolitur, Iuliano dicata, q̄ vetu-
state collabentē, L. Desplanus Archidiaconus vir clari-
tudine & generosa probitate prænitens nuper in-
staurauit, fons ipse non profus abolita veteri su-

perstitutione, aditur à plebe *fortune fortis festo*. VIII.
Kal. Iulias, per famam apparentium eo die Nym-
pharū, verbena & filice coronatarū interq; mon-
tem & Rupricatum flumen, quod per septē ferme
millia passuū lōge ab vrbe pelagus ingreditur, pa-
lustria loca sunt, frugifera tamen alicubi & pascu-
is non ignobilia, fluuius ipse vbi accrescit, pontis
sepe vel impatiēs est, vel mutato cursu fallax. Vrbs
amæno magis quam fertili loco posita est, littore
satis profundo, præterq; ad *Tascas*: hæc loca sunt cō-
tra littus ad octo ferme stadia, vbi arenarū dorſa
inhibent atq; irritant mare, vnde extra, desurgere
naues solēt: Duos habet amnes, prædictū ab occasu
& *Betulū*, qui & *Betulus* dicitur ab ortu fluētē, propin-
quius, tenui alueo: sed irrigationib. vtili, vnde riui
per fossas & sulcos aquarios decurrunt in prædia,
terreni & struētulis operis, molinas etiam citates.
Scatēt & intra urbē frequētes putei, non improbæ
aquæ. Ducit & aqua è fonte perenni per lapideos
cuniculos in urbē, eq; receptaculis & castellis per
labra vel saltus in varia loca effunditur. Mulierū
præterea peculiaris pulchritudo, & matronale de-
c^o letiorē ciuitatē reddūt, vnde & tenacior manet.
Torus & soboles fit generosior. Ambitus est stadio-
rū circiter xxv: eadē pæne dimēſio est Neapolis I-
talicæ: sed Neapolis hodie ciue & aduenis plenior
habetur, vtq; Germanicę gētis pulcerrimas, sed ge-
lidas vrbes relinquamus, Florētia Etrurię clarissi-
mā urbē an pulchritudine & mūditijs vincat Barci-
no iustissima hæten^o dubitatio est: huius sane sitū
præstatorē omnino esse propter litt^o & celi apri-
citatē nemo inficiabit. Ferūt Astronomi eā sagitta-
rio suppositā, præcellēti Ioui domestico, interque
mul-

multa vrbis instituta ampliori, quàm diximus, & peri inferenda. AEdilitiæ sunt & mercatoriæ leges, per has iudicium ex bono & æquo, & sub cõpendio redditur à Duūiris, qui cõsules appellãtur: vnde consulares leges dictæ sunt: quarũ hac tẽpestate nõ in ea vrbe modò vsus viget, sed per cõtãtas fermè maritimas ciuitates nauticæ, & mercatorũ cõtroversiæ huiusmodi legibus, vel ex his depromptis, summa cũ auctoritate terminãtur. Vtq; Rhodias olim, ita plerique nunc per vrbem *Barcinonias* leges appellant, AEdilitiæ quoque plurimis & inclytis vrbibus exemplo fuere. Criminum animaduersio ciuiliũque causarum notio per creatos à Regibus Magistratus, maiori ex parte exercetur Pontificalis fori iurisdictione excepta. Cura frumentaria & R. P. per Quinqueuiros hodie gubernatur, anniuersario munere, adiunctis xxx. duobus, aut Centum Viris, si grauiora imminant. Ab hoc procerũ ordine, admissa etiã nuper in partẽ senatus plebe decreta emanãt. Creditũ est popularẽ hanc admissionem initia ruine vrbis nostræ parauisse, inepta ad gubernationem plebe, insolentia, atque indignitate imperandi, atque consulendi, tum de dissidia vel propter inuidiam nobilitatis promptissima & denique apta gubernari magis quàm regere. Sunt & Monetales, operumque & ærarij tractati & Scribæ: ac plures alij magistratus nulla iniuria historiæ tacendi.

Habet vrbs insigne; publicam mensam depositoriam, fidei, vel alienigenis & ignotis pertinacissimè nullo periculo, culpæ aut mora excusabilis. Illud quoque imitandum: quod in multis speciosis vrbibus, & Romæ negligi miramur; in Tabell

bellionem, Chirurgum, & medicinarium admitti neminem, nisi probatissimæ fidei examinatiq; curiosius exercitij: optima certè consuetudine, ne fides dolosæ aut imperitæ manui temerè committatur.

Nec nõn & hoc à compluribus laudari vidimus, quòd vrbem nostram Iudæis nequaquam licet habitare: vtpote generi hominum sordido, libidinoso atque impudenti, & nisi seruitute reprimetur, superbo atque crudeli: Ad hæc quòd est gens foenoris, aliorumq; noxiorum R. P. quæstiuũ sit profundè consecretrix: Quodque cæteros mortalium nescio quo singulari odio dolis atque fraudibus circumscribere conetur. Vnde nec hi, quorum maioribus Iudaica origo est, tametsi Christiani nominis, & forsitan probi, ad honores R. P. nostræ aut Tabellionatus, vel Medicinarũ officia admittuntur: existimantibus cunctis perdifficile maiorum mores, & vix obliuione generis exui posse: Sed nec Mahometicæ Religionis hominibus in eadem vrbe, præterquam seruis, commorari permittitur: ne pura Religio, aliarum vsu captis superstitionibus, deprauetur: neue religionum & cultus in vna eademque ciuitate diuersitas, inuidiam, odia, imposturas, & dissensiones, & clades interdum, atque extermina R. P. pariat. Quod in Antiocheni & Alexandrina, alijsque clarissimis vrbibus euenisse, qui res gestas legerit, facile intelligit. Magnificat ciuitatẽ præterea populorum conuentus totius prouinciæ Catalanicæ, & vrbium oppidorumque contributiones, à quibus vrbs nostra vt Nobile caput, colitur & augetur: quorum numerum præter vicos plus quam quadringentorum

Iudæi.

Turce.

Oppida
ciuitatis
Barcino-
mensis.

esse, compertum est. Quas referemus regiones & oppida. Clariores habentur: *Gerundenses*, & qui *Emparitanorum* vberem & portuosam regionem incolunt, & his vicini prisca nominis *Ausetani* & *Iannipolæ*, fullonica noti: Interque conualles *Pyrenæorum Cerretani*, antiquissimi Hispaniæ populi, in quibus *Liuium Salinatorem* oppidum condidisse perhibent, *Sertorij* temporibus, quod extat, perque *Pyrenæum* veteri *Aquitaniæ* contermini, *Paliarienses*, nouæ appellationis: Tum *Sicuri* aurifero amne perfusi, & sub eis *Ilergetani* campestres, qui & *Vrgellenses* dicuntur, littora olim versus *Leletanos* attingentes. In quorum finibus *Ilerda*, veteri historia & nunc litterarum *Gymnasio* clara posita est, fructifero solo; sed nebuloso per hyemem cælo taxata; At sub *Vrgellensibus* versus maritima iacentes *Cumulatij*, *Albimontani*, *Barbarienses*, conuallis. *Sigarrienses* & *pratenses* habitant: & à latere *Ceruarienses*: & varij ac candidi salis fossiles *Cardonenses*. Item *Minorienses* cum *Mediolanensibus*, & iuxta hos supra *Barcinonem* *Rubricaticenses*, & sub latus *Vallenses*: atque ad oram *Barcinonis*, ab ortu *Marisini*, & versus *Gerundam*, siluosi saltus incolæ: *Caprarienses*, & aurileguli *Tarnicolæ*: interque *Barcinonem* & *Tarraconem* libero prælati oppido *Penitenses*, ac deinde quondam primi & maximi *Tarraconenses*, cum eorum amœno agro olim *Suesetano*, à magnitudine suum, vt quidam existimauere, dicto. In ipsisque *Catalanorum* finibus *Dertusani* positi sunt, & *Ibericenses*. Itemque cis *Pyrenæos* *Catalanici* nominis in *Gallia Narbonensi* habitant *Ruscinonenses*, nobilem agrum colentes: quorum he-

Ilerda.

Tarraco.

hodie caput insignis *Perpinianum*, lanificio pollet, supraque hos ad radices *Pyrenæi* confluentani sunt, fossilium & fluentium metallorum possessores. His ferme regionibus ac vrribus & aliquot clarioribus oppidis haud exætius, quam nunc conuenit, descriptis *Catalania* clauditur. Horum *Barcino* princeps est mater. Quarum gentium tractus in longitudinem ferme centum septuaginta millia, porrigitur: Latitudinem vero, vbi maior centum triginta. Ab his olim gentibus deductæ ab *Ibero* amne vsque in *Bæticam* plures coloniarum: quarum plane longè clarior *Valentia*, & in *Balearibus*, *Maiorica*, Regnorum sedes alio opere celebrandæ: & validum in *Sardinia* oppidum *Calaris*, præterea, & in *Græcia* quondam per celebres *Athenæ* & *Zacynthus* insulæ, & *Icolsum* in *Africa* *Catalanorum* coloniarum fuerunt. Vnde non temerè quidam *Valentinos*, & *Maioricenses*, horumque regnorum incolas ab origine atque lingua *Catalanos* appellauerunt.

Supereff vt de agro *Barcinonensi* dicamus. *Ager Barcinonensis* Is ab antiquis *Leletanus* est appellatus, maiori tractu montuosus est, aut distinctus collibus: ideo non plurimi & ignobilis, vt olim, sed vbi cura adhibetur, laudati vini ferax: mutata posterioribus vitium cultura, maturataque ob densitatem musti feruoris mora, fertque oliuæ & fructuum pæne omnium copiam, qui arboribus nascuntur, sed & mellis & frugum, exiguo tamen

in frumentis reditu, venationi quoque & aucupio aptus est. Ex suburbanis salubriora habentur prædia procul à littore, propter lacunas & stagna: quæ *Betulonis* & *Rubricati* ostia circumstant: Idco, si liceat patriam describenti vel minutioribus oblectari, laudantur villæ versus Ortanos, Areolum collem, & albas petras. Sylvas habet cæduas complures Barcinonensis ager. Quare & materia abundè præbetur structuræ nauium. Pinus in eo frequentissima nascitur, copioso fructu atque esui pergrato. Artemidorus *Leletanum* agrum bonitate præcellentem tradidit: esculenta enim omnia ibi orta sapidissima notantur: Barcinonensis quoque *Muriæ* conditura apud veteres in precio fuit. Hodie, ut cernis, è *Barcineis* rebus præposci Romæ solent cultrorum omne genus, qui ad mensas, qui ad constrinam & Chirurgicos, qui que ad pugillares, & muliebrem quoque mundum pertinent. Sed quid non iam Roma externæ voluptatis ad se trahit? etenim leuia, & præmollia, quæ flaccida appellantur, stragula ab vrbe nostra perferuntur: quo delicatius per hyemem cubare liceat: aduehantur & inde percandida, & versicoloria vasa vitrea, cum Venetis certantia, & exilia, quæ vocantur thoralia. Quod si quibusdam, quæ pauca sunt, vrbs nostra carere videatur, ea peregrina navigatione suppleantur. Itaque fit, ut habitatoribus vel ad delicias desit nihil. Habet & aquas calidas Barcinonensis ager in Vallensium regione ab antiquioribus rectè memoratas: & quas plerique *Cerretanis* in Roscinonensi, & his quæ in agro Gerundensi sunt, prætulere. Habet & marmoris optimi, & auri atque argenti fodinas ad *Senium* montem,

Muria
Barcino-
ensis.

Vitrea
vasa.

Aque ca-
lide.

Marmo-
ris auri
& argen-
ti fodina.

tem: quamquam *Tarraconenses* & *Saguntini* lapides ad pavimenta meliores, & ob cœlestem colorem gratiores putentur. Et metallorum effossiones quæ in *Feliceto* ad pagum *Argentarium* & *mâsiones* rubras fiunt, hodie *Seniensibus* notiores sint. Hæc sunt loca, quæ decem fermè millia à *Maura* oppido *Iberi* absunt. Est enim *Hispania* cum multarum rerum prouentibus felix, tum vel maximè omnium metallorum pæne vbique ditissima. Testes fuere olim *Pœni*, & post deinde *Romani*, qui intimis atque supernis *Iberiæ* opibus præcipuè adiuti: videlicet metallis, frugibus, materia, lino, sparto, vino, oleo, lana, sale, *salsamentarijs*, corio, & equis, & pugnantibus denique ac verè viris, diuturna atque ingentia bella per orbem consecere. Extant etiam nunc pluribus in locis in vniuersam *Hispaniam* effossionum illorum temporum aperta vestigia, superioris & nostræ ætatis negligentiam, vel segnitiam acculantia: proinde & quotidianæ illæ querelæ ortæ, auri valorem indies augeri; liquidissima certè causa: cum aurum vbiq; gentium vel per luxum consumatur; & vbi plurimum gignitur intra foecundissima montium viscera, non sapientiore contemptu, sed per ignauiam relinquatur: ad cuius profectio continuam egestionem non dicam captiuorum, sed facinorosorum per prouincias iugem atque ingentem numerum sufficere posse quis neget? longè que Reip. fore vtilius, ut qui in tenebroso carcere miserabili otio squalent, vel ad remum damnati in adiumenta sæpe numero piraticæ, & scelerum ministeria traduntur, fructum aliquem publicæ rei in metallis eruendis, alijque operibus publicis exercendis,

dis, noxia corpora præberent. Nec hoc perspicuo exemplo caret: etenim reorum in primis opera prouidentissima orbis domina muros, templa, porticus, & thermas cõstruxit: itẽ porrus, theatra, pões, & palatia, quæ miramur, edificauit: hac ratione lógissima Italiã, diuersis vijs latissimẽ strauit, ac varios atque altissimos aquarum ductus stupenda longitudine cõtinuauit. Appenninumq; sexingentorum stadiorum producto ponte vrbi coniunxit: vt remoti montis pulcherrimos fontes, vix accolarum haustu notos, quasi captiuos, per saltus, & aspera montium tractos sibi seruire cogeret. Sed nescio quo me pacto vrbs magnitudo à patria ad se reuocauit: Quare iam finis operi imponendus erit.

Hæc perstrinximus, Pompili, de vrbe, ex qua editi in lucem sumus, vtq; amici genus non ignores, honestis maioribus: patre Iacobo Paulo Iureconsulto, (si filius in re obscura testis idoneus est) consummatæ inter opes & gratiam Principum virtutis & doctrinæ. Te nunc iuuicem accingi cupio ad id, quale me ipse rogasti: vtq; nos strictim de vrbe nostra cõscripsimus, tu quoq; excellẽtior, vel potius communis vrbs res iusto, sed clariori opere absoluas: mihi sufficiat amico simul & patri, quod debebam, vel tenuiter exsoluisse.

Barcinone anno M. CCCC. XCI. regnante
Ferdinando II. Castellæ & Aragonum Rege.

EPL

1

EPISCOPI ECCLESIAE
BARCINONENSIS.

1. **L** Vcius Victor, qui scripsit contra Ariam.
2. Actius 1. (nos.)
3. Alexander
4. Theoticus
5. Patianus, qui scripsit contra Nouatianos
6. Olimpius vir doctissimus
7. Ydaltus, qui plura scripsit.
8. S. Seuerus, qui à Gothis clauo infixus in capite occisus est: fuitq; vnus ex 70. Episcopis, qui condiderunt leges Gothicas.
9. Ioannes
10. Adaulphus, qui dedit domum suam pro domo Episcopali.
11. Trodinus, qui trasportauit corpus S. Eulaliæ de Ecclesia S. Mariæ matris ad Ecclesiam Cathedralẽ.
12. Guileranus
13. Theodoricus
14. Petrus 1.
15. Viues
16. Actius 2.
17. Deus dedit. In tempore istius ædificata est Ecclesia Puellarum S. Petri.
18. Guadallus
19. Gilasbertus nobilis
20. Berengarius 1.
21. Vm.

1 4

21. Vm.

21. Umbertus, ex nobili familia Alamanij.
22. Bertrandus.
23. Iuleus ex nobili familia Cardona.
24. Berengarius 2. Ex Comitibus Barcinonensib.
25. Raimundus Guillelmus 1.
26. Megarius, Tarraconēsis Archiepiscop. iste Tarraconem à Sarracenis destructam cœpit reedificare.
27. Arnaldus hermengaudus 1.
28. Guillelmus
29. Bernardus de bega 1.
30. Raimundus 2.
31. Berengarius 3.
32. Petrus 2.
33. Berengarius 4. Is cum Canonicis instituit domum caritatis, in tempore istius parochiali sancti Vincentij constructum est monasterium de Iunqueres pro monialibus sancti Benedicti, & institutus est ordo mercenariorum in eodem tempore.
34. Petrus, de domo Centelles 3.
35. Arnaldus 2.
36. Bernardus 2. In tēpore istius in parochiali S. Fausti erectū est monasterium de Monte alegre pro monialibus Canonorum regularium Sancti Augustini, & iste episcopus & Canonici concesserunt monasterium de Iunqueres magistro

- stro Sancti Iacobi de Spada.
37. Pontius
 38. Geraldus de galba
 39. Pontius de galba
 40. Ferrarius, in tempore istius facta est secunda translatio Sanctæ Eulalię ubi nunc est.
 41. Bernardus 3.
 42. Michael
 43. Guillelmus de Torelles
 44. Berengarius 5.
 45. Petrus de planella 4.
 46. Raimundus 3.
 47. Ioannes 2.
 48. Franciscus de blanes 1.
 49. Franciscus 2.
 50. Andreas Bertrandus
 51. Franciscus Clemens 3.
 52. Andreas 2.
 53. Simon Saluator
 54. Iacobus girat. magnus Theologus
 55. Ioannes de Soler. Theologus
 56. Rodericus de Borgia
 57. Gondifalvus de Heredia.
 58. Petrus Garricas 5.
 59. Henricus de Cardona
 60. Martinus Garcia.
 61. Guillelmus Raimundus.
 62. Ludouicus de Cardona.
 63. Ioannes de Cardona.

- BARCINO**
64. Iacobus Cassador
 65. Guillelmus Cassador
 66. Martinus Martinez del Villar,
 67. Ioannes Dimas Loris.

**REGVM
 ARAGONIAE SE-
 RIES, ELOGIAQVE IMA-**

GINIBVS SVBIECTA CAESARAV-

gusta, à Hieron. Blanca Czarau-

gust. CIO. IO. LXXXVI.

ad ann. MDC,

continu-

ata,

Suprarbienses Reges VII.



ARSIAS Eximini Dux strenuus, Re-
 gio Gothor genere natus, deperdit a iā
 Mauror. irruptionib. Hispania, Aynsa
 capta, eos adortus, cū in toto praelio ce-
 leste signū Crucis rubei coloris aureo
 veluti in clypeo, supra arborem (vnde nominis ducta
 appellatio putatur) quercum vidisset, de q̄, ipsis Mau-
 ris victor gloriosè triumphasset, Regio nomine dignus
 existimatus, primus Suprarbiensium Rex faustus om-
 nium acclamationib. est appellatus, anno CHRISTI
DCCXXIV.

*Regnavit ann ferè XXXIV. excessitq̄ è vita ad
 ann. DCCLVIII.*

GAR-

GARSI S Innici I. *Garsia Eximini F. Suprarb. I I.*
 Rex II Regni fines, oppidū aliquot bello partis, pro-
 tulit longius: in his Pompeiopolis, Vasconum Metro-
 polis, quae hodie Pampelona: sed, ut sunt res humana
 fluxa, non diu vrbe potitus, vitam cum morte commu-
 tauit: ad ann DCCCII. Regni ferè XLIV.

*Hoc tempore AZENARIVS vir armis praestans
 primus Aragonum Comes dictus.*

FORTVNIVS I. *Garsia Inn. F. Gars. Eximini III*
N *Suprarb. Rex III non mirus armorum, quam pa-*
ter auuq̄, studiosus, bellis assiduis Mauros lacepsuit:
de quib. in Olcassensi tandem valle manu conferta il-
lustrem victoriam reportauit: Ad ann. Dom. DCCC
XV. *Regni verò XII. diem clausit extremum.*

SANCTIVS *Garsia Fort. I. F. Gars. Inn. N. Gars. IV.*
Exim. *Pron. Suprarb. Rex IV. initio tam felici Mar-*
te depugnauit, totam vt sibi, debellatis hostib. Nauar-
ram subegerit. Tandem commissa pugna, à Muz. a. A-
ben Heazin Mauro Casar Augustan. Tyranno vnà cū
Garsia Aragon. Comite V. victus sine liberis occubuit,
ad an. DCCCXXXII. Regni ferè XVII.

*Tunc primū multorum annorum Interregnum in
 quo vetus Suprarbiense ius conditum, Magi-
 stratusq̄, inter Regem, Regniq̄, incolas medius,
 qui post IUSTITIA Aragon. dictus est, in-
 stitui coepit.*

INNI-



V. **INNICVS** Eximini F. *Arista*, paterno nomine appellatus, quod visis Mauris subito graui in eos ira odioq; exardesceret. Cum Pompeiopolis vrbi, victri-
exarserit ci olim manu parua imperaret, à Suprarbiensibus spo-
 Etate virtutis bellica nomine, *Ara* Suesti in oppido
 Rex v. salutatur, Iudicisq; illius medijs magistratu ex
 fœdere confirmato, imperium posteris mirifice stabi-
 liuit, cœlestiq; argentea Crucis insigni regio conde-
 corauit. Belli deniq; pacisq; artib. clariss. vitam cum
 regno posuit ad ann ferè DCCCLXX.

VI. **GARSIAS** Innici II. *Arista* F. Suprarb. Rex VI.
 Pompeiopolitanis & ipse imperauit. Sed ad Larame
 be oppidum iter faciens, à Mauris ex insidijs oppres-
 sus, casusq; est cum Vrraca coniuge, vltimi Arragoni-
 ci Comitis F. vnica, ad ann ferè DCCCLXXV.
 Regni verò XV. Cumq; Regina ictu mortua, qui ge-
 stabatur infans manum exereret, caso matris vte-
 ro, viuus eductus, educatusq; est clam: & Sanctius ab
 arca dictus, post Fortunium fratrem natu grandiorè,
 primus Aragon. Rex inauguratur

VII. **FORTVNIVS** II. *Gars.* & *Vrraca* F. *Arista* N.
 patri heres successus, VII. adeoq; vltimus Suprarb.
 Rex. Nam Regium Aragonum nomen, quod à *Kasone*
 fratre mox inuectum est, priscum illud Suprarb. anti-
 quauit. In Legerensi tandem cœnobio monachi se vo-
 tu sponte obstringens, Regno sex ferè annos admini-
 strato abdicauit, ad an. C. CIOI.

Hic secundum Interregnum annor. ferè IV.

Aragonia Comites sex.

VIII. **AZENARIVS** *Azenarij* F. *Hadenis* N. collecta
 so-

sociorum manu e Cantabria ad Pyrenaeos penetra-
 uit, opem *Garsie* Suprarbiens. Regi II. Pompeio-
 polim obsessuro, laturus. Hic Mauris Iaccam urbem
 eripiens, eius, aliorumq; circa oppidorum ditione à
 Rege donatus, primus sibi Comitis Aragonia no-
 men vindicauit, ad posterosq; hereditario iure trans-
 misit. Annos complures rerum potitus, animi corpo-
 risq; dotibus illustris moritur, ad annum DCCXCV.

IX. **GALINDVS** *Azenarij* Com. F. Aragon. Comes
 II. paterna dignitatis haeres, Iacca foro constructo,
 Urbis ius, formamq; dedit, eidemq; Magistratum,
 quem *Merimum* appellari voluit, praefecit. *Atare-*
sian praeterea, ceterasq; arces & munimenta, adhaec
 Acomueri in oppido Cercitense cœnobium sua pecu-
 nia exadificauit, vt non tantum fortis, sed & boni
 pijq; Principis munus nauiter obijisse videatur. Itaq;
 annos ferè XX. bene gesta Reip. laude insignis, vita,
 officioq; decessit, an. DCCCXV. à partu Virginis.

X. **EXIMINVS** *Azenarij* Aragon. Comes III.
 Gal. Com. F. *Azenarij* N. *Azenarij* cognomentum in
 aui gratiam memoriamq; sibi adiunxit. De reb gestis
 nihil memoria proditum: illud si demas ferro cum
 Mauris fortiter dimicantem, nulla sobole relicta ceci-
 disse.

XI. **EXIMINVS** *Garsie* Arag. Com IIII. *Azena-*
rij primi Com. F. Eximino Galindi fratris Filio suc-
 cessit. Casus & ille à Mauris imperauit non diu, vnico
 heredem relicto paterna dignationis successore.

XII. **GARSIAS** *Azenarij* Aragon. Com. V. Eximini
Gars. IV. F. in demortui patris locum vocatus, *Azena-*

rij cognomē & ipse, in primi Comitis memoriā assūp-
sit. A Casar August illo Tyranno Mauro unā cum San-
ctio Suprarb. Rege IIII. interemptus ad ann. Chri.
DCCCXXII. relicto Fortunio F. haredē, nullum
Interregno locum dedit.

XIII. FORTUNIVS Eximini VI & ultimus Aragon.
Comes, Gars. AZen. Com. V. F. haresq; Aristæ Regi
necessitudinis vinculo, & sanguinis affinitate coniun-
ctus, carus, acceptusq; quod Vrracā unicam F. Re-
gū F. Garsia nuptum dederit. In periculo sa illa primi
interregni tempora incidens, Reip. qua hodie tran-
quilla fruimur constituendæ suā for auctoꝝ existit.
Per annos amplius XXXVI. Comitis dignatione flo-
rens, senex decessit ad annum ferè DCCCLXVIII.
Garsias gener, post quem Fortunius N. Suprarb. Re-
ges suorā ordine collocati, hereditatem adierunt.
Hinc secundum Interregnum: quod Sanctius Keso,
N. & ipse, qui continenter sequitur, Regis nomine v-
surpato, clausit.

ARAGONVM RE- GES XXVII.

XIV. SANCTIVS I. Keso, Gars. & Vrraca Reg F. Arē
stāv. Suprarb. Reg. & Fortunij Com. VI. N. Fortunij
monachi Frater, legitimusq; hares repertus, latissi-
mus Procerum populiq; acclamationibus ad laccā
urbem Rex salutatur, & Abarca cognominatur.
Primus hic præclarum Comitum Aragoniæ nomen
in Regis titulum ornamentaq; conuertit: finesq; im-
perij, domitis sepius casiq; Mauris, longè late-
quē propagavit. Tandem carus suus, hostibus verè vel

nomine ipso formidabilis, vitæ stationem deseruit,
Regni ferè an. XXVIII. Christi verò orbi redimen-
do nati CIOXXXIII.

GARSIAS I. Kasoni F. Abarca identidem & ip-
se appellatus. Aragon. Rex II. Optimè administrata
R.P. liberis, quas ex Theresia coniuge sustulit, Re-
gno, quod ann. ferè sex & XXX. otij, paciūq; pu-
blica studiosus tenuerat, cessit, an. Dom. CCIDLXIX.

SANCTIVS II Garsia I. F. Kasoni N. Aragon.
Rex III. nunc Abarca, interdum verò Galindus di-
ctus, patre vitæ functo, Regiam potestatem nactus, a-
uita fortitudinis emulus existit, Prole ex Vrraca
Ferdin. coniuge suscepta, moritur, Regni ferè XX. an.
Christi verò CCIOXC.

GARSIAS II. Tremulus, Sanctij II. F. Gars. I.
N. Kas. Pron. IIII. Arag. Rex, Abarca & ipse inter-
dum cognominatus, virtute clarus existit, Regni que
clauo admotus, rebus præclare gestis, assiduusq; cum
Mauro bellis* exercitus, demum vitæ laboriosa, arum
nuq; plena cursum, Regni anno X. confecit: quo tem-
pore nati seruatoris millesimus agebatur.

SANCTIVS Tremuli F. natu maior Sanct. II. N.
Gars. I. Pron. Kas. Abu. Arag. Rex V. Hispania impe-
rauit. Filijs regna partitus, Ranimiro, Aragon. Re-
gnum concessit, coniugū nouerca precib. victus, quod
pudicitia illius custodem se propugnatoremq; aduer-
sus fratres obtulisset. Deniq; parta Reip. quiete, anno-
na copia, rerumq; omnium vbertate, cum Pompeio-
poli, Aragonia, Suprarbio, Ripacurtia, Vasconia, A-
lana, Castella, Asturijs, Legioni, & Asturica tran-

quillè imperaret, latus excessit A. D. XV. Kal. Nou. an.
CIXXXIII.

XIX. Regnavit an. XXIII. Mens. IX. Dies XIIIX.
RANIMIRVS I. Christianissimus Sanct. maio-
ris F. Tremuli N. Sanct. II. Pron. Garf. I. Abn. Kas.
Atn. Aragon. Rex VI. Cùm Christiana Religionis
(vnde Christianissimi cognomen) cultum cœroni-
asq; ex Rom. Eccles. sanctionib. multor. Episcopor. ad
Iaccam habito Concil. curauisset: Suprarbiensiq; Ri-
pacurtiensi, ac Pallariensi ditione quæsita, imperij ter-
minos protulisset, ad Gradus arcem pugnans, tandè
occubuit, A. D. VIII. Eid. Maij. A. Etatis LX. Natalis
Dom. CIDLXIII.

Regnavit an. XXVIII. Mens. VI. Dies XX.

XX. SANCTIVS IIII. Ranimiri I. F. Sanctij Maio-
ris N. Tremuli Pron. Sanct. II. Abn. Garf. I. Atn. Ka-
son. Trin. Aragon. Rex VII. gestar. rer. gloria clarus
Pompeiopolitan. Regnum adeptus, fufis sapius fuga-
tisq; Mauris, oppida complura amissa recuperavit.
Sed Oſca celebri Vescitania vrbe castris obſeſſa, dum
mœnia ſpeculabundus obequitans explorat, ſagitta
eminus emiſſa, latus confixus interiit, prid. Non. Iun.
an nat. XLIX. Natal. Chriſti CIXXCIII. Regni
ann. XXXI. & Dier. XXV.

XXI. PETRVS I. Sanct. IIII. F. Aragon. Rex. VIII.
in ipſa Oſca obſidione paterni imperij ſucceſſor, poſt
non diu, inſignem illam Alcorazensem victoriam, vi-
ctoriaq; clariffima, qua ad poſteros tranſmiſſa viſun-
tur inſignia, reportauit: quatuor nimirum Mauror.
Regum capita abſciſſa, hinc illinc S. Georgij Cruci
appoſi-

appoſita: qui exinde Regni tutelariſ Diuus religioſè
colitur. Capta deniq; Oſca, gloria nobilis, atq; omni
genere virtutum excellens, iure optimo, Pius, Fœlix,
Victor, & Maximus appellari cœpit. Annum iam a-
gens XXXV. ſine liberis exceſſit è vita, A. D. IV. K.
Oct. an. CIOCI V.

Regnavit an. X. Mens. III. Dies XXVI.

XXII. ALFONSVS I. Bellator Sanct. IV. F. Petri I.
frater Aragon. Rex IX. Hispania Imp. Caſar auguſta
hac nobiliſſima Sedetania Metropoli, quam Mauri
annos ferè CCCC. ſeruitute oppreſſam tenuerant,
expugnata, victos fugatosq; in Baticam uſq; ceden-
do perſecutus eſt. Tandem qui vnderitices collatis ſi-
gnis ſœlici ſemper Marte ſuperior diſceſſerat, ridicu-
lo quodam certamine, dum audacius quàm cautius in
hoſtem pugnare ſtudet, ad Gallicam Flammam cecidit
nullo hærede relicto, A. D. VII. Eid. Sep. An. Chriſt
CIXCXXXIII.

Regnavit ann. XXVIII. Mens. XI. Dies X.

Hic tertium menſis I. interregnum, quo Pompeiopo-
litani ſeorſim à noſtris in Rege deligen-
do conſultarunt.

XXIII. RANIMIRVS II. Monachus, Sanct. IV. F. Pet.
& Alf. Reg. frater, ex Tomarienſi monacho Episco-
pus, poſt Rex Aragon. X. creatus, cùm ſe regio ſceptro
faſcibusq; ineptum modeſtè iudicaret, Raymūdo Bar-
cinon. Comiti, cui Petronillã gnatã vnicã deſpõde-
rat, de ſumma re, regniq; administratione concedens,
quod reliquum vita fuit, ſacris vñè operatus, in diui-
narum rerum meditatione conſumpſit. Vixit annos

LXIII. Obijt A. D. XVII. Kal. Sept. An. Chr. CIO-
CXLVII.

Regnauit an. XIII. Mens. XI. Dies XXI.

Hic primum Arag. regnum foemina delatum.

XXIV.

PETRONILLA Ranim. II filia, Aragon. Regi-
na XI. vxor Raymundi Berengarij Barcinon. Comi-
tis: qui cum magni & excelsi animi Princeps, ma-
nu promptus, & strenuus existeret, vtriusq; ditio-
nis coniunctione, multisq; oppidis bello parit, commu-
ne imperium iusq; amplificauit. quod regina, magni
consilij foemina, ex A. D. VIII. Eid. Sextil. an. CIO-
CLXII quo maritum quinquagenarium amisit, fi-
lio, posterisq; saluum & incolume seruauit: ipsa quo-
que A. D. III. Eid. Oct. annos nata XXXVII. fato
concessit, an. CIOCLXXIII.

Regnarunt an. XXVI. Mens. I. Dies XXVI.

His nuptijs matrimonij tabulis ex pacto conuent.

Barcinonens. insignia Regijs Aragonen-
sium insignib. praeferrerecepta.

XXV.

ALFONSVS II. Castus, Petronilla Reginae &
Raymundi Com. F. Arag. Rex XII. patre etiamnum
superstite patrio nomine appellari solitus: Hic bellica
laude prestans, & quod mireris, castitate, continen-
tiaq; insignis. Inter cetera oppida Turonium expu-
gnauit, cui nouas Sepulveda leges concessit, Annum
agens XLIV. vita pertasus, ad superos migravit, A.
D. VII. Kal. May. an. CIOXCXVI.

Regnauit an. XXII. Mens. VI. Dies XII.

XXVI.

PETRVS II. Catholicus. Alf. II F. Aragon. Rex
XIII. Romae ab Innocentio Pont. Max. coronam im-
posi-

posita, hic dum Vbedensi illo memorabili praelio praesens adesset, periculorum socius, cum Nauarra & Lusitania Regib. à Castellano Rege aduersus innumerabiles Mauror. copias accersitus, cum singulis hoste caeso praedae loco abstulissent, Nauarrus insignia, Lusitanus spolia, & Castellanus victoria laudem, quasi debitum labori praemium depoposcisset, hic graue vulnus, quia pro fidei Christianae amplificatione accepisset, rebus illis caducis praetulit, maioriq; honori duxit. Laude itaq; & gloria illustris, in Muretina tandem obsidione Eidib. Sept. est interfectus, aetatis anno XL Christi CIOCCXIII.

Regnauit an. XVII. Mens. IV. Di. XIX.

IACOBVS I. Expugnator. Pet. II. F. Aragon. XXVII.
Rex XIV. Murtiensis, Balearicus, & Valentinus dictus. Is cum puer etiamnum turbulentam, ac pene collapsam R. P. accepisset, senex tranquillam & iam pridem praeclare constitutam, legibus armatam, trophatis ornatam, Prouincijs auctam, delubris ad bis mille in Deiparae Virginis honorem aedificatis illustratam: ac Granata Tumissi & Tremissi Regum vectigalibus locupletato erario, diuitem, deniq; magno sui desiderio morte obita astuantem reliquit: A. D. VI. Kal. Sext. An. Dom. CIOCCCLXXVI. Quamuis enim LXXII. aetatis excesserat, immatura tamen omnibus visa mors est.

Regnauit an. LXII. Mens. X. Di. XV.

PETRVS III. Magnus, Iac. I. F. Arag. Rex XV. XXVIII.
excelsi atq; inuicti animi Princeps, patre vita fun-
cto, sacro oleo inunctus est: Siciliam regno adiecit:

K 2

gene-

generale Priuilegium concessit. Deniq; Philippum Gallorum regem insolenter magno exercitu in Catalonia irrumpentem, paruis copijs repressit. fregit, ac debilitauit: in fugamque re infecta ac moribundum conuertit: sed non diu tanta & victoria & gloria superstes, moritur & ipse A. D. 1157. Eid. Nouem. aetatis quidem XLIX anno Christi CIOCC LXXXV.

Regnauit an VIII. Mens. III. Dies V.

XXIX.

ALFONSVS III. Beneficus. Petri III. F. Aragon. rex XVI. cum ceteris uirtutibus ornatus, tum beneficiis clarus, patri regnum, titulosque excipiens, cum hac ipsa in urbe regium diadema accepisset, de connectendo, quod pane temporis iniuria dissipatum erat, patri monio, praclaras leges tulit: Vnionis, ut vocant, priuilegia indulgit. Tandem annos natus XXVII. cum Eleonora Angliae regis F. pactas facere uolens nuptias, pestilenti morbo correptus immaturè, & absque haerede preptus est A. D. XIV Kal. Quint. An. sal. CIOCCXCI.

Regnauit an. V. Mens. IV. Dies XV.

XXX.

IACOBVS II. Iustus. Petr. III. F. Aragon. Rex XVII. in Sicilia patri cum adesset, hoc regno donatus, à nostris inde ad Regis munia obeunda euocatur, quod Alf. frater infauis nuper in nuptijs decessisset, (ut pro Epithalamio Epitaphium positum iam esset, ductumq; funus magna nobilitate, & luctu.) Urbem itaq; hanc ingenti pompa ingressus, regia tiara insignitus, Regniq; gubernaculis admotus, Iustitiae, aequitatisq; per studiosus, diu fama gloriaq; illustris imperauit, ann. XXXVI. Mens. IV. Dies XIV. cū

re-

rebus domi militiaque praclarè gestis abiit è uita postridie Kal. Nou. Christi Natalis an. CIOCCXXVII. Vixit autem LXVI.

ALFONSVS III. Benignus, & Pius. Iac. II. F. Rex Aragon. XVIII. Patri suus haeres successus, cum uniuersum iam regnum, pace tot tantisque bellis parta frueretur, initium capeffendi illius in augusta hac urbe, festorum, ludorumque celebritate, (dum insignibus potentia dignitatisque regia maiori quàm antea unquam apparatu, & pompa coronari uult) cononestauit. Ceterum cum miti admodum placidoque ingenio esset, boni & benigni Principis nomen adeptus, in ipso aetatis flore XXXVII. agens, diadema, uitamque posuit A. D. IX. Kal. Februar. ann. à nato Christo CIOCCXXXVI.

Regnauit an. VIII. Mens. II. Dies XXII.

PETRVS IV. Cœrimoniosus, Alf. IV. F. XIX. Aragonum Rex, septimestri partu editus (qui aut non uitalis, aut insignis ad omnem morum deformitatem existere putatur.) Simul atq; regni clauum tenere cepit, more maiorum & ipse coronatur. Qui nisi suorum sanguine foedasset, alijs plurimis gloria uel aquaretur, uel praferretur potius. Vnionis, quae uocant Priuilegia pugione, quem semper circumfererebat, rescindere conatus, cum è digito sanguinem elicuisset: Par erat, inquit, ut quae tot uirorum sanguine constitissent, non nisi Regis ictu conciderent. Postea crudelis ingenij posita feritate, maximis sibi Rempubl. beneficijs deuinxit, amoremque conciliauit ad senium enim post diuturnum regnum peruenit, annos natus uide se-

K 3

pua-

nos natus vnde septuaginta. Obijt postridie Non. Ian.
An. Christi. CIOCCCLXXXVIII.

Regnavit an. LI. Mens. XI. Di. XVIII.

XXXIII.

alienus.

IOANNES I. Pet. IV. F. Aragon. Rex XX. Pa-
tri ingenio dissimillimus: Quo composito, elatoq; ma-
gnificapōpa, Regnū. regniq; decus tārā accepit sed à
publicor. negotiorum mole natura* abhorrens, cū mi-
ro venandi ferasq; insectandi studio teneretur, mas-
cula prole carens, in ipsa venatione ex equo delapsus,
mortuus est repertus A. D. XIV. Kal. Iun. atatis ann.
XL. Chr. verò CIOCCXCIV.

Regnavit an. VII. Mens. IV. Di. XIII.

XXXIV.

MARTINVS Petri IV. F. Aragon. XXI. Rex à
Ioanne fratre ex testamento institutus, Regia orna-
menta cum Maria Luna coniuge summo Procerum
consensu laetitiaq; suscepit. Filius vtriusq; Martinus
& ipse dictus, cum Sicilia rex inauguratus, A. D.
VIII. Kal. Sext. an. Chr. CIOCCXCIX. pestilen-
tis vi morbi oppressus ad Callarem sine sobole legiti-
ma obijisset, pater filio, (cum hic illi natura lege debe-
ret) succedens, Siciliense regnum, Ducatumq; Athe-
nar. & Neopatr. Regno Aragon. pro camulo adiecit.
Nec diu post & ipse parens vix annor. XLIV. sine li-
beris decessit prid. Kal. Iun. an. Chr. CIOCCCCX.

Regnatum an. XV. Di. XI.

Hic quartum Interregnum annor. II. die-
rumq; XXV.

XXXV.

FERDINANDVS I. Honestus, Ioan. Cast. Reg. F.
Pet. IV. ex Eleonora filia, Ioan. I. & Mart. Reg. sore-
re N. ad Castas select. Iudic. sententijs A. D. VII. Ka.
Quinct.

Quinct. an. Do. CIOCCCCXII Aragon. Rex XXII.
renuntiatus, regno inaugurandus vi bē hāc alacer ac
latus ingreditur. Biennio post cōstitut a pacatāq; Rep.
diademate regio insignitur. Si firmiore corpusculiva-
letudine diudius imperare potuisset, nulli maiorū glo-
ria cōcessisset: verū morbi, qui cū multos iā annos an-
nos cōfluxerat, dolore victu, in medio at at. cursu an.
XXVII. decessit, A. D. IV. Non. Apr. à Christo nato
CIOCCCCXVI.

Regnavit an. III. Mens. IX. Dies VII.

ALFONSVS V. Sapiens, & Magnanimus Ferd. I. XXXVI.
F. Arag. Rex XXIII. Neapolitan. Princeps patre, avo,
maiorib. illustrior, sic claruit virtute, doctrinaq; sin-
gulari, vt, cū vtraq; re lōgē alijs prestaret omnib. v-
tra sibi ipse prestiterit, incertū relinquat. Doctorū ho-
minū tanq; Mecenās alter, insignis patronus: vt plures
sapiētiae laudatores nemo repererit. Primus in hac i-
psa aula Ioāne fr. Prorege vicē gerēte Comitā habu-
it. nā t̄aetsi Italicis diu reb. occupatus hinc abesset, vr-
bē tamē ornādā, magnificētia hac adiū, & ingēni pō-
tis lapidei exadificatione, Regij deniq; valetudinarij
ad pauperū CHRISTI curationē substructione, libe-
raliter curavit. Tandē domi, militia, terra, mari, cla-
rus ann. LXV. in spē resurrectionis acquieuit, sine le-
gitimis liberis, A. D. IV. Kalend. Quinctil. ann. Dom.
CIOCCCCLVIII.

Regnavit an. XLII. Di. XXVI.

IOANNES II. Ferdin. I. F. Alf. V. fr. Aragon. Rex XXXVII.
XXIV. ea fuit animi magnitudine, iure vt Magnus co-

K 4

gno-

gnomento dici queat. Et verò si eandem ingenij sui vim in externis bellis gerendis intendisset, quam in ciuilibus domesticisque industria, laborique patientia consumpsit, posset sanè vnus rebus praeclarè gestis aliorum retro Principum laudibus adaequari. Hic senio fessus, ac militariibus fractus laboribus (quos saepe, quasi gregarius miles esset, immensos tolerauerat) in ipso flore aetatis, quam & in octogesimum alterum annum produxerat, interijt, A. D. XIV. Kal. Febr. Ann. Chr. CIOCCCLXXIX.

Regnauit an. XXI. Mens. II. Dies XXV.

XXXVIII. FERDINANDVS II. Catholicus Ioan. II. F. Aragon. Rex XXV. Isabella Castelle Reg. matrona lectiss. vxore ducta, commune imperium maximis ac praestantissimis rebus illustrauit, amplificauitque. Sic autem de omni Aragon. R. P. de Optimatibus, de militibus, de domesticis, de ciuibus, denique de omnibus est meritus, iure vt, qui Illiberitanus, Africanus, Indicus, Neapolitanus, & Cantabricus est dictus, idem Pater patriae Prudentiss. Vigilantiss. Benigniss. adeoque Optimus appellari à nobis & possit, & debeat. Nullo suscepto filio, Karolum ex Ioanna gnata vnica N. regni haeredem instituit, cumque LXIII. an. attigisset, publico luctu & diuturnis lacrymis cohonestatus effertur. A. D. X. Kal. Febr. Nat. Chr. CIODXVI.

Regnauit an. XXXVII. Dies IV.

XXXIX. KAROLVS Austriacus Max. & Fortiss. Maximil. Rom. Imp. ex Philib. F. Ferdin. verò Cath. reg. ex Ioanna gnata N. Aragon. Rex XXVI. Rom. Imp. eius nominis V. Aug. & Inuictus. Hic Hispania regno susce-

scepto, Turcam fugauit, Gallorum Regem & Saxonum ducem captos vicit, Italos domuit, Afros superauit, haereses debilitauit, Gandauenses ciues suos tumultuantes repressit, Indos subegit, vt **VLTERIVS** quam Hercules, positus ad fretum Gaditanum columnis, rer. gestar. gloriam propagarit. Tandem humanae sortis, vitaq; pertasus, gloriam adhuc excelsiori animo fugiens, Regnis sponte se abdicauit. Et in D. Iusti Hieronymianor. sodalium coenobium, vt quod reliquum vitae erat, religiosè transigeret, secedens, triennium ibi in caelestium rer. meditatione consumpsit. Deniq; morte laboriosa vita digna pie obita, in beator. sedes emigrauit A. D. XI. Kal. Oct. ann. Seruat. CIODLVIII.

Vixit. an. LVIII. Mens. VI. Dies XXVIII.

PHILIPPVS I. Kar. V. F. Ferdin. Cathol. Regis **XL.** Pron. Aragon. Rex XXVII. Omnium aetatum ampliss. Imperij Monarcha, Triumphator, & Pacificus: Summus Catholicae fidei Religionisq; maiorum defensor, ad eam potentia maiestatisq; amplitudinem Dei Opt. Max. benignitate peruenit, cum orbis terrarum globum, vt **QUIESCAT ATLAS** humeris solus sustineat, vt iam gloria domicilium, non Atlantici Oceani, Chinesisue aut Zurijs maris, sed ijdem ipsi, qui solis cursum termini desiniant: Meritorum verò in Ecclesiam Cathol. omnemq; Christian. Remp. memoria in caelum vsq; secundis piorum votis penetrarit, mercesq; maneat sempiterna. Tandem plenus dierum febris ardenti correptus A. D. XI. Kal. Quint. extinctus est. Id. Sept. an. Red. CIODXCVIII.

K 5

Vixit

Vixit an. LXXI. Mens. III. Di. XXII.

PHILIPPVS II. Philippi I. F. Karoli V. N. A-
rago. rex XXVIII, quemadmodum regnorum &
nominis, sic virtutis paterna haeres, potentissimus or-
bis dominator, cui quanta Catholica religionis cura,
quantum sit concilianda pacis studium, testantur ha-
erentis vicina regna.

APPROBATIO.

NOS Decanus cæteri que sacrae The-
ologicae facultatis Doctores in hac
celebri Louaniensi vniuersitate
Regentes, Vniuersis & singulis cu-
susuis ordinis ac Religionis salutem, &
CHRISTI Seruatoris nostri pacem. No-
tum vobis facimus librum, quem D.
Damianus à Goes eques Lusitanus de Fi-
de, Religione, moribusque Aethiopum lati-
num fecit, à nobis, ipsomet domino Damia-
no petente, cum adhuc impressus non esset,
visitatum, examinatumque diligentia omni
adhibita fuisse. Cuius lectio hic per nos ap-
probata fuit, cum liber ipse contineat narra-
tionem eorum quae cognitione digna sunt.
Et quoniam haec vera sunt, denuò hac nostra
approbatione, cui sigillum facultatis nostrae
quoque adiunximus, iterum testamur eundem
ipsum librum talem esse, qui sine aliqua op-
po-

positione passim per totum orbem legi & de-
portari possit. Datum Louanij, anno à natiu.
Dom. M. D. XLI. Mens. Iul. die XII.

Ioannes van Houe dictus S. Theologiae
facultatis Bedellus & Notarius.

DAMIANVS A
GOES EQVES LVSITA-
nus Paulo Pontifici Romano
Tertio, S. P. D.

NVLLA baud dubie est res, in qua
berius niti debeamus, quam vt totus ter-
ra orbis (si id aliter fieri non poterit)
labore, sumptu, martyrio, ac omnium
nostrum cruciatibus, ad Christi fidem
alliciat, allectusque, vt sub vnum ordinem, & viuen-
di ritum redigatur. Cuius rei cura, tibi Paule Ponti-
fex Maxime, qui vt primus Episcopus, & Christi vi-
carius, eius vniuersali Ecclesiae praesides, ceteris no-
bis omnibus magis debetur. Quamobrem tuum est of-
ficium, (quod etiam iam cum magna spe omnium ince-
pisti) calamitatibus, quotidie ipsius Christi ouili oc-
currentibus mederi, & opera, & studio tuo efficere,
vt ipsi soli Christo totus mundus pareat, ac credat,
cum verò crediderit, vt tibi, monituque tuis, ve-
luti Petri successor, in omnibus, quae ad salutem ani-
marum spectant, obediant. Quod cum euenerit, dicemus te

auto-

antere, prophetiam vnius pastoris, & ouilis adimpletam esse. Cuius rei palmam si obtinueris, quis profecto Pontificum, te vel honore, vel felicitate, vel merito anteibit? vel cui triplicem tiam maiori iure concedemus, quam tibi? quam ut consequaris, temporalia licet alioquin infelicia, magnas tibi occasiones nunc præstant, infelicia, inquam, ob eas calamitates, quas in Europa medendas habes. Quæ ut vicina maiori certe periculo ecclesie imminet. A nemine acrius impetitur, quam à vicino hoste. Nunc verò ut has molestissimas curas, quæ tibi (ut scio) perpetuo cordi sunt, omittamus, ad alias mitiores veniamus, quæ cum magna spe coniunctæ sunt, ut alter & nouus quodammodo orbis, cum Christi fide, tuæ sanctitatis maiestatem & dignitatem agnoscat. Quas si pro tua prudentia ita tractaueris, ut te quasi gubernatore Ecclesie, tum Europæ, tum Aethiopicæ, vitatis periculis & naufragijs, in portum salutis veniat, de te canemus illud Propheticum Sapientia canticum, Penetrabo omnes inferiores partes terræ, & inspiciam omnes dormientes, & illuminabo omnes sperantes in Domino. videte, quoniam non soli mihi laboraui, sed omnibus exquirentibus veritatem. Ad quæ omnia perficienda adest iam demum tempus hoc in quo huiusmodi vaticinia per te adimpletum iri confidimus. Adsunt hic modò Aethiopes, gens magna & Christi avidissima, cuius sanctissimus Imperator amicitiam Europæorum Christianorum cupiens ad te, & ad inuictissimos Reges Lusitaniæ, legatos misit, per quos, ut ex eius epistolis apparet,

non tantum sibi Christianam amicitiam & charitatem cupit à Principibus Europæis impetrari, verum etiam eosdem (quos assidue in acerbissimis discordijs nouit versari) ad Christianam concordiam piensissime adhortatur. Res sanè ob quam omnes pudore affici debemus. Surrexit verò iam Regina Saba, & vocat nos in iudicium, errata nostra reprehendens. Adimplentur Christi prophetia, & quos ipse elegit, paulatim ab ipsius consortio dilabuntur, eiusque præcepta & promissa deuoluuntur ad eos, qui Ethnici & à Christo alieni reputabantur. Is enim Aethiopum Imperator, cum omnibus suis regnis, ut ex nostra enarratione apparebit, sub tua disciplina viuere cupit, neque quam magis optat. Nec etiam ignorat ex Apostolorum doctrina, quàm in octo libris digestam habet, Episcopo Romano, omnium Episcoporum totius orbis principatum deberi, cui planè sancteque parere vult, ab eoque in Christi Ecclesie institutis, bene & sanctè instrui, & ad id insuper viros doctos sibi dari orat, atque exorare auidè affectat. Nec eo contentus, ut suarum etiam postulationum in posterum extet memoria, petit, ut huius rei fides maneat in Pontificum Annalibus, ut sic ab historia Ecclesiastica, eius epistola, ac piissima optata illuminentur, & posteritas intelligat, quo tempore, sub quoque Pontifice hæc gesta fuere. Viros autem doctos, sacrarum literarum disciplina & aliarum artium bene instructos, non dubito, quin tua sanctitas iam ad eum transmiserit, aut omnino sit missura. Quorum doctrina & industria, simul cum sermone & labore nonnullorum, quos iam serenissi-

mi Reges Lusitania Emanuel & Ioannes eius filius
 miserunt, facies vt omnes Christiani in Aethiopia
 & India degentes. sensim legibus & institutis Roma-
 norum Episcoporum (quos Christi vicarios non refor-
 midant fateri) pareant. Quibus tandem tua opera no-
 biscum per veram religionem coniunctis, ac in vno o-
 cili simul, & sub vno pastore Christo congregatis, in-
 telligemus super nos omnes Domini misericordiam
 confirmatam, & eius regnum omnium saeculorum, &
 dominationem eius omnium generationum esse, &
 tunc omnis caro benedicet nomini sancto eius in saecula.
 Et ne prolixior sit exhortatio mea quam oportet,
 praesertim ad eum, cuius vita ac doctrina omnes imi-
 tatores sumus, & esse debemus, ad exordium enar-
 rationis me conferam, quam aliquantulo altius re-
 petam, vt sic clarius ostendam, quibus principijs haec
 sanctissima Preciosi Ioannis, & Regum Lusitania a-
 micitia & foedera inita sint, sperans me, dum qua ve-
 ra & legitima sunt, enarro, animos legentium
 incendere posse, & ad huiusmodi munera
 allicere, quo Christi fides vberius
 in omnib. terra angulis pro-
 pagetur, pradicetur,
 colaturq.

F I-

F I D E S,
 R E L I G I O, M O-
 R E S Q V E A E T H I O.
 P V M.



Nno ab ortu Seruatoris humani
 generis Christi 1433 vita functo
 Ioanne Lusitaniae Rege eius no-
 minis primo, cognomento bo-
 nae memoriae, qui Lusitaniam a
 Castellano incursionibus, oppugnatio-
 nibusque, quibus eam ferme totam popula-
 uerant, liberavit, inter alios, quos reliquit fi-
 lios, Henricus caeteris omnibus, in discipli-
 nis, praecipue Mathematicis doctior fuit, qui
 propter sola astrorum studia caelebs vixit,
 ac vt cursus stellarum accuratius meditare-
 tur, vitam in sacro promontorio, quod ca-
 put Sancti Vincentij dicitur, egit, quem lo-
 cum propterea, quod in eo caelum raro tur-
 bidum efficitur, elegit, ne nubibus inter-
 positis instrumentis, quibus ad ratio-
 nem eius muneris utebatur, considera-
 tio caelestium cursuum impediretur. Is au-
 tem Henricus, vt fructus studiorum suo-
 rum capesseret, id quod iam ex multis vi-
 gilijis compertum habebat, nempe Atlanti-
 cum Oceanum, in Indicum, rursus Indicum
 in Atlanticum profluere, nauibus proprijs
 suis, ac sumptibus constituit iuestiga-
 fuit.

Henricus

Atlanti-
 cus Oca-
 nus in
 Indicum
 Indicum
 in Atlan-
 cum pro-
 fluit.

IC.

re. quibus iterum atque iterum missis, bonam partem litoris Atlantici penetrauit, in quo oppida, & ciuitates, insulæque per multæ repertæ sunt. Quibus in locis omnibus Christi fides eius opera innotuit. inibi que templa quoque erecta sunt, præsertim in insulis olim desertis. quarum prima insula Lignorum, quæ vulgò *Madeira* vocatur, nunc celeberrima & frugifera est. Tandem vt sunt res mortalium instabiles, anno salutis nostræ 1460. die 24. Octob. morte interceptus has nauigationes, quoniam expers matrimonij erat, ad coronam regni, tanquam fundum hæreditarium transmisit. quæ per manus traditæ, ad tempus Ioannis secundi eius nominis, sine aliqua externorum Regum, ac principum æmulatione, aut inuidia deriuatæ sunt. Quo rege viuento, Columbus Genuensis, vir nauticæ artis peritus, ab ipso Rege, cui Occidentalium Indiarum nauigationes ostendere pollicebatur, repulsus, ac inauditus dimissusque auxilio, auspicioque Ferdinandi, & Elizabeth Regum Castellæ, illud iter feliciter tentauit, ac prouincias illas amplissimas, & magni emolumentum primus repperit, & qua nauibus adiri poterant, commonestrauit. Is autem Ioannes cum diu animo voluisset res Orientalium Indiarum, de quarum vbertate scriptis antiquorum, multa & varia prodita erant, inter alios immensos la-

*Madei-
ra.*

*Colum-
bus Ge-
nuensis.*

bo-

bores, & sumptus, quibus non pepercit, viros aliquot lingua Arabica edoctos, ad illas prouincias, præsertim ad Preciosum Ioannem mittere decreuit. Quorum duo fuerunt, Alfonso à Paiua, natus ex Albo Castro. Alter verò Ioannes Petrus à Couilhã, vterque Lusitanus. Ij Scalabitano, septimo die Maij, Anno à Seruatoris Christi ortu millesimo, quadringentesimo, octogesimo sexto, iter suum facere auspicati sunt, & mercatores se semper simulantes, primum Barcinona, inde Neapoli, postea Rhodo, demum Alexandria iter facientes, Cayrum peruenerunt, ibi mercatorum sodalitiu nacti, versus Thor iter ceperunt. In quo loco naui conscensa, ad quandam urbem, nomine Cuaquen, in littore Aethiopico sitam appulerunt. Postea Adenem nauigant, inde Alfonso iterum in Aethiopiam ad Preciosum Ioannem, Ioannes verò Petrus in Indiam proficisci inter se constituunt, Ioannes autem Callectio, Goa, ac toto Malabarorum littore peruestigato, Zofalam nauigauit, Inde rursus Adenem, hinc recta Cayrum profectus est, vt sodali suo inuento, in Lusitaniam ad Regem redirent, (statuerant enim cum Adene discessissent, certo quodam tempore, ad eundem Cayri locum conuenire) quo cum reuertentur, à duobus Iudæis Lusitanis, quorum alter Rabbi Abraham vocabatur, Beiensis,

*Precio-
sus Ioan-
nes.*

*Iter a
Prec.
Ioan.*

L al-

alter Ioseph Lamecensis, literas Regis Ioannis accepit, ab eisque intellexit, collegam suum Alfonso inibi vitam morte commutasse, Iisdem literis præceptum erat ne in patriam redirent, nisi Oromuzia perlustrata, ac Precioso Ioanne salutato, de cuius statu Rex avidissimè cupiebat certior fieri. Quade causa Ioannes Petrus ignorans quæ Alfonso eius collega, dum viueret, gesserat, iterum Adenem Rabbi Abraham socio repetit. Iosephum verò cū literis, quibus itinera sua, actaque significabat, ad Regem remittit. vnde quadam naui conscensa, in Oromuziam nauigauit. In quo loco Abraham Iudæo relicto, cui literas quoque ad Regem tradidit, Mecham versus nauigare constituit, quam cum iam in oculis haberet, cupido eum incessit montis Synai videndi. inde discessum est Thor. Rursus nauigatione vsus, faucibus maris Erythræi transmissis Zeilam, peruenit, reliqua deinde itinera vsque ad aulam Preciosi Ioannis pedibus emensus est, qui tunc temporis Alexander vocabatur, cui humanissimè acceptus, literas quas habebat à Ioanne Rege, tradidit, eique topographiam, quam vulgo mappam vocant, quo nostras nauigationes perspiceret, in manus dedit. Is autem Alexander cū statuisset eum remittere, ne id faceret, morte præuētus est.

est. Quo mortuo frater in eius locum successit, cognomento Nau, sed ab eo nunquam idem Ioannes Petrus potuit facultatem in patriam redeundi impetrare, eoque extincto, idem illi à filio Dauide regni hærede, denegatum fuit. Donatus igitur amplissimis muneribus, quæ illi ad patriæ desiderium leniendum concessa fuere, (quando exire provinciam non licebat) vxorem nobilem duxit, ex qua quàm plurimos filios suscepit. Hunc nostri Oratores, in ipsa aula Preciosi Ioannis inuenerunt, & allocuti sunt. A qua discedentes, anno M. D. XXVI. salutis nostræ, eum libenter in patriam reduxissent, atque ipse quoque eò redeundi, percupidus erat. sed id à Dauide obtinere nunquam valuerunt, respondente ad ipsorum preces, se illum virum, vna cum regnis suis, à patre Nau accepisse, eumque pari cura, & amore cum ipsis regnis seruare velle, nec debere illum tædere Aethiopicæ vitæ, apud quos tum à patre, tum ex sua liberalitate amplas diuitias, & ditiones accepisset. Is, vt nostri asserunt, omnium hominum fermè linguas callet, quade causa, & præcipuè ob eius eximiam prudentiam, tam avidè ab Aethiopiæ Imperatoribus retentus fuit. vnde res Lusitanicas eorumque nauigationes exactissimè cognouerunt. quibus sæpius recensendis, vt doctus & eloquens erat,

Ioannes
Petrus
Lusitanus.

Aethiopū nationē nobis cōciliauit. Postmo-
dum Ioanne secundo Rege mortuo, in eiuf-
que locum Emanuele felicissimo succedēte,
classe, cui præerat Vascus à Gama, anno mil-
lesimo, quadringentesimo nonagesimo se-
ptimo, Vlyssippone soluente, capiteque Bo-
næ spei primo superato, ad Indiam Orienta-
lem nostri tancem peruenere. In qua varia
bella gerentes, multas prouincias ac ciuitates
sub nostrum imperium redegerunt. Quæ
cū in Aethiopia, tum per finitimos, tum
per aliquot Lusitanos, qui ad aulam Preciosi
Ioannis tunc temporis ex India venerant, re-
nunciata essent, Helena Dauidis auia, quæ ob-
tenellam ipsius Dauidis ætatem, administra-
tionem regnorum habebat; quendam Mat-
thæum Armenium, virum multarum rerum
atque linguarum peritum, in Lusitaniam ad
Emanuelem Regem misit, & quo maior au-
toritas, & fides legationi esset, quendam no-
bilem iuuenem Abesynum misit, quos ego
sæpius in aula nostra conueni, & familiariter
allocutus sum. Is enim Matthæus varijs itine-
ribus, Goā ad Alfonso Albuquerque Pro-
regem peruenit, à quo humanissimè accep-
tus ac liberaliter dimissus, nostris nauibus, an-
no millesimo quingentesimo decimo tertio
Vlyssiponem appulit. Is coram Emanuele le-
gatione sua exposita, crucem concinnatam

*Legati
Preciosi
Ioannis.*

Crux.

ex

ex eo ligno, in quo Christus pependit, Regi
dedit, quam crucem frequentissimè vidi, &
veneratus sum, dum frater meus Fructus à
Goes, Regis cubicularius, eam in sua custo-
dia haberet. Literæ autem sui principis, quas
secum ad Emanuelem Regem tulerat, sic
loquebantur.

*Epistola Helena auia Dauidis Preciosi Ioannis AE-
thiopum Imperatoris, ad Emanuelem Lusita-
norum &c. Regem, scripta Anno millesimo
quingentesimo nono.*

IN nomine Dei Patris, & Filij, &
Spiritus sancti, vnus solius in-
tribus personis Dei, salus, gra-
tia, & benedictio Domini no-
stri, & Redemptoris Iesu Chri-
sti, filij Mariæ Virginis, nati in domo Beth-
lehemitica, sit super dilectum fratrem no-
strum Christianissimum Regem Emanue-
lem, dominatorem maris, victorem fero-
rum incredulorumque Maurorum. Domi-
nus Deus te bene fortunet, tibi victoriam de
inimicis tuis donet, tuaque regna & ditiones,
per deuotas preces nuntiorum Redempto-
ris Christi, nempe quatuor Euangelistarum
sancti Ioannis, Lucæ, Marci, & Matthæi, lon-
gè lateque dilatet, & extendat, quorum san-
ctitates & orationes te seruent. Certiorem te

*4. Evan-
gelista.*

L 3

fa-

facimus perquam dilecte frater, ad nos usque appulisse ex magna illa vestra & eximia aula duos nuncios, quorum quidem alteri nomen erat Ioannes, qui se presbyterum aiebat, alteri verò Ioannes Gomez, petijseque à nobis commeatum & milites. Quare nos mittimus nostrum Oratorem Matthæum, fratrem nostri seruitij, cum venia patriarchæ Marci, qui nobis dat benedictionem, mittens presbyteros Hierosolymam, qui est pater noster, ac omnium nostrarum ditionum, columna fidei Christi, & sanctæ Trinitatis. Is de nostro mandato misit ad magnum vestrum ducem eorum, qui pro fide nostri seruatoris Iesu Christi militant in India, ad illi significandum, nos esse promptos ad mittendum tum commeatum, tum milites, si necesse fuerit. Proinde fama accepimus principem Cayri cogere magnam classem aduersus vestras copias, nimirum ut sese vindicet de iniurijs damnisque, per militiæ tuæ (quam in India habes) duces, sibi (vt verè nobis constat) sæpe illatis, quod Deus sua sancta bonitate indies magis magisque fortunare dignetur, vt cuncti tandem increduli, penitus sub iugum mittantur.

Nos itaque aduersus illorum insultus misuri sumus militum copias, quæ maneant ad fretum Mechæ, scilicet Babel, Mendel, aut certè, si id tibi commodius videbitur, ad

Legatione Lusitanica.

Benedictio.

Fuit olim principis Cayri Sultanus, quæ ciuitatē nunc occupat magnus Turca.

Babel, Mendel loci, ad

portum Iudæ, aut Thor, vt tandem auferas perdasque huiusmodi Mauros, & incredulos à facie terræ, ita vt dona & oblationes quæ afferuntur ad sanctum sepulchrum, deinceps non vorentur à canibus.

Adest iam tempus illud promissum, quod, vt aiunt, Christus & mater eius Maria prædixere, quod scilicet in postremis temporibus oriturus esset è regionibus Francicis Rex quispiam qui aboliturus esset vniuersum Barbarorum, & Maurorum genus, & hoc ipsum quidem nunc tempus est quod CHRISTVS benedictæ suæ matri futurum promisit.

Porro quicquid Orator noster Matthæus, vobis dicturus est, id velut à nostra ipsorum persona profectum accipite, eique fidem adhibete. Est siquidem vnus inter nostræ aulæ præcipuos, atque ob id illum ad vos mittere voluimus. Commissemus autem hæc vestris nuncijs, quos huc legastis, sed cepit nos metus, ne nostra negotia, nõ ex nostra sententia vobis nota forent.

Mittimus ad vos per hunc nostrum Oratorem Matthæum, crucem vnã, factam haud dubiè ex frusto ligni, in quo seruator noster IESVS CHRISTVS crucifixus fuit Hierosolymis. Id autem sacrosancti ligni frustum, ex Hierosolymis ad nos

L 4

alla-

ostia maris rubri sunt.

Iuda & Thor.

sunt ciuitates maritima

ad sinum Arabicum

quo Lusitani quo

tannis in Barbaros excursum faciunt.

Franci.

Francicis id est, Christianis Europais: In di enim

& Mahometani ferè omnes Christianos

Europæ generalis nomine Francos vocant.

allatum est. Porrò ex eodem duas fecimus cruces. earum altera quidem apud nos manet, alteram verò dedimus isti nostro Oratori, ad vos perferendam. Lignum nigri coloris est, pendetque ab exiguo argenteo anulo.

Cæterum si vobis visum fuerit, aut vestras filias matrimonio iungere nostris filijs, aut nostros filios dare vestris filiabus, id & nobis in primis pergratum erit, & vtriusque vtile, & fraterni inter nos initium fœderis, quod quidem nuptiarum connubium, cum in præsentiarum, tum etiam in futurum, tecum inire percupimus. Reliquum est vt & salus, & gratia nostri Redemptoris Iesu Christi, sanctæque nostræ Dominæ Mariæ virginis, se extendat tum super vos, tum super filios, filias, vniuersamque vestram domum, Amen. Adhæc autem vos certiores facimus, si bella, exercitusque coniungere velimus, satis virium nobis futurum esse ad (diuino accedente auxilio) abolendū vniuersos nostræ sanctæ fidei inimicos. Verū nostra regna, & ditiones sic sunt in mediterraneis sita, vt nunquam in maria possimus erumpere. Quare nihil nobis est potentię in mari, in quo (Deo laus) vos omnium estis potentissimi. Iesus Christus sit vobis auxilio, res enim quæ in India per vos gestæ sunt, sunt profectò magis miraculose, quàm humanę. Quod si mille

ues,

velis armare naues, nos & comitatum dabimus, & cuncta, quæ ad eam classem opus erunt, abundè suppeditabimus.

Hanc epistolam cum aliquibus fidei, Religionis, morum, statusque Aethiopum articulis, quos Matthæus coram Rege Emanuele, & eius concilio explicuit, hortatu Ioannis Magni Gothi Archiepiscopi Vpsaliæ, in regno Suetiæ, cum quo in Prussia non vulgarem contraxi amicitiam, ex idiomate Lulitanico, in quo eam conscriptam habebam, latinam feci, quæ postea cum ipsis quoque articulis, me in scio, Antuerpiæ excusa est.

His ex legatis Aethiopum cognitis, Emanuel, vt erat & prudentissimus, & propagandæ fidei Christianæ auidissimus, legationem instituit grauisimis & ornatissimis viris instructam: cuius capita fuere Eduardus Galuanus, vir non minus ætate, quàm prudentia, ac rerum vsu grauisissimus, & Franciscus Alvarez, sacerdos, ac Regi à sacris, & is quoque senex, & moribus inculpatis; quos vtrosque de facie nouimus. Ij cum Matthæo sub Lupo Soarez Prorege ad Indiam nauigant, ac tandem Didaco Lupez à Sequeira, Pro rege, qui Lupo Soarez successerat, cum instructa classe, quam aduersus Turcas parauerat, ad portum Arquicu nomine, in litore Erythræo, ac in ditione Preciosi Ioannis situm deducuntur, ad quem locum appullâ est classis, an

no salutis millesimo, quingentesimo vigesimo, die secundo Aprilis, in quo itinere, in Camara maris Erythræi insula vita defunctus est Eduardus Galuanus, in cuius locum suffectus est Rodericus Limius, qui ab ipso Arquici portu, vigesimo nono eiusdem mensis cum socijs eiusdem legationis, duce simul, ac comite Matthæo (nam Abesynus ille iuuenis, de quo superius mentionem fecimus, è viuis iam discesserat) ad aulam Preciosi Ioannis contendere cœpit. in quo itinere quoque mortuus est Matthæus, ac in quodam celeberrimo cœnobio, nomine Bisayn à nostris sepultus. Post cuius funebre officium, ad institutam profectioem redeunt, ac post maxima itinera, labores infinitos, ingentia pericula, ad aulam Preciosi Ioannis perueniunt, à quo Rodericus cum collegis honorificè excipitur, ac tandem per actis mandatis, & acceptis, ad Emanuelem Regem remittitur. Is cum suis Arquicum profectus, classem, cuius prætor Lodouicus Menesius erat, & quæ ea de causa appulerat, vt eos reduceret, non inuenit, quæ illos, quod serius aduenerant, expectare non potuit propter ventorum importunitates, qui in illis plagis, miro naturæ arcano, sex perpetuos menses, ex vno cœli climate, deinde alteros illos sex menses ex aduerso spirant. Arquici literas inuenit apud Præfectum oppi-

*Officium
funebre.*

*Mirigdam
Vetorum
constan-
tia.*

di, à prætore Lodouico relictas, ex quibus Regis Emanuelis mortem cognoscit. Quam obrem iterum in aulam Preciosi Ioannis redeundum esse constituit, quo reuerso, Preciosus Ioannes ad Romanum Pontificem scribit, literasque Francisco Alvarez Romanam ferendas commisit. Ij omnes iam spacio sex annorum in illis prouincijs commorati, tandem cum legato Aethiopico, quem Preciosus Ioannes ad Regem nostrum mittebat, Arquici aliam classem regiam, quæ eorum causa iterum venerat, conscendunt: idque anno M.D. XXVI. mense Aprili. Inde soluentes Indiam petunt, ac tandem longis nauigationibus, Vlyssipponem ad Regem Ioannem, anno millesimo, quingentesimo, vigesimo septimo, mense Iulio redeunt, qui Oratorem Aethiopicum ob certas eius legationis causas, apud se ad annum millesimum, quingentesimum, trigesimum nonum vsque retinuit, Franciscumque Alvarez ad Clementem Pontificem septimum cum literis Preciosi Ioannis, cuius Orator ex Aethiopia venerat, misit, quas ipse Pontifex ex manibus eiusdem Francisci Alvarez Bononiæ, anno salutis millesimo quingentesimo trigesimo tertio, mense Ianuar. Carolo quinto Imperatore præsentem accepit. Quorum & aliarum ad Emanuelem, & Ioannem

Re-

Reges interpretatio, Paulo Iouio viro erudito debetur: qui eas ex Lusitanico sermone, in quem tum versæ erant, Latinas fecit, vt iam hic videre licet.

Litera serenissimi Dauidis Aethiopia Imperatoris ad Emanuelem Portugallia, &c. Regem, scripta anno millesimo quingentesimo vigesimo primo, Paulo Iouio interprete.



Nomine Dei Patris, vti semper fuit, cui non inuenitur principium. In nomine Dei filij vnicui, qui est similis ei, antequam sit visum lumen stellarum, antequam poneret fundamenta maris Oceani, alio autem tempore conceptus fuit in vtero virginis, sine semine virili, & sine nuptijs. In hunc enim modum scientia erat officij eius. In nomine paracleti spiritus sanctitatis, qui scit cuncta secreta, quæ sunt, vbi antea fuit, omnium scilicet altitudinum cæli, quod sine columnis, & absque vllis fulcimentis sustinetur, qui amplificauit terram, quæ antea non erat creata, nec cognita ad omnes partes ab ortu ad occasum & à septentrione ad austrum. Nec iste est primus, vel secundus, sed est Trinitas coniuncta in vno æterno creatore rerum omnium, ab vno

*Trinitas
coniuncta*

vno tantum consilio, & vno verbo per sæcula sæculorum. Amen. Has literas mittit Atani Tinghil, id est, thus virginis, quod nomen est à baptisate, nunc verò in ipso suscepti regni initio, assumpsit nomen Dauid, dilectus à Deo, columna fidei, cognatus stirpis Iudæ, filius Dauid, filius Salomonis, filius columnæ Syon, filius seminis Iacob, filius manus Mariæ, filius Nau per carnem, Imperator magnæ & altæ Aethiopiæ, magnorum regnorum, & ditionum, & terrarum, Rex de Xoa, de Caffate, de Fatigar, de Angote, de Baru, de Baaliganze, de Adea, de Vangue, de Goiame, vbi Nilus oritur, de Damaraa, de Vaguemedri, de Ambeaa, de Vagne, de Tigri Mahon, de Sabaym, vnde fuit Regina Saba, de Bernagaes, & Dominus vsque ad Nobiam finem Aegypti. Hæ literæ diriguntur Regi potentissimo & excellentissimo, semper victori Domino Emanueli, qui habitat in amore Dei, & firmus permanet in fide Catholica, filio Apostolorum Petri & Pauli, Regi Portugallia & Algarbiorum, amico Christianorum, hosti, Iudici, Imperatori, dormitori Maurorum, & gentium Africa, & Guinæ à promontorio, atque insula Lunæ, Maris Rubri, Arabia & Persidis, & Armutiæ, magnæ Indiæ, & omnium locorum earum, & omnium insularum, terrarum adiacentium, profligatori Maurorum, & forti-

um

um paganorum, domino arcium & altorum Castellorum, & murorum, propagatori fidei Iesu Christi. Pax tibi Domine Rex Emanuel, qui Dei fretus auxilio, Mauros occidis, & tua classe, tuo exercitu, & tuis Ducibus vndique tanquam infideles canes expellis. Pax sit cum Regina vxore tua, amica Iesu Christi, serua Mariæ virginis matris, ipsius Saluatoris totius mundi, pax sit filijs tuis, nunc vti in virenti horto, & florentibus lilijs, mensa esculentis parata: pax filiabus vestris, quæ sunt indumentis ornatae, sicut palatia aulæis exornantur. pax affinibus tuis, ex sanctorum semine procreatis, sicuti dicit sacra scriptura, filij sanctorum sunt benedicti, & magni foris & intra domum. pax sit consiliarijs & officialibus tuis, potestatibus, & ius dicentibus. pax Ducibus tuis castrorum & confinium & omnium rerum munitarum. pax omnibus gentibus, populis, & vrbibus, & cunctis inhabitantibus, præter Mauros, & ludæos. pax omnibus parochijs, & omnibus Christo & tibi fidelibus. Amen.

Cognoui Domine Rex, & mi Pater, quod cum ad te nominis mei fama, per Matthæum Oratorem nostrum fuisset delata, statim Archiepiscoporum, & Episcoporum, ac Prelatorum magnum numerum aduocari iussisti, qui de ea legatione Deo Christo gratias age-

gerent, ipsumque Matthæum summo cum honore, & hilaritate fuisse susceptum, qua de re mirificè sum lætatus, & gratias pariter Deo egi, & hoc deuotè fecit etiam populus meus. Dolui autè cum ab his intellexi ipsum Matthæum in reditu suo dum intraret fines meos in monasterio de Bisayn fuisse mortuum, cum autem ego non miseram, quoniam adhuc puer eram vndecim annorum, vix dum suscepto regni sceptro, post mortem patris, sed Helena Regina, quam loco matris colebam, & regnum pro me gubernabat. Is Matthæus mercator erat, Habraham vocatus, sed sibi nouum nomen idcirco imposuerat, vt securius per fines Maurorum iter faceret. Verùm is in Dabul à Mauris pro Christiano agnitus, in carcerem fuit coniectus. Quod cum significasset vestrorum exercituum Præfecto, is misit fortes viros, qui Christianum hominem è teterrimo carcere liberarent, maximè cum didicisset eum esse legatum meum. Itaque illum ereptum è manibus inimicorum, curauit vestris nauibus, ad conspectum vestrum transfuehendum. Is Matthæus meo nomine, tibi Regi mandata exposuit, rescripsitque se honorificè susceptum fuisse, & cumulatè omnis generis muneribus honestatū, quæ & nūcij pariter vestri affirmabant, quos magnus vestræ classis præfectus

ctus



ctus Didacus Lupez de Sequeira ad nos mi-
 fit, qui literas præsentarunt, quas afferre de-
 buerat Eduardus Galuanus, qui in insula Ca-
 meronis diem obierat, quibus conspectis li-
 teris, magnopere sum gauisus, & Deo egi gra-
 tias, & tum magnam cœpi voluptatem, cum
 pectora vestrorum nunciorum crucibus in-
 signita conspicerem, & experiter percun-
 ctando eos, ritus tenere fidei Christianæ, qui
 essent verissimi, & illud me singulari deu-
 tione iniecta vehementer permouit, quod
 intelligerem iter in Aethiopiâ inuentum
 esse, non sine miraculo. Nam referebant præ-
 fectum classis, quum diu per mare Arabi-
 cum errasset, & propterea de inueniendo no-
 stro portu desperasset, re infecta, redire in
 Indiam voluisse, maxime propter sæuas ma-
 ristempetates, sed in aurora opportunè ru-
 bram crucem in cœlo apparuisse, qua saluta-
 ta, à nautis proras in eam partem esse conuer-
 sas, monstranteque Deo repertum esse por-
 tum nostrum, quæ res mihi pro miraculo vi-
 sa est, & certè is classis præfectus Deo debet
 admodum esse dilectus, postquam tantam ei
 fœlicitatem concessam videmus, quantam
 nemo ante eum à Deo impetrare potuerit.
 De hac autem mutua legatione antiquitus
 prædictum fuit à Propheta in libro de vita,
 & passione sancti Victoris, & in libris sancto-
 rum Patrum, quod Rex magnus Christianus,

nus,

nus, cum Rege Aethiopiæ esset cum mutua
 pace conuenturus, sed hoc nequaquam futu-
 rum existimabam diebus vitæ meæ. Verum
 Deus certum sciebat, vt laudetur nomen e-
 ius, qui nuncium ad me detulit, vt ego pari-
 ter id mittere possem ad te patrem meum in
 Christo, & amicum, vt simus in vna fide,
 postquam à nullo alio Rege Christiano nū-
 cium aut certam notitiam habuerim. Hacten-
 us circum me Mauri erant, filij Mahome-
 tis, & Gentiles, & reliqui sunt serui, qui Deū
 non agnoscunt, & alij qui ligna & ignem ve-
 nerantur, & alij qui solem adorant, & alij qui
 serpentes Deos esse putant, cum his nunquā
 pacem habui, quoniam ad veritatem venire
 recusant, & frustra his prædicabam fidem,
 nunc verò conquiesco, & Deus quietem do-
 no mihi dedit cum hostibus meis & tuis. Nā
 in finibus meis cum armatus contra eos pro-
 gredior, ipsi faciem & terga vertunt, & Du-
 ces, & milites mei, per campos de his victori-
 as consequuntur. Neque mihi Deus irascitur
 vt dicit Psalterium, & Deus vota eorum Re-
 gum implet, qui iusta petunt, nec hoc ad lau-
 dem nostram pertinet. Nā Deo agendæ sunt
 gratiæ: is est qui mundum vobis dedit, & ter-
 ram Gentilium perpetuò concessit, a alio-
 rum terras, quæ sunt à finibus vestris, ad ini-
 tium Aethiopiæ, propterea ingentes Deo

M

gra-



gratias ago, & prædico summam eius potentiam, cum sperem eorum populorum filios, qui in tuam ditionem venient procul dubio fidei veritatem esse cognituros, quam obrem do gratias Deo, & spero quod filij vestri, & ego, & vos, de foelicibus earum rerum successibus, abundè lætabimur. & vos Deo debetis continuè supplicare, donec gratiam vobis det potiundi templi sancti in Hierusalem, quæ est in potestate hostium Christi, Maurorum, & Gentilium, & Hæreticorum. & si hoc perfeceris, caput tuum omni laude plenissimum erit. Cæterum ex numero Legatorum, qui ad me veniebant, cum prædicto Matthæo tres periere, & Præfectus Magnus vestræ classis deuenit apud Macua in colloquium cum Rege de Bernagais, qui est imperio meo subiectus, & statim legatos ad me misit, & munera ingentia, quæ mihi charissima fuerunt. Verum nomen vestrum omni gemma, & thesauro mihi preciosius videtur. Sed hæc transeamus, & agamus inter nos, quo modo inuadere, & capere possimus alias infidelium terras. Ego certè dabo millies centena millia drachmarum auri, & totidem millia militarium virorum. Itemque materiam & ferrum, & cuprum, in vsum ædificandæ, & ornandæ classis, magnam etiam

Arguicū

iam commeatus copiam, amicè vnà conueniemus, & quoniam non est consuetudinis, & dignitatis meæ ad petendam pacem legatos mittere, & tu primus à me eam syncerè quæsiuisti, ad verificanda Christi verba. Nam scriptum est, Beati pedes, qui portant pacem. Et ego propterea sum ad id paratus, more Apostolorum, qui erant vnanimis, & vnus cordis. O Rex, & pater mi Emanuel, vnus Deus te sospitem velit, & seruet, qui est Deus cœli, & semper vnus substantiæ, nec iuuenescit, nec fenescit. Is qui à te nuncium attulit, Rodericus Lima vocabatur, legationis optimorum virorum princeps, & cum eo Franciscus Alvarez, quem propter vitæ probitatem, & singularem religionem, & iustitiam valdè charissimum habui, maximè quod verissimis verbis, cum esset interrogatus de fide, aptissimè respondebat. Et ita debetis eum exaltare, & magistrum appellare, & dare ei officium conuertendi populos de Macua, & de Dalaca, de Zeila, & omnium insularum maris Rubri, quoniam sunt in finibus regnorum meorum, & ego ei concessi crucem & baculum, in signum potestatis, & ita vos iubete, vt hæc ei concedantur, & creetur Episcopus illarum terrarum, & insularum, quoniã hoc meretur, & idoneus est in hoc of-

Nunci.

Cruce & baculis.

M 2 ficio

ficio administrando, & tibi Deus plurimum benefaciet, vt semper sis fortis contra hostes tuos, & eos cogatis ad pedes vestros procidere, & Deus tibi vitam prolonget, & participem faciat regni cœlorum in optimo loco, sicuti ego pro me optarem. Audiui autem auribus meis multa bona de te, & oculis video, quæ videre nequaquam credebam, & Deus cuncta de bono in melius succedere velit, & ibi sit vester locus supra lignum vitæ, vbi est locus sanctorum, Amen.

Ego sicuti filius paruulus, quæ iussistis feci, & faciam si venerint legati vestri, vt inuicem mutuis opibus adiuuemur. Singulis autem Oratoribus vestris, qui venient, sicut tū fecistis ad Mazua, aut Delacam, & ad Portus intra angustias maris Rubri, ea tribuam, tribuique curabo, quæ fienda significabitis, sicuti maximè desidero, vt in consilio, & rerum actione, prosperè coniungamur. Nam cum ad ea littora copiarum vestrarum peruenerint, maturè & ego cum meis exercitibus adero. Et quoniam in finibus meis nemo est Christianus, neque templa Christianorum visuntur, concedam vestris hominibus habitandas illas terras, quæ sunt proximè Maurorum ditioni, propterea opus est, vt cœptis vestris debitum finem afferatis. Interim mittite ad me viros eruditos, atque etiam cœlatores
ima-

imaginum auri & argenti; & fabros cupri, & ferri, & stanni, & plumbi. item artifices, qui literis nostræ linguæ, pro Ecclesia libros imprimant, item aliquos, qui ex auro bracteolas facere, & cum his inaurare alia metalla sciunt. Hi erunt in domo mea honestissimè tractati, & si discedere voluerint, laborum suorum eis amplam mercedem soluam. Iuroque per Deum Iesum Christum Dei filiū, me eos liberè cum voluerint, esse dimissurum. Hoc autem peto fidentissimè, quoniam mihi vestra virtus spectata est, & bonitas maximè agnita, & scio me amari abs te plurimum. & hoc agnouit certius, quod Matthæum mei gratia honorificè & liberaliter susceperitis & remiseritis. Et ideo adnitor ea impetrare. neque hoc vobis pudorem afferat, nam omnia persoluam. Et id quod filius petit à patre, negari non debet. & tu es pater meus, & ego filius tuus, & simus coniuncti simul, sicut laterculus cum laterculo in pariete copulatur, ita duo in vno corde, & amore

Iesu Christi consentimus, qui est caput mundi, & qui cum eo sunt, assimilatur laterculis in muro

coniunctis. A-

MEN.

M 3

Litera



Litera eiusdem Davidis Aethiopiae Imperatoris, ad Ioannem huius nominis tertium, Portugallia &c. Regem, scripta anno M.D.XXIIII. Paulo Iouio interprete.



IN nomine Dei patris omnipotentis creatoris cœli & terræ, & omnium rerum factarum, visibilium, & inuisibilium. In nomine Dei filij Christi, qui est filius, & consilium, & propheta patris. In nomine Dei Spiritus sancti, paracleti, Dei viui, æqualis patri, & filio, qui locutus est per os prophetæ, spirando super Apostolos, vt gratias agerent, & laudarent Trinitatem perfectam in cœlo & in terra, in mari, & in profundo semper. Amen.

Mitto has literas & nuncium ego Thus virginis, quod est mihi nomen à baptisate, nunc verò cum imperij sceptro assumpsi nomen David, dilectus Deo, columna fidei, stirps Iuda, filius David, filius Salomonis Regum Israel, filius columnæ Sion, filius seminis Iacob, filius de manu Mariæ, & filius Nau per carnem, maximo & potentissimo, & altissimo Ioanni Regi Portugalliæ, & Algarbiorum, filio Regis Emanuelis. Pax sit tibi, & gratia Domini nostri Iesu Christi sit semper tecum. Amen.

Et

Eo tempore quo ad me relatum est de potentia Regis patris tui, qui Mauros fœdissimi Mahumetis filios debellabat, Deo gratias ingentes egi, propter incrementum, & magnitudinem, & coronam conseruationis, in domo Christianitatis. Similiter summam cepi voluptatem ex legatorum aduentu, qui verba ipsius Regis ad me detulerunt, ex quibus singularis amor, & notitia, & amicitia inter nos effecta est, ad eradicandos, expellendosque malignos Mauros, & incredulos Gentiles, qui habitant inter tua meaque regna. Dum essem in hac lætitia, audiui tuum meumque patrem, prius esse vita defunctum, quam hinc legatos ad eum mitterem. Quamobrem gaudium meum in mœrorem subito conuersum est, ita vt in hoc cordis mei dolore, mecum etiam aulæ nostræ proceres, & Prælati Ecclesiastici, & qui in monasterijs sunt, omnesque demum subditi nostri vehementissimum luctum fecerint, ita vt voluptas primi nuncij, cum tristitia huius nouissimi exæquaretur. Domine à principio regnorum meorum hæctenus nulla legatio, nullusque nuncius, vel à Rege, vel à regno Portugalliæ ad me peruenit, nisi dū viueret Rex, tuus pater, qui duces suos ad me misit, & proceres cum Clericis, & Diaconis, qui totum solœnium missarum apparatus attulerunt. Et propterea maxime sum lætatus, & eos honorificè

M 4

fice

Solennes missarum apparatus.

ficè suscepi, & non multo post eos dimisi, vt reuerterentur cum honore & pace. & postquam peruenerunt ad portum maris, qui est in finibus meis, in mari Rubro, non inuenere magnum Præfectum classis, quem pater tuus miserat, is enim non expectauit, & de hoc me fecerat certiore, quoniam non poterat expectare, cum esset moris vestri, de triennio in triennium magnum classis Præfectum creare. Interim alius nouiter creatus aduenit, qua de causa longiorem, quàm opus esset, moram legati contraxerunt. Nunc uerò mitto mandata mea per fratrem Christophorum Licanati, cui nomen à baptismo est Zaga Zabo, nempe gratia patris, qui desideria mea coram uobis explicabit. & item ad Papam Romanum mitto Franciscum Alvarez, qui nomine meo præstet obedientiam, uti iustum est. O Domine Rex frater mi attende, & da operam amicitie, quam inter nos pater tuus aperuit, & crebro mitte nuncios, & literas, nam eas magnopere videre desidero, uti à fratre meo, nam id æquum est, cum ambo simus Christiani. & Mauri, qui mali sunt, semper in sua secta concordēs existunt, & nunc profiteor me nolle in posterum legationes Regis Aegyptij admittere, nec aliorum item Regum, qui ad me sæpe legatos mittebant, sed solum Celsitudinis tuæ, quos venire maximè opto, quoniam Reges Mauri

*Obedi-
tia Pre-
sidi Ioã-
nis Papa.*

rime

ri me loco amici non habent, propter Religionis dissensionem, sed amicitiam simulat, ut tutius & liberius mercaturam in nostris regnis exercent, inde magnum commodum consequuntur. Ingentem enim vim auri, cuius sunt auidissimi, è regnis meis exportant, cum parum mihi sint amici, & comoda eorum nullam mihi afferant lætitiā. sed hoc tolerandum fuit, quoniam superiorum regum nostrorum vetus est institutum, & si eis nequaquam bellum infero, & penitus profligo, temperandum in hoc mihi esse arbitror, ne illi cōtra sanctū templum in Hierusalem violent, & diruant, in quo sepultura est Iesu Christi, quam Deus in potestate fœdissimorum Maurorum reliquit, & pariter soloquarent alia templa, quæ sunt in Aegypto, & Syria. & hæc causa est, cur eos non inuadā, & debellem, cuius rei me plurimum tædet. Etiam hoc mihi facilius persuadeo esse faciendum, quum neminem Christianum Regem habeam finitimum, qui me adiuuet, & cor meum exhilaret. Ego mi Rex nequaquam lætari possum de Christianis Europæis Regibus, cum eos audiam in vno corde minimè consentire, vigereque inter eos bella. Estote simul omnes in vna concordia vnanimes. Deberetis enim inter vos certo fœdere esse contenti. Et certè si mihi Christianus Rex finibus esset coniunctus, nunquam vna hora

M 5

ab

ab ipso discederem, & de hoc non planè scio quid dicam, aut omnino faciam cùm hæc à Deo ordinata esse videantur. Domine mitte obsecro frequentes ad me nuncios, nam cùm literas tuas video, vultum certè tuum intueor. Quoniam maior amicitia oritur inter lóginquos, distátes, q̄ inter eos qui propinqui sunt, propter desideríũ quo tenentur. Nã is qui recóditos habet thesauros, cùm eos oculis non videat, corde semper, & quidè vehemētissimè diligit, sicuti Dominus Iesus Christus in Euangelio dicit, Vbi thesaurus tuus, ibi cor tuum, ita cor meum apud te est, quum tu ipse meus sis thesaurus, & tu pariter me, tuum thesaurum debes efficere, & cum meo tuum cor syncerè copulare. O Domine frater serua verbum hoc, nam es prudentissimus, & (vti audio) patri in sapientia similis, & de hac re cognita statim Deo gratias egi, abiectoque dolore, gaudium à me susceptum est, & dixi, Benedictus sit filius sapiens & magni capitis, filius Regis Emanuelis, qui sedet in cathedra regnorum suorum. Domine mi caue ne defatigeris, cùm sis fortis non secus ac pater tuus, nec ostende debiles vires aduersus Mauros, & Gentiles. Nam eos cum Dei auxilio adiuuante virtute tua, facilè debellabis & destrues. & non dicas tibi esse à patre tuo vires exiguas. Nam ea sunt certè satis magnæ, & Deus semper opem

fe-

feret. Mihi adsunt viri, aurum, commeatus instar arenæ maris, & stellarum cœli. Nos simul coniuncti totam Maurorum barbariem destruemus. neque aliud à vobis peto, quàm peritos viros, qui meos milites in prælijs ordines seruare doceant. Et tu Rex vir integræ ætatis existis. Rex Salomon duodecim annorum ætatis, imperium suscepit, habuitque magnas vires, & patre sapientior fuit. Ego quoque cùm Nau pater meus excessit ab humanis, puer vñdecim annorum remansi, ingressusque sedem patris, Deo dante ampliores opes & vires eo sum cōsecutus. Nã in manu mea omnes finitimi & Regni Gentes existunt. propterea ambo gratias Deo agere debemus tanti accepti beneficij. Præbe mihi aures frater, & Domine. Nam hoc vno verbo à vobis postulo, vt viri docti, atque etiam artifices mihi mittantur, qui imagines, & libros impressos, enses, & omnis generis arma militaria fabricare sciant. Itemque architecti, fabri lignarij, & Medici, qui pharmaca componere, & vulnera curare didicerint. Cupio etiam eos habere, qui aurum in bracteas extenuare, & aurum & argentum egregiè celare valeant, ac etiam aurum & argentum è venis terræ erudere, & metallorum omnium fodinas exercere sciant. Præter hos apud me etiam chari erunt, qui plumbeas tegulas ducent, & tegulas ex creta facere docebunt. omnes denique

artifices mihi vsui erunt, & præsertim sci petorum. A diuua me obsecro in his rebus, sicuti frater fratrem, & te Deus ita adiuuabit, & ab omni malo liberabit. Deus exaudiat orationes, & petitiones tuas, sicuti recepit sancta sacrificia in omni tempore, & in primis sacrificia Abel, & Noe quando fuit in arca, & illud Abraham, quando fuit in terra Madiam, & illud de Isaac quando discessit à fossa iuramenti, & illud Iacob, in domo Bethlem, & Moyfis in Aegypto, & Aaron in monte, & Ieson filij Nau in Galgala, & Gedeonis supra plagam, & Sampsonis, quando sitim habuit in terra sicca, & Samuelis in Rhama Prophetæ, & Dauid Nacira, & Salomonis in ciuitate Gabeon, & Heliz in monte Carmelo, quando suscitauit filium viduæ Mulieris è Richa supra puteum, & Iosaphat in prælio, & Manasse quando peccauit, & ad Deum est cõuersus, & Danielis in spelunca leonum, & trium sociorum Sydrach, Misach, Abdenago in camino ignis, & Annæ ante altare, & Nemiæ, qui fecit muros cum Zorobabel, & Mathiæ cum filijs supra quartam partem mudi, & de Esau, supra benedictionem. Ita Domine, Deus recipiet tua sacrificia, & supplicationes, & te adiuuabit, & erit pro te contra omnes peruersitates in omni tempore, & singulis diebus. Pax sit tecum, & ego te amplector sanctitatis brachijs, & similiter singulos

am-

amplector, qui tibi sunt à consilijs sanctis Regni Portugalliæ. Itemque Archiepiscopos & Episcopos, Sacerdotes & Diaconos, virosque pariter & mulieres. Gratia Dei & benedictio virginis Mariæ matris Dei sit tecum & omnibus. Amen.

Litera eiusdem serenissimi Dauidis Aethiopia Imperatoris, ad Pontificem Romanum, scripta anno millesimo quingentesimo vigesimo quarto, Paulo Iouio interprete.

IN nomine Dei patris omnipotentis, creatoris cæli & terræ, visibiliũ, & inuisibiliũ. In nomine Dei filij Iesu Christi, qui est idẽ cum ipso, à principio mundi, & est lumen de lumine, & Deus verus, de Deo vero. In nomine Dei Spiritus sancti, Dei viui, qui processit ex Deo patre. Has literas is ego Rex mitto. cuius nomen leones veneratur, & Dei gratia vocor Athani Tinghil, id est, Thus virginis, filius Regis Dauid, filius Salomonis, filius Regis de manu Mariæ, filius Nau per carnem, filius sanctorum Petri & Pauli, per gratiam. Pax sit tibi iuste Domine, pater sancte, potens, pure, sacrate, qui es caput Pontificum omnium, & neminem metuis, cum nemo tibi possit maledicere, qui es vigilantissimus supra animas curator, & ami-

cus

cus peregrinantium, consecrate magister, & prædicator fidei, & earum rerum hostis, quæ conscientiam offendunt, amator optimorum morum, vir sanctus, quem omnes laudant, & benedicunt. O fœlix sancte pater, ego tibi reuerenter obedio, cum sis pax omnium, & cuncta bona merearis, & ita æquum, vt omnes tibi obedientiam præstent, sicuti sancti Apostoli præcipiunt apud Deum. Hoc verè vestrum est, ita etiam præcipiunt, vt veneremur Episcopos, Archiepiscopos, & Prælatos. Similiter vt te loco patris amemus, & loco Regis vereamur, & tibi vt i Deo fidem habeamus. Propterea dico ego humiliter, ad terram genibus flexis, tibi pater sancte sincero admodum corde, quod tu pater meus es, & ego filius tuus. O pater sancte potentissime, cur neminem vnquam ad nos misisti, vt certius de vita, saluteque mea cognosceres, cum tu sis pastor, & ego ovis tua. bonus etenim pastor sui gregis nunquam obliuisceretur, nec tibi à regionibus vestris nimium semotus debeo existimari, vt nuncijs ad me nequeant peruenire, cum ex remotissimis terrarum regnis Portugallia Rex Emanuel filius tuus, Oratores ad nos commodissime miserit, & si Deus eum ad se in cœlum euocare distulisset, ea quæ tum agitabamus, procul dubio fœlicem exitum habuissent. nunc verò maxime opto prospera & salu-

salutaria de sanctitate vestra, per certos nuncios audire. neque enim vnquam à sanctitate vestra verbum recepi, quum aliqua tantum à nostris, qui ex voto peregrinantur audierim. Sed hi, cum neque meo nomine proficiscantur, neque quicquam literarum à vobis afferant, incerta fide nobis percontantibus, dicunt se ab Hierosolyma, deinde solutis votis, ad visitanda Apostolorum limina Romam peruenisse, cum intelligant ea loca facile peti, quod à Christianis teneantur, & certè summam capio ex eorum sermonibus voluptatem, quoniam dulcissima cogitatione sancti vultus tui imaginem intueor, quæ mihi Angeli formæ simillima videtur, & illam sicuti angelicam me diligere, venerarique fateor. Sed profecto mihi esset gratius atque iucundius, verba tua, tuasque literas deuotissime contemplari. Atque ita nunc te oro, vt nuncium tuum cum benedictione ad me mittere velis ad exhilarandum cor meum. nam cum in religione, & fide consentiamus, id mihi ante omnia videtur expetendum, suppliciterque item oro, vt amicitiam meam, ad instar annuli, quæ induis in digitum, & torquis aurei, quæ humeris imponis, in intimum cor reponere velis, vt mei memoria nunquam ex animo vestro deleatur. Gratis etenim verbis & literis amicitia maxime crescit, cum eam sancta pax complectitur, è qua omnis humana lætitia facile prouenit.

*Limina
Apostolorum
Romæ.*

Psal. 41.

Quemadmodum enim is, qui vehementer sitit, frigidam maximè aquam desiderat, ut in sacris scripturis habetur, ita animus meus ex nuncijs, & literis, quæ ex remotissimis terris deferuntur, incredibile gaudium concipere solet. neque tantum modo de Sanctitate vestra, si aliqua audiero, verùm si certa de singulis terræ Christianæ Regibus referentur, mirum in modum lætabor, sicuti his accidit, qui præliando opima spolia reperiunt & legunt, hoc enim facillimè fieri potest, postquam Rex Portugalliæ totum id iter aperuit, qui ad nos iam pridem legatos suos misit cum strenuissimis equitibus. Dum autem pater meus esset in humanis, neque tum, aut demum à quoquam alio Rege Christiano, vel ipso Pontifice, aut nuncium, aut omnino literas recepimus. Quanquam in Archiuis proavi nostri seminis Iacob earum litterarum memoria conseruetur, quas Papa Romanus nomine Eugenius, ad has terras misit, cum ipse semen Iacob regnaret, Rex Regum in vniuersa Aethiopia, Rex metuendus. Præscriptio autem litterarum hæc erat.

Eugenius Romanus Pontifex, filio dilecto nostro Regi, ex semine Iacob, Regi Regum in vniuersa Aethiopia, maximè metuendo, &c. In summa autem litterarum, significabat filium suum Ioannem Palæologum, qui biennio ante esset mortuus, Regem Regum

gū Romæorum, ad sacrosanctam synodum celebrandam, euocatum fuisse, & cum eo Iosephum Patriarcham Constantinopolitanum venisse, cum magno numero Archiepiscoporum, & Episcoporum, & omnis generis Prælatorum, in quibus etiam fuissent Procuratores Patriarcharum Antiocheni, Alexandrini, & Hierosolymitani. Qui omnes se cum sanctæ fidei, & religionis amore firmiter coniunxissent, constitutaque vnitatem Ecclesiæ, sublatis fuisse antiqui temporis difficultates, non sine diuino auxilio, quæ erroneæ, & religioni contrariæ videbantur. quibus rebus ritè sancitis, & constitutis, ipse Papa omnibus singularem lætitiā peperisset. Hunc autem librum Papæ Eugenij ad vos mittimus, quem incorruptum seruauimus, totum etiam Pontificiæ benedictionis ordinem & potestatem misissemus, nisi harum rerum nimis magnum volumen esse videretur, quum magnitudine librum Pauli ad gentes omnino superet. Legati verò, qui hæc à Pontifice ad nos detulerunt, fuere Theodorus, Petrus, Didymus, & Georgius serui Iesu Christi, Tu verò sanctissime Pater rectè feceris, si euolui vestros libros iusseris, ubi harum rerum, de quibus scribimus, uti facillè arbitror, aliqua memoria reperiat. Itaque sancte pater, si aliqua ad nos perscribes, firmiter existimato, cuncta in nostros libros diligentissimè

N

mè



mè fore cōscripta, vt posteris nostris earū rerū sempiterna memoria relinquatur. Et certè is mihi beatus esse videtur, cuius memoria cultodita literis, in vrbe sancta Roma, & in sede SS. Petri & Pauli conseruatur. Hi enim sunt domini regni cęlorū & totius mūdi iudices. Et quoniam ita credo, propterea has mitto literas, vt mihi gratia paretur apud sanctitatem vestram, & vestrum sanctissimum Senatū, vt inde sancta benedictio mihi proueniat & bonorū omniū incrementū. Obnixè etiam precor sanctitatē vestrā vt mihi mittere velit aliquas sanctorū imagines, & præcipuè B. Marię virginis, vt sæpissimè sit in ore, atq; memoria mea nomē vestre sanctitatis, & continuam ex muneribus vestris capiam voluptatem. Idcirco etiam vehementer postulo, vt mihi viros sacrarum literarum doctos, atque etiam artifices mittatis, qui imagines fabricent, atque ita enses, & arma bellica omnis generis, itemque celatores auri, atque argenti, & fabros lignarios, præcipuè architectos, qui domos ex lapide construunt, & tegulas ex plumbo, cuproque ducere sciant, quibus domorum tecta protegantur, ad hos etiam nobis admodum chari erūt, qui vitrum cōflare, organaq; musica scitè facere, & doctè pulsare sciant, iteq; fistulatores, & tibicines. Hos verò artifices ex domo vestra præcipuè mihi mitti vellē. vel si horū
domi

domi vestræ exigua erit copia, ab alijs regibus filijs vestris, eos sanctitas vestra poterit imperare: quoniam vestris imperijs, & nutibus facile obediunt. Hi cum ad me peruenerint, pro meritis summo in honore habebuntur, ex liberalitate mea, mercedem amplam accipiēt. & si domū aliquis redire concupiscet, præmijs abundè ornatus abibit, vti placuerit, quando nec inuitum quenquam sim retenturus, cum fructum aliquem ex eius industria percepero. Nunc ad alia transeundum est, & iam à te postulo sanctissime pater, cur non hortaris Reges Christianos filios tuos, vt arma deponant, & vti fratres decet, concordēs inter se esse velint, postquam ipsi oues tuæ sunt, & tu ipse pastor earum? Optimè quidem tua sanctitas nouit, quid Euangelium præcipiat, quod dicit. *Omne regnum in se diuisum desolabitur. Nam si* *Matt. 12.* *Luc. 11.* Reges animis, & fœdere certo consentient, facillimè Mahumetanos omnes delebunt, & pseudoprophetæ sepulchrum fœlici irruptione disturbabunt & diruent. Ob hanc rem da operam pater sancte, vt inter eos bona pax fiat, & certum fœdus amicitie percutiatur, hortareq; eos, vt mihi adesse, atq; opem ferre velint, cum in regnorum meorū finibus, à Mahumetanis Mauris pessimis hominibus sim ex omni latere circundatus. Ipsi autem Mauri Mahumetani inter se mu-

tuis auxilijs vtuntur, Regesque cum Regibus & Reguli cum Regulis, aduersus nos syncerè & constantissimè conueniunt. Mihi Maurus quidem admodum vicinus est, cui finitimi alij Mauri arma, equos, atq; instrumēta bellica suppeditant. Hi sunt reges Indię, Persidis, Arabię, atque Aegypti. Quibus de rebus singularem animo indies capio molestiam, cū hostes Christianæ religionis, fraterna charitate inter se coniunctos pace frui conspiciā. Reges verò Christianos, fratres meos, nihil omnino istis iniurijs commoueri, neque vllam mihi opem afferre, vti certè deceret Christianos, postquam scēdissimi filij Mahometis inter se mutuis opibus adiuuantur. Neque ego is sum, qui ad id militares copias postulem, cū milites mihi supersint. Orationes, & supplicationes tantum peto, locumque gratiæ apud sanctitatem vestram, & reges fratres meos exopto. quærenda enim mihi est hæc vobiscum amicitia, vt copiosè his rebus, quas supra postulauī ad terrorem Maurorum sim instructus, & Christiani nominis hostes, vicini mei intelligāt reges fratres meos, singulari studio mihi fauere, atq; opem ferre. quod certè ad commune decus pertinet, postquam in vna religionis, & fidei veritate consentimus, & in eo consilio sumus permansuri, quod firmum, atque absolutum erit cum eo, quod vtilius eueniet. De-

us itaque desideria vestra impleat, super laudibus Iesu Christi, & Dei patris nostri, quem omnes laudant per omnia secula. Et tu Domine pater sancte complectere me, cum omnibus sanctis Iesu Christi, qui sunt Romæ; & pariter in hos amplexus recipiantur omnes incolæ regnorum meorum, & qui Aethiopiam inhabitant, & reddatur gratia domino Iesu Christo cum spiritu vestro. Has verò literas sanctitas tua accipiet, de manu fratris mei Ioānis regis Portugalliæ, filij potētissimi Regis Emanuelis per Oratorem nostrum Franciscum Aluarez.

Alia litera eiusdem Davidis Aethiopia Imperatoris, ad Pontificem Romanum, scripta anno millesimo, quingentesimo, vigesimo quarto, Paulo Iouio interprete.

Elix sancte pater, qui à Deo effectus es Gentium consecrator, & S. Petri sedē obtines. Tibi datæ sūt clauēs regni cęlorū, & quod Matt. 16. cunq; ligaueris vel solueris super terrā, erit ligatū vel solutū & in cælis, sicut dixit Christus, & ita in Euāgelio Mattheus scribit. Ego Rex cuius nomen leones venerantur, & Dei gratia Athani Tinghil, id est, Thus virginis vocor, quod nomen est à baptisate, nunc verò in ipso suscepti regni in-

itio assumpsi nomen Dauid, dilectus à Deo, columna fidei, cognatus stirpis Iuda, filius Dauid, filius Salomonis, filius columnæ Si- on, filius seminis Iacob, filius de manu Ma- riæ, filius Nau per carnem, Imperator ma- gnæ & altæ Aethiopiæ, magnorum regnorū & ditionū, & terrarū, Rex de Xoa, de Caffate, de Fatigar, de Angote, de Baru, de Baalingā- ze, de Adea, de Vāgue, de Goiame, vbi Nilus oritur, de Damaraa, de Vagemedri, de Am- beaa, de Vagne, de Tigri Mahon, de Sabaym vnde fuit regina Saba, de Bernagaes, & domi- nus vsq; ad Nobiam finem Aegypti. Hæ pro- uincię omnes in mea potestate sunt, & plerę- que aliæ magnæ, & item paruæ, quæ nunc à me nequaquam numerantur, neque regna & prouincias suis nominibus expressi, veluti superbia, & vana gloria inductus, verum ob id, vt summus Deus magis ac magis laudaretur, qui singulari benignitate, tot amplissi- morum regnorum Christianæ religionis, su- perioribus meis regibus, imperia tribuisset, sed profectò me clariore gratia, inter alios Reges dignum fecit, vt Religioni continuè inseruirem. Quoniam me Adel Dominum fecerit, hostem Maurorum, & Gentilium, qui adorant idola. Mitto ad deosculandos pedes sanctitatis vestræ more cæterorum Christianæ fidei Regum, fratrum meo- rum, quibus neque religione, neque poten-
tia

Regina
Saba.

tia sum inferior. Ego etenim in regnis meis sum columna fidei, neque externis iuuo- rum auxilijs, cum in solo Deo spem, & opem reponam, qui me sustinet, & gubernat, ab eo tempore, quo Angelus Dei allocutus est Philippum, qui fidem doceret Eunuchum potentis Regiæ Candacis, Regiæ Aethio- piæ, quæ ab Hierosolyma Gazam pergebat. Philippus tum baptizauit Eunuchum, & Eunuchus demum Reginam, cum magna parte familiæ, & populi eius, qui nunquam desierunt esse Christiani, omni- que sequenti tempore perstiterunt fortes in fide. Prædecessores verò mei, nulla alia ope adiuti quàm diuina, fidem in latissimis regnis propagarunt, quod & ego quotidie efficere contendo. Maneo etenim inter maximos regnorum meorum fines, vt leo ingenti syl- ua circundatus, & septus aduersus Mau- ros obsidentes, & alias nationes fidei Christianæ inimicissimas, quæ nolunt audire verbum Dei, neque cohortationes meas, & ego gladio accinctus eos persequor, & paulatim extrudo, diuino scilicet fretus auxilio, quod nunquam mihi deest, quod secus accidit regibus Christianis. Nam si regnorum suorum fines extendunt, id facile possunt assequi, quoniam alter alteri opem ferre posset, & auxilia subministrare, iuuariq; benedictione vestræ sanctitatis, cuius parti-
cipis

*Eugenius
Papa.**Templū
Hieroso-
lymitā-
num.*

ceps ego sum, cū in libris meis habentur literæ, quas superioribus temporibus Eugenius Papa cum benedictione misit, ad Regem Semen Iacob. Qua accepta, tradita per manus benedictione ego fruor, & magnoperè lætor. Cæterum ego in magna habeo veneratione sanctum templum in Hierusalem, ad quod sæpissimè mitto oblationes debitas, per nostros peregrinantes. Et multo plures & pinguiore mitterem, nisi itinera à Mauris, & infidelibus obsiderentur. Nam præter illud, quod dona nostra, & thesauros nuncijs eripiunt, etiam eos liberè pertransire non sinunt. Quod si paterent itinera, in familiaritatem & commerciū Romanæ Ecclesiæ deuenirem, uti fit à cæteris Christianis Regibus, quibus in religione Christiana non sum inferior. Et ita ut illi credunt, vnam fidem rectam, & vnam ecclesiā cōfiteor, credoque syncerissimè in sanctam Trinitatem, & in vnum Deum, & virginitatem Dominæ nostræ virginis Mariæ, & articulos fidei teneo, & obseruo, uti ab Apostolis conscripti fuerunt. Nunc Deus optimus manu potentissimi, & Christianissimi Regis Emanuelis iter patefecit, ut per legatos conueniremus & in fide coniuncti Christiani, cū Christianis Deo inseruiremus. Sed dum in aula mea eius Oratores essent, allatum est eū vitam cum morte commutasse, filiumque eius,

ius, fratrem meum Ioannem paterni regni sceptrū accepisse. Vnde sicuti ex patris morte summum senseram dolorem, ita ex filij fœlici in regnum assumptione mirificè sum lætatus, adeo ut sperem nos communibus copijs, & viribus per regiones Maurorum pessimorum, terra marique iter aperturos, atque eos magno terrore illato, sedibus, & regnis esse depulsuros, ut commodo pacatoque itinere, Christiani Hierosolymitanum templum petere, & liberè comere possint. Atque ego in primis, sicuti vehementer exopto, diuini amoris particeps esse possim in templo Apostolorum Petri & Pauli. Cupio autem ingenti desiderio consequi sacrosanctam benedictionem, à vicario Domini nostri Iesu Christi. Nam proculdubio sanctitas vestra, Dei est vicarius. Et cū à peregrinis, qui ex regionibus nostris ad Hierusalem atque inde Romam non sine miraculo eunt, & redeunt, multa de sanctitate vestra ab his audio, quæ mihi incredibilem afferunt voluptatem & gaudium. Sed multo maiorem omnino caperem lætitiā, si mei Oratores breuiore itineris compendio uti possent, & noua referrent, sicuti antequam moriar, aliquando allaturos spero non sine gratia Dei Omnipotentis, qui vos in sanitate & sanctitate conseruet. Amen. Exosculor autem pedes sanctos, & supplex oro ut benedictionem ad

N s

me

me mittat. Has quoq; literas sanctitas tua accipiet de manu fratris mei Ioannis regis Portugalliae, per eundem Oratorem nostrum Franciscum Alvarez.

Has epistolas à Paulo Iouie versas, huic nostro opusculo ob maiorem huius historie cognitionem adiunximus, nec in eis aliquid mutauimus (quanquam in quibusdam locis mutatione indignis) præter pauca, quæ ex Arabico & Abesynico idiomate, in Lusitanicum sermonem, omnino malè interpretata, mutato epistolarum ordine, fuerunt. Idem Iouius quoq; in harum epistolarum enarratione, volumen quod Franciscus Alvarez de situ, moribus, cultuq; Aethiopum composuit, in quo etiam totum suum iter explicat, pollicitus est Latinum facere, cuius voluminis vnum exemplar penes me habeo. quod si Iouis à vertendo superfedeat, non abhorrerem ab eius rei tractatione. quanquam id provinciae non libenter suscepero, nisi id tuis sanctissime pater mandatis mihi imperatum cognouero, quo tutior esse possim aduersus calumniosos, quibus videri possim non studio Reipublicae Christianae, sed æmulatione gloriae Iouianae hoc onus subiisse. Ad quod cum fide tractandum, me non parum instructum arbitror. Nam cum perfunctus Germanicis, & Sarmaticis legationi-

nibus, è Belgica ad Regem meum Ioannem eius nominis tertium redeo, cuius plurimam in me excipiendo & humanitatem, & munificentiam expertus sum, Vlyssippone in colloquium Aethiopici legati incido, viri & Episcopali dignitate venerabilis, & fide, doctrina, ac eloquentia Chaldaica, & Arabicae linguae admirabilis, & in summa idonei, qui à potentissimo Aethiopum imperatore, ad maximos principes de maximis rebus mitteretur. huic autem nomen fuit Zaga Zabo, cum eo post initam inter nos firmissimam & constantissimam amicitiam, sæpius sermonem miscui, variasque disputationes habui, præsertim de moribus & Religione Aethiopum Christianorum, cupiebam enim eas res non ex verbis interpretantium peregrinorum, sed ab indigena, coram, & ore tenus cognoscere. Inter cætera epistolam quoque per Matthæum legatum in Lusitaniam missam ei ostendi, quam ego iam pridem cum articulis, quos coram Rege Emanuele exposuerat, in linguam latinam (vt dictum est,) transtuleram, multaque ex illius admonitu castigavi, vbi interpretatio non plenè rei fidem, aut indolem assecuta erat, quod tum mihi, tum Iouio non raro accidisse affirmabat, habebam enim iam mecum ipsius Iouij epistolas, quas summa cum diligentia contulimus. Postmodum



dum vigente inter nos iam vera Christi charitate, & amicitia, ausus sum ab eo petere planam, & legitimam Aethiopum fidei religionis enarrationem, eamque sua manu describi, quod mihi summa cum alacritate concessit, illamque statim describere incepit, sententiam summa fide in latinam linguam transfudi, ut ex sequentibus patebit. Id vero conscientia urgente eo ardentius aggressus sum, quod non ignorarem, si hæc apud me perisset, à nemine mortalium unquam in lucem proditura fuissent. Inde quod sic digesta & composita ad phrasim Chaldaicam & Aethiopicam essent, ut vix à quopiam intelligi potuissent, nisi à me, qui ea omnia tam ex ore, quam ex scriptis ipsius Aethiopici Oratoris, per multam familiaritatem consequi iam poteram.

**I N N O M I N E
D O M I N I N O S T R I I E S V
C H R I S T I . A M E N .**

Hæc sunt, quæ de fide & religione apud nos Aethiopes habentur & observantur.

Trinitas



Redimus in nomen sanctæ Trinitatis, Patrem, Filium, & Spiritum sanctum, qui unus est Dominus, tria

tria quidē nomina, vna diuinitas, tres facies, vna verò similitudo, æqualis trium personarum coniunctio, æqualis inquam in diuinitate, vnum regnum, vnus thronus, vnus iudex, vna charitas, vnum verbum, & vnus spiritus. Verbum autem patris & filij, verbum spiritus sancti, & filius est idem verbum, & verbū apud Deum, & apud Spiritum sanctum, & apud semetipsum, sine defectu vllō, aut diuisione, filius patris, & filius ipsius patris sine principio, nempe primo sine matre filius patris. Nemo enim nouit secretum, & mysterium eius natiuitatis, nisi pater, & filius, & Spiritus sanctus. Is autem filius in principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum. Spiritus patris, spiritus sanctus, spiritus filij, spiritus sanctus est: spiritus autem sanctus spiritus sui, sine vlla diminutione, aut augmentatione. is etenim spiritus sanctus, paracletus, Deus viuus, qui ex patre & filio procedit, locutus est per os prophetarum, & in flamma ignis descendit super Apostolos in atrium Syon. Qui per totum terrarum orbem denunciarunt, ac prædicarunt verbum patris, quod verbum erat ipse filius. Præterea neque pater est primus, inde quod pater sit, nec filius postremus, inde quod filius sit, sic spiritus sanctus neque primus, neque postremus est. Tres personæ vnus Deus, qui videt, & à nemine videtur, qui vnico suo con-

Hoc postea explicat.

Huius nostri oratoris scripta in hoc loco ambigunt habere significationem, eam, quam magis catholice ecclesie congruit, textui in seruiamus aliam hic in margine explicandam diximus, qua sequens est. Sine defectu vllō aut diuisione fili-

*us patris
& filius
sui, &
principiū
sui, nēpe
primo si-
ne matre
filius pa-
tris, &c.*

confilio cuncta creauit. Postea verò filius sponte propter nostram salutem, ipso patre volenti, Spiritu sancto consentienti, ex altissimo suo domicilio descendit, & incarnatus est de Spiritu sancto, ex Maria virgine, quæ Maria duplici ornabatur virginitate, vna spiritali, altera verò carnali. Et natus est sine aliqua corruptione, ipsa Maria matre post partum virgine permanenti, & magno cum miraculo & arcano igne diuinitatis afflata, sine sanguine, & doloribus peperit filium suum Iesum Christum, qui homo innocens & sine peccato fuit, & perfectus Deus, & perfectus homo, vnum solummodo habens aspectum. Adoleuit sensim vt infans, sugens lac Mariæ virginis matris suæ, & cum attigisset trigessimum annum, baptizatus est in Iordane. Et vt cæteri homines, ambulauit, fuitque lassus, sudauit, esuriuit, & sitiuit. Hæc omnia passus est sponte & voluntariè, plurimaque fecit miracula. Atque per suam diuinitatem cæcis visum restituit, claudos sanauit, leprosos mundauit, mortuosque suscitauit, ipseque postremo volens captus est, & flagellatus, ac colaphis verberatus, & crucifixus, & languit & mortuus est propter peccata nostra, & sua morte vicit mortem ac diabolum, & sua viua ægritudine dissoluit peccata nostra, & languores nostros tulit, & baptismo san-

*Baptis-
mus
Christi.*

gui-

nis sui, qui baptismus mors eius fuit, baptizauit patriarchas & prophetas, descenditque ad inferos, vbi erat anima Adæ, & eius filiorum, atque anima ipsius Christi, quæ est ab Adam, quam animam Adæ ipse Christus accepit ex sancta Maria virgine, & in splendore, & potètia diuinitatis suæ, & crucis fortitudine fregit quæneas ac igneas inferorū portas, & catenis ferreis sathanam colligauit, & redemit Adam & eius filios. Hæc omnia Christus fecit propterea quod plenus diuinitate erat, & ipsa diuinitas erat cum ipsius anima, & erat etiam cum ipsius sanctissimo corpore, quæ diuinitas virtutem dedit cruci. Quæ quidem diuinitatem, is cum patre in trinitate & vnitatem semper habuit, & habet communem. Nec enim ipse Christus obambulans in terris, caruit oculi momento diuinitate, vel dignitate sua. Tum demum sepultus, tertia die ipse Iesus Christus, Princeps resurrectionis, Iesus Christus dulcissimus, Iesus Christus princeps sacerdotum, Iesus Christus rex Israel, cum magna potentia & fortitudine resurrexit. Et postquam omnia fuerunt adimpleta, quæ sancti prophetæ prædixerunt, ascendit in cælum cum gloria, & sedet à dextra patris, & venturus est cum gloria, ferens ante faciem suam crucem, & in manu gladium iustitiæ, iudicare viuos & mortuos, cuius regni non erit finis. Credo vnam sanctam

*Hoc in
ne late
explicat.*

ctam

*Vna san-
cta ca-
tholica
atq; apo-
stolica ec-
clesia.
Maria
virgo.*

*Lignum
crucis.*

1. Cor. 1.

*Petrus
petra ec-
clesia.*

ctam catholicam, & Apostolicam ecclesiam, credo vnum baptisma, qui est remissio peccatorum, spero resurrectionem mortuorum, & vitam venturi seculi. Amen. Credo Dominam sanctam Mariam virginem, virginem inquam spiritu, & carne, quæ vt Dei mater, charitas omnium gentium est, sancta sanctorum, & virgo virginum, quam modis omnibus veneror. Credo sanctum lignum crucis, lectum ægritudinis domini nostri Iesu Christi filij Dei esse, qui Christus salus nostra est, propter quem salui sumus. Iudæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitia. Nos vero prædicamus & credimus fortitudinem crucis Domini nostri Iesu Christi, quemadmodum sanctus Paulus Doctor noster præcepit. Credo sanctum Petrum petram legis esse, quæ lex ædificata est super sanctos prophetas, fundamentum & caput Ecclesiæ Catholicæ & Apostolicæ, Orientalis & Occidentalis, vbi est nomen Domini nostri Iesu Christi: cuius Ecclesiæ potestatem, Petrus Apostolus habet, ac clauas regni cælorum, quibus claudere & aperire, soluere, & ligare potest. Is autem sedebit cum alijs Apostolis eius socijs super duodecim sedes, cum honore & laude apud Dominum nostrum Iesum Christum, qui in die iudicij sententiam est de nobis laturus. Quæ dies gaudij quidem sanctis, doloris autem & stridoris dentium, peccato-

catoribus erit, cum deiciuntur in ardentibus flammis inferni cum eorum patre diabolo. Credo sanctos Prophetas & Apostolos, Martyres & Confessores veros Christi imitatores fuisse, quos cum sanctissimis Dei Angelis veneror & honoro. parique modo etiam omnes illorum sectatores complector & osculor. Deinde confessionem vocalem omnium meorum peccatorum credo faciendam esse apud sacerdotem, cuius precibus per Christum Dominum nostrum, salutem animæ meæ spero me consecuturum. Præterea Pontificem Romanum tanquam primum Episcopum & pastorem ouium Christi agnosco, ac omnes Patriarchas, Cardinales, Archiepiscopos, Episcopos, quorum ille caput est, quibus tanquam ipsius Christi ministris pareo, ac obedio.

*Confessio
apud Sa-
cerdotem.*

*Pontifex
Rom. pri-
mus epi-
scopus et
caput re-
liquorū.*

Hæc est fides & lex mea, & populi Aethiopiæ, qui est sub ditione Preciosi Ioannis, quæ fides atque Christi amor, ita sunt apud nos confirmata, vt ea nec per mortem, nec per ignem, nec per gladium, fretus auxilio Saluatoris nostri Iesu Christi, vnquam sim abnegaturus, quam fidem omnes portaturi sumus in die iudicij ante faciem eiusdem Domini nostri Iesu Christi.

Iam his enumeratis, erit nobis explicanda disciplina & doctrina, ac lex quæ Apostoli in sanctis Synodorum libris & canonibus (quos

O

Man-



Libri octo legum ecclesie scripti Hierosolymis per Apostolos.

Ieiunium fer. 4.

Ieiunium fer. 6.

Ieiunium quadragesimale 7. hora data rebus diuinis.

Dies Dominicus.

Sacrum facere.

Manda atq; Abethilis vocamus) nobis præceperunt. Sūt enim ij sanctæ Ecclesiæ legum libri octo, quos omnes Apostoli Hierosolymis congregati, scripserunt. De quibus habita inquisitione, cum quibusdam doctoribus, postquam in Lusitaniam veni, neminem reperi, qui horum memoriam teneret. Observationes verò, quas sancti Apostoli nobis in his libris præscripserunt, hæ sunt. Primo oportere nos ieiunare singulis diebus Mercurij, in memoriam cōsiliij Iudæorum, quo die ab eis decretum & consultum fuit, Christum occidendum esse. Præterea ieiunandum esse singulis diebus Veneris, quo in die Christus Iesus crucifixus & mortuus est pro peccatis nostris. Et in his duobus diebus præceptum est ieiunare vsque ad occasum solis. Quadraginta verò diebus quadragesimalibus, pane & aqua ieiunandum iniunxerunt. Septem diei ac noctis horis incumbere rebus diuinis. Ex ijs edictis quoque tenemur & sacrum celebrare diebus Mercurij, ac Veneris tempore vespertino, quoniam tunc expirauit Dominus noster Iesus Christus in sancto ligno crucis. Diebus autem Dominicis, omnes unanimiter vt congregaremur in sacra æde hora tertia die ab ortu solis ad legendū & audiendū prophetarū libros voluerūt, atq; postea, vt sanctum Euangelium prædicemus, sacrum quoque faciamus. Præterea nouem di-

es festos in Christi memoriam celebrandos constituerunt, scilicet Annunciationis, Natiuitatis, Circumcisionis, Purificationis siue Candelarum, Baptismi, Transfigurationis, Dominicæ Palmarum, vsq; ad octauam Veneris sancti (vt vocamus) qui dies duodecim sunt. Ascensionis quoq; atq; Pentecostes cū suis etiam ferijs. Et ex horum librorum præceptis, sine aliqua exceptione à festo Paschæ vsq; ad Pentecostē singulis diebus vescimur carnibus, nec per hos dies, vsque ad octauam Pentecostes ieiunare tenemur, id quidem propter maiorem venerationem & honorē Resurrectionis Domini nostri Iesu Christi. Itē voluerunt vt diem mortis, & assumptionis Mariæ virginis cum omni honore celebraremus. Præterea præter Apostolorum præcepta quidam Preciosus Ioannes nomine Semen Iacob constituit in honorem eiusdem beatæ virginis, singulis annis triginta supra tres dies etiam celebrandos. Deinde propter Christi Saluatoris natiuitatem celebrari iussit de vno quoq; mense diem vnum, qui dies vigesimus quintus semper est Cōstituit quoque ex singulis mētib. vnū diē propter S. Michaelē celebrandum. Vltorius ex indicto Synodorum Apostolorum, diem martyrij S. Stephani, ac aliorum martyrum celebrare tenemur duos dies, scilicet Sabbati &

9. di. festi

Festū candelarum

Palmarum.

Ascēsis.

Pentecostes.

33. dies.

Vnus dies in vno

quoq; mēse.

S. Michael.

Dies SS. martyrum

Dies Sabbati.

Dominica.

Dominici, in quibus non licet nobis aliquam rem facere, ne minimam quidem. Diē verò Sabbati ob id, quod Deus in eo mundi perfectā creatione quieuisset, seruamus, quē ut vocari voluit, Sanctum Sanctorum, ita planè videretur contra eius voluntatem & præceptum fieri, qui cælum & terram potius, quam suum verbum perire vult, si cum magno honore, ac religione is dies non celebraretur, præsertim cum ipse Christus non ad soluendum legem, sed ad implendum venerit. Quapropter non ad imitationem Iudæorum, sed iussu Domini nostri Iesu Christi, & Sanctorum Apostolorum cum seruamus, quorum Iudæorum gratia in nos Christianos translata est. In quo die Sabbati, excepto tempore quadragesimali, carnes semper comedimus. Id tamen in regno Bernagæ, ac Tigri Mahon non seruatur, quorum duorum regnorum indigenæ ex veteri consuetudine, carnibus in diebus Sabbati & Dominicis quadragesimalibus vescuntur. Diem autem Dominicum, ut cæteri Christiani, in memoriam Christi resurrectionis celebramus. Diem tamen Sabbati ex legis libris & non ex Euangelio celebrandum esse scimus. Nihilominus Euangelium finem legis, ac Prophetarum esse non ignoramus. In quibus duobus diebus credimus animas piorum defunctorum

Mat. 5.

torum, in purgatorio minimè cruciari. Quam quietem Deus in his sanctissimis diebus, animis concedit, donec inde (finito termino suarū pœnarū pro facinoribus in hoc sæculo meritarū) penitus emergant. Ad quas pœnas minuendas, ac earum cruciatus tempus attenuandum, eleemosynas pro defunctis factas, credimus ipsis animis in purgatorio degentibus maximè prodesse. Ad quarū animarum remissionem Patriarcha nullas dat indulgentias, id ad solum Deum, ac pœnarum temporis constitutionem credimus spectare. Nullos quoque dies indulgentiarum Patriarcha concedit.

*Purgatorium.**Eleemosynas pro defunctis.**Indulgentia.*

Ex Euangelij lectione, sex tantum tenemur seruare præcepta, quæ Christus ore proprio ita explanauit. Esuriui & dedistis mihi manducare. Sitiui & dedistis mihi bibere. Hospes eram, & collegistis me. Nudus, & operuistis me. Infirmus, & visitastis me. In carcere eram, & venistis ad me. Quæ verba Christus in die iudicij solummodo est prolaturus. quoniam lex, teste Paulo, peccata nobis ostendit, quam legem, excepto Iesu Christo nemo custodire potuit. Ipso Paulo quoque teste, Omnes ex peccato nati sumus, propter Eux matris nostræ transgressionem, & propter eius maledictionem. Præterea inquit ipsemet Paulus, nos propter Adam mori,

*Sex præcepta. Mat. 25.**Rom. 3.**Rom. 5.*

O 3

& pro.

& propter Christi vitam viuere, qui Christus ob suam immensam misericordiam, nobis hæc sex præcepta dedit, vt cum venerit in sua maiestate, iudicatum viuos & mortuos, saluemur. Quibus verbis, ac præceptis in ipso tremendo iudicij die, bonis gloriam sempiternam, malis ignem, & perpetuam damnationem denuntiabit. Et quinque tantum peccata mortalia (vt vocant) annumeramus, id quidem ex vltimo Apocalypsis capite, vbi dicitur, Foris autem canes, & venefici, & impudici, & homicidæ, & idolis seruietes, & omnis qui amat, & facit mendacium. Item constitutum est à sanctis Apostolis, in Synodorum libris, clericos vxores licere ducere, id quidem postquam cognitionem aliquam habuerint rerum diuinarum. Deinde in toto matrimonio in ordinem presbyterorum recipiuntur, in quem nisi post annum trigesimum nemo recipitur, nec spurij, nec nothi aliqua ratione ad eundem sacratissimum ordinem intromittuntur, qui ordines à nemine, nisi ab ipso patriarcha dantur. Mortua tamen prima vxore Episcopi aut clerici aliam ducere non possunt, nisi patriarcha ad id dispensauerit (quod aliquando indulgetur magnatibus propter publicum bonum) nec habere concubinam, nisi se voluerint à sacris abdicare, quod si fecerint, res diuinas amplius tractare non possunt.

Peccata
mortalia
5.

Apoc. 22

Ordo.

Episcopi
& Clerici

sunt. Et hoc tam strictè seruator, vt ij presbyteri, qui secundo vxorem duxerint, ne candelam quidem vnam Ecclesiæ consecratam, in manum auderent accipere. Quod si inuentum fuerit Episcopum aut clericum filium spurium habere, ab omnibus beneficijs ac sacris ordinibus abdicatur, quorum bona, si sine legitima prole discedant, ad Preciosum Ioannem, & non ad Patriarcham veniunt. Et id quod presbyteri apud nos vxores possideant, ex Paulo accepimus, qui maule clericum & laicum nubere quàm vri. Is quoque inquit, oportere Episcopum virum vnus vxoris esse, & irreprehensibilem, sobriū, pariq; modo vult esse diaconos. Atq; etiam vt Ecclesiastici perinde atq; seculares proprias vxores ex legitimo matrimonio habeant. Monachi tamen vxores non ducunt. Et tam laici q̄ clerici vnā tantū possidēt vxorem, & matrimonium non contrahitur p̄ foribus sacræ ædis, sed in priuatis domibus Paranymporum. Ex sanctorum Apostolorum constitutione habemus, vt si sacerdos fuerit comprehensus in adulterio, homicidio, latrocinio, vel falsum testimonium tulerit, vt à sacris ordinibus destituatur, ac vt cæteri malefici puniatur. Rursus ex eorum Apostolorum instituto, Si aliquis siue ecclesiasticus, siue laicus cū vxore congressus fuerit, vel in somnis pollutus fuerit, spatio quatuor & viginti hora-

Candela
cōsecra-
ta.

1. Cor. 7.
1. Tim. 3.

Monachi.
Vna vxor.

rum templum non ingreditur, nec id quoque menstruatibus mulieribus licet, nisi septimo quoque die à mēstruo, id quidem omnibus vestibus ablatis, quibus tempore menstrui utebatur, ipsaque benè lota, atque à sordibus repurgata. Item mulieri parienti masculum, non conceditur venire in templum nisi post quadragesimum diem, parienti verò foeminam, post octogesimum. Hanc consuetudinem ex veteri lege, ac ex noua Apostolica habemus, quas leges, instituta, ac praecepta diligenter in omnibus, quatenus fieri possit, obseruamus. Deinde prohibitum est apud nos, ne aut gentes, aut canes, aut alia huiusmodi animalia, in templa nostra intrent. Item non datur potestas nobis ad eundi templum, nisi nudis pedibus, neque licet nobis in ipso templo ridere, obambulare, aut de rebus prophanis loqui, nec spuerere, aut screeare in ipso templo. Quia Ecclesiae Aethiopiae non sunt similes terrae illi, ubi populus Israel comedit agnum Paschalem, decedens ab Aegypto, in quo loco Deus iussit eos comedere indutos calceamentis, & zonis accinctos propter terrae pollutionem. Sed similes sunt monti Synai, ubi Dominus locutus est Moysi dicens: Moyses Moyses, exue calceamenta tua quoniam terra quam pedes tui premunt, sancta est. Et hic mons Synai parens nostrarum Ecclesiarum est, ex quo suam acceperunt

Puerpera.

Exod. 3.

Mons Synai.

runt originem, ita ut Apostoli ex prophetis & nouum testamentum à veteri. Præterea nec sacerdoti, nec laico, vel alij personæ cuius conditionis sit, assumpta venerabili Eucharistia licet expuere, à tempore matutino, usque ad occasum Solis, & si spuerit, grauissima poena multatur. Item in memoriam Christi baptismi, singulis annis, omnes in Epiphanijs Domini baptizamur, id quidem facimus non quod ad salutem spectare credimus, sed propter Seruatoris nostri laudem ac gloriam. Neque vberius, atque refertius spectaculis, iocis & cœremonijs, vllum aliud festum celebramus, quoniam in hoc die primo manifestè apparuit sanctissima Trinitas, cum Dominus noster Iesus Christus baptizaretur in flumine Iordane, cum Spiritus sanctus in specie columbæ super caput eius descenderit, & vox de cœlo dixerit, Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacuit. Qui Spiritus sanctus apparens in specie albæ columbæ, cum facie & figura patris & filij apparuit in vna diuinitate. Pariq; modo Christus visus est à sanctis Prophetis per multas similitudines & formas. Primùm in specie arietis albi, propter salutem Isaac filij Abrahamæ, eoq; modo nominauit Iacob, Israel, & Iacob, ludam catulum leonis, cui super alios fratres potestatem tribuit, dicens, Ad prædam fili mi ascendisti, requiescens occubisti

Eucharistia

Baptismus.

Epiphania.

Matt. 3.

Gen. 22.

Gen. 32.

Gen. 49.

O 5 sti

stitit ut leo, & quasi leona, quis suscitabit eum?
 Item manifestavit se Mosi in monte Synai in
 specie flammæ igneæ, ostendit se sancto Da-
 nieli prophete in similitudine petre. Ezechi-
 eli quoque filio hominis apparuit, & Isaia in
 forma infantis. Manifestavit etiam se Regi
 Davidi, & Gedeoni in rore super vellus. Pre-
 ter has recensitas formas, in multis alijs visus
 est à sanctis Prophetis. Tametsi tã varijs for-
 mis fuerit visus, semper similitudinem patris
 & Spiritus sancti repræsentavit. Et cum De-
 us etiam creasset mundum, dixit: Faciamus
 hominem ad imaginem & similitudinem no-
 stram, & fecit Adam ad suam imaginem & si-
 militudinem. Propterea nos dicimus patrẽ,
 filium, & Spiritum sanctum esse tres vultus,
 in vna similitudine & diuinitate. Habemus
 quoq; à temporibus reginæ Saba circumcisi-
 onem, quam ad hunc vsq; diem seruamus. Er-
 rat autem huic reginæ Saba nomen propriũ
 Maqueda, quæ more maiorum colebat Ido-
 la. Ad cuius aures fama sapientiæ Salomonis
 cum peruenisset, quendam virum prudentẽ
 Hierosolymam misit, vt re omni explorata
 certior de regis prudentia redderetur. Quo
 reuerso & re explanata, subito se ad iter Hie-
 rusalem versus componit. Atq; cum eo per-
 uenisset, præter multa alia, quibus à Salomo-
 ne erudita est, legem ac Prophetas didicit,
 eaq;

Exod. 1.

Gen. 1.

*Nic ex-
 plicat ex
 qua in
 principio
 de tribus
 faciebatur
 & vna
 similitu-
 dine di-
 xit.*

*Maque-
 da nomen
 Regina
 Saba.*

eaque in patriam (facultate impetrata abe-
 undi) proficiscens, in itinere filium, quem
 ex Salomone conceperat, peperit, qui voca-
 tus est Meilech, quem ipsa regina in Aethi-
 opia vsque ad vigesimum ætatis annum ap-
 pud se educauit, ac postea ad Salomonem
 eius patrem remisit, vt ab eo scientiam & sa-
 pientiam disceret, quem per literas obsecra-
 uit, vt filium Meilech coram arca fœderis,
 testamenti Domini, regem Aethiopiæ con-
 secraret, ac crearet, neue vltius fœminæ
 ius regnandi in Aethiopia haberent, vt tum
 in more erat, sed vt recto tramite masculi in
 regnum succederent. Qui cum Hierosoly-
 mam venit, à patre facile matris postulata
 obtinuit, ac pro Meilech vocatus est David,
 quem iam abundè in lege, atque in alijs di-
 sciplinis edoctum, pater Salomon constituit
 ad matrem remittere, id quidem cum maio-
 re ornatu, Regioque apparatu. Ad quod
 munificentius conficiendum, comites illi
 nobiles, ac primorum virorum filios tradi-
 dit, qui ei pro regio more inferirent. Præ-
 terea decreuit cum eo mittere Azariam
 principem sacerdotum, filium Sadoch prin-
 cipis quoq; sacerdotum. Quod cum Azarias
 intellexisset, Davidem hortatus est, vt ei à pa-
 tre impetraret potestatem sacrificandi pro suc-
 cessu itineris, ante arcam fœderis domini. Qua-
 re à Salomone impetrata, Azarias subito ta-

*Filius re-
 gine Sa-
 ba ex Sa-
 lomone.*

bu-

bulas, quàm secretissimè potuit, ad imitationem tabularum fœderis Domini dedolare curat. Quibus perfectis ad sacrificandum se componit, in ipsoque sacrificio clanculum, atque mira arte, veras fœderis Domini tabulas ex arca surripuit, pro eisque adulterinas, quas secum portauerat, reposuit, se solo, ac Deo conscio. Hæc narratio apud nos Aethiopes sanctissima & probatissima habetur, vt ex historia ipsius Regis Dauidis (quæ iucundissima lectu est) apparet. Cuius historiarum liber tantæ crassitudinis est, quantæ omnes Pauli epistolæ. Cæterum cùm iam Dauid ad fines Aethiopiæ peruenisset, Azarias eius tentorium ingressus, id quod semper apud se occultum tenuerat, ei reuelat, nempe tabulas fœderis Domini penes se esse. Qua re audita, subito Dauid ad tentorium vbi Azarias tabulas fœderis Domini habebat accurrit, ibique præ nimio gaudio ad exemplum cui sui Dauidis, ante arcam, in qua tabulæ erant, incepit saltare. Quo à suis viso, & re intellecta, omnes pari modo gaudia & lætitiā ingentem celebrauerunt. Tandem peragrata magna Aethiopiæ parte ad suam matrem peruenit. Quæ statim ei imperium omnium prouinciarum detulit, omnemque administrandi regni curam in eius humeros reclinauit. Et ab eo tempore fermè iam inde vsque in hunc diem elapsis interim bis mil-

lenis, sexcentenis annis, regnum Aethiopiæ recto tramite, de masculo semper ad masculum transfertur. Et ab his temporibus legem Domini, & circūcisionē seruamus, vt ante dictum est. Ab eodem quoque tempore hucusque ministeria, quæ Salomon filio suo Dauidi ad aulam suam gubernandam ordinauit, in eo ordine ac familijs, quo tunc temporis erant, conseruantur, nec aulica ministeria ex alia stirpe deligerē fas habet, vel ipse Imperator. Insuper iussu, & decreto ipsius Regiæ Maquedæ, mulieres quoque circumciduntur. Ad id ea ratione deducta est, vt quemadmodum viri præputium habent, eodem quoque modo mulieres etiam quandam glandulosam carnem, quam Nympham vocant, in genitalibus habent, non ineptam accipiendo characteri circūcisionis. Id quod fit tam in masculis quàm in fœminis ad octauum diem. & post circūcisionem masculi baptizantur ad quadragesimum diem, mulieres verò ^{Baptizantur} ad octogesimum, nisi aliqua interuenerit ægritudo, vt opus sit festinatione. quod si ante tempus constitutum baptizentur, infantibus non licet lacte matris lactari, sed nutricis tantum, id quidem donec matres purificentur. Et aqua in qua baptizantur, exorcismis consecratur & benedicatur, & ea ipsa ipsa die qua pueri baptizantur, venerabile corpus Domini accipiunt, sub exigua specie panis. Nos fermè

me prius cæteris Christianis omnibus, baptis-
mum ab Eunuchò Candacis Reginae Aethi-
opiæ, cui nomen erat Indich accepimus, ita
Act. 8. in Actis Apostolorum traditur, quem vna
cum circumcissione (quam tum temporis, vt
prius dictum est, habebamus) sanctè & chri-
stianè obseruamus, & Deo adiutore sumus
perpetuo obseruaturi. Nec quicquam præ-
ter ea, quæ in lege & Prophetis, & in Euange-
lio, atque in libris Synodorum Apostolo-
rum sunt, seruamus, aut admittimus, & si
quæ alia præter hæc recipimus, ea seruantur
interim, quod ad ordinem & pacem Eccle-
siæ videntur spectare, id tamen sine aliquo
peccati vinculo. Quamobrem circumcissio
nostra immunda non est, sed lex & gratia da-
ta patri nostro Abrahamæ est, quam à Deo tan-
quam signum accepit, non vt propter circun-
cissionem saluus fieret, aut filij eius, sed vt ipsi
filij Abrahamæ, à cæteris nationibus dinosce-
rentur. Et id quod symbolo circumcissionis
latenter ostenditur, eximiè seruamus, nem-
pe vt corde circumcissi simus. Nec ob circun-
sionem gloriamur, nec etiam cæteris Christi-
anis putamus ob id nobiliores, nec Deo acce-
ptiores esse, apud quem nulla est acceptio
Rom. 2. personarum, teste Paulo, qui etiam ostendit
Gal. 2. nos saluos fieri non propter circumcissionem,
Ephes. 4. sed propter fidem, quia in Christo Iesu nec
circumcissio aliquid valet, nec præputium,
sed

sed noua creatura. Is autem Paulus non præ-
dicauit ad destruendam legem, sed ad stabi-
liendam, qui circumcissus quoque fuit, & ex
semine Benjamin. is quoque Timotheum iã
Christianum factum ex matre Hebræa, & ex *Act. 16.*
patre Gentili natum circumcidit, sciens De-
um circumcissionem ex fide, & præputium
per fidem iustificare. Et vt ipse ait, factus
est omnibus omnia, vt omnes faceret saluos,
Iudæis tanquam Iudæus, vt Iudæos lucrare-
tur. His qui sub lege erant, quasi sub lege es-
set, cum ipse non esset sub lege, vt eos qui sub
lege erant, lucrifaceret. His qui sine lege e-
rant, tanquam sine lege esset, cum sine lege
Dei non esset, sed in lege Christi, vt lucrifa-
ceret eos, qui sine lege erant. Et factus est in-
firmus, vt infirmos lucrifaceret, id quod fe-
cit, vt ostenderet non ex circumcissione, sed
ex fide nos salutem consecuturos. Vnde cum
Hebræis prædicasset, tanq̃ Hebræus varijs ser-
mõib. locutus est, dicēs, Multifariè, multisq̃;
modis olim Deus locutus est patrib. nostris
in prophetis, ostendens eis ex ipsis prophetis
Christum ex semine Dauidis secundum car-
nem, deinde Christum eis prædicauit, cum
patribus nostris in tentorijs, in deserto
fuisse, eosque in terram promissionis in-
trodusse, per manum Iosue. Præterea
idem quoque Paulus inibi testatur Christum
principem fuisse Sacerdotum, ac in nouum
tentor-

tentorium intrasse, quod est sanctum sanctorum, & sacrificio sui corporis, & sanguinis, sanguinem hircorum ac taurorum, quo nemo accedentium poterat iustificari, aboleuisse, & sic multis modis locutus est Iudæis, multis quoque ritibus, sancta & incorrupta fide, se à suis coli patitur. Præterea apud nos habentur semichristiani pueri illi, quos hic audio Paganos ab Romana Ecclesia vocari. Qui quoniam sine baptismo moriantur, semichristiani debent appellari. quoniam filij sacri sanguinis parentum ex baptismo, & ex Spiritu sancto, & ex sanguine Domini nostri Iesu Christi nati sunt, ex quibus tribus testimonijs oēs Christiani reputantur. Quoniam tres sunt, qui testimonium dant in terra, Spiritus, Aqua, & Sanguis, teste Ioanne in sua prima Canonica, etiam ut Euangelium dicit, bona arbor fert bonos fructus, mala verò arbor, malos. Ideoque filij Christianorum non sunt, ut filij Gentilium & Iudæorum, atque Maurorum, qui sunt arbores aridæ sine aliquo fructu. Christiani autem sunt electi in utero matrum suarum, ut sanctus Hieremias Propheta, & sanctus Ioannes Baptista fuerunt. Insuper infantes Christianarum mulierum sunt electi & consecrati ex corporis & sanguinis Domini nostri Iesu Christi communicatione. Nam foeminae gravidæ, cum assumunt venerabile corpus Domini nostri

1. Ioan. 5.
Matth. 7

Mic. 1.
Eze. 1.

nostri Saluatoris Iesu Christi, infans capiens inde nutrimentum, fit sacratus. Quoniam sicut infans existens in utero, ex eius matris affectibus contristatur ac lætatur, sic etiam ex matris nutrimento nutritur. Et ut ipse dñs ait in suo S. Euangelio. Si quis cōderit corpus meum, & biberit sanguinē meū, non gustabit mortem in æternū. Rursus, si quis gustauerit meum corpus, & biberit meum sanguinem, erit mecum. Ad hæc Paulus Doctor Gentium ait: Vir infidelis iustificatus est per mulierem fidelem, & mulier infidelis sanctificata est per virum fidelem, alioquin filij vestri immundi essent, nunc autem sancti sunt. Quod si ita est, ut filij matris infidelis, sanctificentur in patris fidelitate, multo sacratiores esse debent illi, qui ex patre & matre fidelibus nati sunt. Ob quam rem longè magis pium erit, vocare infantes antequam baptizati sint, semichristianos, quàm paganos. Id quoque dixerunt Apostoli in suis synodorum libris. Omnes qui habent fidem, & non acceperunt baptismum merito possunt dici semichristiani, qui etiam dicuntur in memoratis libris, Si Iudæus, Maurus, Gentilis fidem accipere voluerit, non esset ilico admittendus, sed voluerunt eum prius venire ad valvas templi, ibique audire conciones & verba Seruatoris Christi, ut qui prius ad fidem incitatus, ac quasi arreptus fuit, iugum legis cogno-

1. Ioan. 6.

1. Cor. 7.

P

gno-

gnoscat, quod cum fecerit, vocari possit femichristianus, quāquam baptizatus non sit quemadmodum Euangelium docet, Qui crederit & baptizatus fuerit, saluus erit, qui vero non crediderit, condemnabitur. Et est etiam moris apud nos ut mulieres grauidæ ante partus tempus semper confiteantur, ac ut corpus Dominicum confessæ accipiant. & eę quæ hoc non faciūt, ac puerorum patres, si eas ad id non impulerint, habētur impij & mali Christiani. Præterea sciendum, apud nos confirmationem & chrisma siue extremam olei vnctionem, pro sacramento non haberi nec in vsu esse, ut video hic ex Romanę ecclesię consuetudine fieri. Item ex lege Mosi, ac Apostolorum instituto nō licet nobis cibos immundos comedere. id facimus ad omnem legis ac scripturarum obseruationem, quarū octoginta & vnum libros, tam veteris quàm noui testamēti annumeramus, scilicet ex veteri quadraginta & sex, & ex nouo triginta & quinque, quem numerum singulorum librorum computatione expressum habemus ab ipsis Apostolis, quibus libris veteris & noui testamenti nihil addere, nec minuere licet, quanquā angelus de cœlo id nobis psuadere conaretur. Et qui talia auderet tentare, pro anathemate reputaretur. Quare nec Patriarcha, nec Episcopi nostri, per se, nec in concilijs putant, aut opinantur vllas leges se con-

dere

dere posse, quibus ad mortale peccatum obligari quis possit. In ipsis etiam Synodorum libris constitutum à Sanctis Apostolis est, oportere nos confiteri, atque quam pœnitentiam pro magnitudine singulorum peccatorum à confessore accipere debemus. Instruunt quoque nos, quomodo orandum & ieiunandum sit, & charitas exercenda. Præterea hoc familiarissimè vtimur, quod statim ad pedes confessoris, cum peccatum commissum est, accurrimus, & hoc faciunt omnes tam masculi, quàm fœminæ cuiuscunque conditionis sint. Et quotiescunque confitemur, assumimus corpus Domini, & id quidem sub vtraque specie, in pane azymo triticeo. Quod si singulis diebus confiteamur, singulis quoque diebus accipimus venerabile Sacramentum, & id tam apud clericos, quàm apud laicos in vsu est. Et sacramentum Eucharistiæ non seruatur apud nos in templis, ut fit hic apud Europæos, nec ægroti corpus Dominicum accipiunt, nisi dum conualuerint. id fit, quoniam omnes tam laici, quàm clerici consueuerunt illud, ad minus bis in hebdomada accipere, & omnes idem volentes facere templum accedunt, quippe nemini datur nisi in ipso templo, nec id cōceditur Patriarchę, nec ipsi Precioso Ioāni. Vtimur etiā semp vno cōfessore, nec aliū accipimus, nisi eo absente quo reuerso, ad

P 2

ipsum

Confessio.
Pœnitentia
iniuncta
est.



ipsum redimus. Et confessores omnium peccatorum dant nobis ex Ecclesiæ potestate absolutionem, nullo casu Episcopis, aut Patriarchæ reseruato, quamuis grauissimo. Vt presbyteri non possunt audire confessionem eius, cui confitentur. Præterea presbyteri, & monachi, & omnes Ecclesiæ ministri, apud nos suo labore viuunt. Quippe Ecclesia nullas habet decimas, nec accipit, habet tamen prouentus & agros, quos ipsi clerici & monachi fodiunt, aut sua, aut aliena operantur, & nullas alias habent eleemosynas, præter eas, quæ gratis in templis offeruntur pro exequijs mortuorum, & alijs pijs rebus, nec eis licet vicitim mendicare, nec à plebe aliquid eleemosynarum extorquere. Item in nostris templis singulis diebus, vna tantum celebratur missa, quam sacrificij loco habemus, nec plures ex veteri instituto celebrare licet. pro qua quidem missa, nullum premium aut mercedem accipimus. in quo ministerio sacramentum Eucharistiæ non ostenditur, vt hic video fieri, in ibiq; oēs Sacerdotes & Diaconi, subdiaconi & templum accedentes corpus Domini accipiunt, & nullam pro remissione animarum facimus missam, sed mortui cum crucibus & orationibus sepeliuntur in certo loco, super quos mortuos, præcipue inter alias orationes, initium Euangelij Ioannis dicimus, & sequente die à sepulchro mor-

*Decima.**Oblationes in exequijs mortuorum. Vna missa.**Eucharistia non ostenditur.*

mortuo, eleemosynas pro eis offerimus, id etiam postea facimus, certis diebus, in quibus omnibus epulis funebribus indulgemus. De fide ac religione nostra diximus. Nunc verò quoniam postquam in Lusitaniam venimus, crebras disputationes ac contentiones cum doctoribus quibusdam, præsertim cum magistris nostris, Didaco Ortytio, Episcopo insulæ S. Thomæ, atque Regis sacelli Decano, & Petro Margalho, de delectu ciborum habuimus, de hac re aliquid dicere non erit incongruum. Primum sciendum est nos ex veteri testamento delectum ciborum seruare, qui delectus ab ipso verbo Dei constitutus est, quod verbum postea natum est ex Maria virgine, & ambulauit atque versatum est cum suis Apostolis. Id quoque verbum Dei semper viuum, integrum, inuiolatum sermonem, ac verbum habuit. Nec id quod olim ex immunditia prohibuit comedere, postea in aliquo sui Euangelij loco dixit esse cõcedendum. Id verò quod in Euangelio ait, Quod per os intrat, hominem non coinquinare, sed ea quæ ex ore procedunt, non ea de causa dixit, vt frangeret id quod antea cõstituerat, sed vt refutaret superstitionem Iudeorum, qui arguebant Apostolos, quod illotis manibus panem manducarent. Imo nec Apostoli id temporis, quando versabantur cum Domino nostro Iesu Christo, vnquam

*Eleemosyna pro defunctis.**Delectus ciborum.**Matt. 15.*

vli

vli sunt immundis, nec gustauerunt ea quæ in lege prohibita sunt, nec vllus eorum eam transgressus est. Nec ijs temporibus, quæ passionem Domini insecuta sunt, cum Euan gelium ceperunt prædicare Apostoli, vllis apud nos scriptis probari potest, eos edisse, aut occidisse immunda. Verū tamen est Pau lum dicere, Omne quod in macello venit, manducate, nihil interrogantes propter conscientiam. Postea si quis vos vocat infide lium ad cœnam, & vultis ire, omne quod vo bis apponitur manducate, nihil interro gantes propter conscientiam. Si quis autem dixerit, hoc immolatum est Idolis, nolite manducare propter eum qui indicauit, & ppter conscientiam, &c. Omnia hæc dixit Pau lus, vt placeret ijs, qui in fide non erant ad modum confirmati, quoniam inter hos & Iu dæos variæ consurgebant disputationes ac contentiones, quas vt sedaret, Christianis nõ dum satis confirmatis indulgentius morige rabatur & acquiescebat. Id tamen faciebat non quod legem frangere vellet, sed vt plu res ita in cœremonijs relaxandis gratifican do ad fidem alliceret. Idem Apostolus quo que ait, Is qui manducat, non manducantem non spernat, & qui non manducat, mandu cantē nõ iudicet, quoniã is qui manducat, do mino manducat, & qui non manducat, Dño non manducat: Quamobrẽ indignũ est, pere gri

1. Cor. 10.

Rom. 14.

grinos Christianos tam acriter & hostiliter reprehendi, vt ego de hac re, & de alijs quæ minimè ad veram fidem spectabant, reprehẽ sus fui. Sed multo consultius erit huiusmodi Christianos homines, siue Græcos, siue Ar menios, siue Aethiopes, siue ex quauis septẽ Christianorum Ecclesiarum, in charitate & Christi amplexibus sustinere, & eos sine con tumelijs permittere, inter alios fratres Chri stianos viuere ac versari, quoniam omnes fi lij baptismi sumus, & de vera fide vnanimi ter sentimus. Nec est causa cur tam acriter de cœremonijs disceptetur, nisi vt vnusquisq; suas obseruet, sine odio & insectatione alio rum, nec commercijs Ecclesiæ ob id excludẽ dus est, si peregrè in alienis prouincijs dome sticos ritus obseruet. Id præterea quod in A ctis Apostolorum habemus, nempe quo pa cto Petrus vidit cœlum apertum, & vas descẽ dere quoddam, veluti hincum magnũ, qua tuor inijs submitti de cœlo in terram, in quo erant omnia quadrupedia & serpentina terræ, & volatilia cœli. Cui vox dixit, Surge Petre, occide & manduca. Cui Petrus, Ablit Domine, quoniam nunquam manducaui omne commune aut immundum. Cui vox ite rũ: Quod Deus purificauit, tu commune ne di xeris. Quod vbi cùm tertio repetitis vicibus contigisset, statim illud vas in cœlum rece ptum est. Quibus peractis, spiritus misit eum

Act. 10.

P 4

in

in Cæsaream, ad Cornelium virum pium, & & timentem Deum. Apud quem loquente Petro cecidit super omnes, qui verbum Dei audiebant, Spiritus sanctus, quo Spiritu sancto accepto, Petrus totam familiam Cornelij baptizari iussit. Quod cum cæteri Apostoli, ac fratres qui in Iudæa erant, Cornelium esse baptizatū audiissent, Petro, q̄ dedisset baptismum & verbum Dei Gentilibus, succensere cœperunt, dicentes. Quare introisti ad viros præputium habentes, & manducaisti cum illis? Qui à Petro tota visione exposita, placati sunt, atque Deo gratias egerunt dicentes, Ergo & Gentibus pœnitentiam dedit ad vitam, & recordati sunt verbi Domini, q̄ in cœlum ascendens dixit, Ite per omnem terram, & prædicate Euangelium omni creaturæ, qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit, qui verò non crediderit condemnabitur. Tunc Apostoli cœperunt prædicare Euangelium per totum mundum omni creaturæ, in nomine patris, & filij, & Spiritus sancti, atque per omnem terram exiuit sonus eorum. Et hanc visionem, in qua munda, & immunda apparebant, ita in Aethiopia exponimus, munda animalia fuisse populum Israel, immunda autem populum Gentilium. Ideo verò Gentiles sunt vocati immundi, q̄ Idolorum cultores essent, & inseruirent operibus diabolorum, quæ immunda sunt. Qd̄
au.

*Act. c. 11.**Maro. 16*

tem vox illa dixit, Petre occide, id apud nos *Act. c. 10*
in hūc modū interpretatur, Petre baptiza, & q̄ dixerit, Petre māduca, interpretamentum habet, ac si dixisset, doce & prædica fidē, & legē Dñi nostri Iesu Christi, populo Israel, & Gētib. Adhæc certissimū est nullibi in scripturis reperiri Petrū, aut alios Apostolos immūda occidisse, aut comedisse, post hanc visionem. Porrò sciendum est, cum scriptura loquitur de pane, non intelligendum esse cibum, nec corporale nutrimentum, sed explanationem, ac expositionem Christi, & scripturarum doctrinæ. Consultum profectò esset, omnes doctores & prædicatores de hoc linteo, quod ostensum fuit Petro, sublimia & alta docere, & non illa quæ infima sunt, & quæ nihil ad salutem videntur pertinere, ac non inde documenta aucupari, quasi fas & licitum esset nobis immunda comedere, quando ex scriptura id minimè colligere possunt. Quid quod ipsi Apostoli in suis synodorum libris præceperunt nobis ne comedamus animalia suspensa, suffocata, lacera-
ta, neque semesa ab alijs bestijs, nec sanguinem. quoniam Dominus amat munditiam & sobrietatem, & odit gulam & immunditiā. Et plurimum etiam eos dñs diligit, qui abstinent à carnibus, & multo magis eos, qui ieiunant pane & aqua, & herbis, vt Ioannes Baptista eremita ultra Iordanem fecit, qui semper

Iac. 4.

Rom. 12.

Rom. 14.

per vsus est herbis. Et sanctus Paulus eremita, qui octoginta annis semper ieiunans, commoratus est in deserto, atque sanctus Antonius, & sanctus Macarius, ac plurimi alij filij eius spirituales, qui nūquam gustauerunt carnes. Ideoque fratres mei, non oportet nos cōtemnere, neque infectari proximos nostros, quoniam Iacobus ait, Qui detrahit fratri, aut iudicat fratrem suum detrahit legi, & iudicat legem. Paulus quoque docet, melius esse vnumquemque viuere contentum suis traditionibus, quàm cum fratre Christiano de lege disputare. Rursus nō plus sapere, q̄ oportet, sed sapere ad sobrietatē, & vnicuiq; sicut Deus diuisit mēsuram fidei. Quapropter indecēs est cū fratrib. de lege, aut de delectu ciborum disputare, q̄ esca nos non commendet Deo. præsertim cum ipse Paulus Apostolus dicat, Nec si manducauerimus, abundabimus, nec si non manducauerimus, deficiemus. Idcirco altiora & cœlestem cibum quæramus, & has infimas & inanes disputationes omittamus. Hæc omnia quæ de traditionibus scripsi, non ad disputationem, nec cōtentionem scripsi, sed vt meos quatenus fieri potuit, protegerem ac defenderem contra acerbissimas multorum reprehensiones, quibus nulla fuit reuerentia, quo minus potentissimum Preciosum Ioannem, ac nos eius subditos cōnuicijs proscinderent, ac lud-

dæos & Mahumetanos appellarent, eo quod circumcitionem seruamus, & Sabbatum sanctificamus vt Iudei. Deinde quod veluti Mahumetani, ad occasum solis vsq; ieiunamus; id hominem Christianum minimè decere asserentes. Id quoque acerbissimè obijciunt sacerdotum coniugia, vt laicorum licita esse apud nos. Præterea nec id sine morfu omititur, quod primo baptismo, quasi diffisi, singulis annis rebaptizamur, quod præter viros etiàm mulieres circumcidantur, more nec apud Iudæos quidem recepto. Denique quod delectum ciborum sanctissimè obseruatum volumus. Postremo, quod infantes, qui antè baptismum, Pagani vocari solent, semichristianos nuncupemus. Quibus obtreccationibus coactus sum talia dicere, vt nostros purgarem ab huiusmodi calumnijs, & vt Doctores sacræ ecclesiæ Romanæ, redderem nobis affabiliores. A quibus (nescio quàm piè) mihi interdictum est sumere corpus Dominicum, postquam in Lusitaniam veni, quod spatium est septem annorum, & (id quod non sine dolore ac lachrymis dicam) reputor inter fratres Christianos, tanq̄ Ethnicus, & Anathema. De quibus reb. ille, q̄ omnia vegetat, videat, cuius iudicio omnia cōmitto. Ego aut nō sum missus à potentissimo Dño meo, Imperatore Aethiopū, ad Romanum Pontificem, & Serenissimum Ioannem

nem

nem Lusitaniæ regem ad disputationum & contentionum rixas, sed ad amicitiam & societatem contrahendam, non autem ad traditiones humanas vel augendas, vel diminuendas. Sed vt de erroribus Arii principis hæreticorum diligenter exquirerem, & intelligerem an Europæi Christiani cum nostris, ad huius hominis opiniones deuincendas cõuenirent. Propter cuius errores Niceæ, sub Iulio Papa congregatum fuit concilium trecentorum, octodecim Episcoporum. Ac deinde vt scirem, an id apud Europæos Christianos seruaretur, quod Apostoli in suo synodorum libro præcipiunt, scilicet, vt singulis annis bis in Ecclesia Christi concilium celebretur, in quo de rebus fidei rationem habendam statuerunt. Quorum primum voluerunt cogi ad festum Pentecostes, secundum decima die Octobris. Deinde vt intelligerem, quomodo inter nos conueniret de erroribus Macedonij, cuius causa, sub Damaso Papa congregatum fuit Constantinopoli cõcilium centum quinquaginta Episcoporum. Præterea de erroribus Nestorij, propter quæ sub Celestino Papa congregatum fuit in Epheso concilium ducentorum Episcoporum. Postremo vt etiam scirem de quarto ac magno Concilio Chalcedoniensi, in quo propter errores Eutythis, congregati fuerunt sexcenti, triginta duo Episcopi, quo tẽ-

*Conc. Nic.**Conc. Constantinop.**Conc. Ephes.**Conciliũ Chalcedon.*

po-

pore Pontificatum obtinebat Romanum S. Leo, ex quo concilio varijs disceptationibus habitis, & nihil ad concordiam Ecclesiæ constituto, atque re infecta, omnes discesserunt, vnusquisque suam retinens opinionem.

Quarum Synodorum libros, & aliarum, quæ postea celebratæ fuere, potentissimus Dominus meus Aethiopum Imperator, penes se habet, & de hac zizania, quam aduersarius veritatis Diabolus seminavit inter Christianos, Dominus meus plurimum dolet, vna cum omnibus suis subditis Christi fidelibus. Nostri certè ab exordio primitiæ Ecclesiæ Romanum Pontificem, vt primum Episcopum agnouerunt, cui etiam hodierno die, vt Christi vicario paremus. In cuius curia frequentissimè essemus, nisi obstarent magna itinerum interualla, ac multorum Mahumetanorum regna interiecta, quæ transitum impediunt, ita vt susceptis maximis periculis, nihil tamen efficias. Quanquam prudentissimus, & inuictissimus Rex Emanuel, felicitis memoriæ, qui primus non sine cœlesti numine itinera Orientalium Indiarum suis nauigationibus aperuit, magnam spem præbuit, id in posterum commodius futurũ. Is enim superato Oceano Rubrum mare suis classib. edomuit, nihil deterritus magnitudine sumptuũ, quo & Christi fidem auget, & ad vsum nostræ amicitiae, quasi viam pate-

Pontifex Rom.

fa-

faceret, & id quoniam iam factum est, & vtraque gens alterius opibus vti potest, brevisperamus fore, vt ab Lusitanis, vna cum nostris armis, omnes Mahumetani, cæteri que Ethnici, ex toto mari Erythræo, ac vniuersa Arabia, Perside ac India depellantur. Itidē & illud futurum confidimus, pace inter omnes Europæos Christianos composita, vt etiam ex Mediterraneis locis, Ponto, alijsque prouincijs, inimici Crucis profligantur, vt sit iuxta Christi verbum, super faciem terræ vna lex, & vnū ouile, & vnus pastor. Cuius rei oracula duo habemus, alterum ex prophetia S. Ficatoris, alterum ex S. Synoda eremita, nato in extremis Aegypti cauitibus, quorum neutrum ab altero dissentit. Et ex quo Dominus meus potentissimus, legatos serenissimi & prudentissimi Regis Emanuelis accepit, videtur fides oraculorum, ad euenta prosperare. Certè iam inde noster princeps nihil magis cogitat, consilijque & armis meditatur, quàm vt Mahumetani de facie terræ deleantur. His de causis, alijsque, quas coram sereniss. Rege Ioanne Emanuelis filio exposui, istuc missus sum à Dño meo potentiss. nō ad friuolas, & inanes disputationes. Atq; vtinā instituta, atq; conatus principis nostri, p quibus legatus sum, Deus optimus maximus ad finem optimum & ad suam gloriam perducat, Amen.

His

His omnibus explicatis, obiter & breuissimè aliquid de statu nostri Patriarchæ, ac Im-^{Patriar-}peratoris exponam. Primum sciendum so-^{cha Æ-}lemni ritu Patriarcham nostrum ab Hieroso-^{thiopam.}lymitanis Monachis nostris, qui ibi apud sepulchrum Domini habitant, suffragijs creari, idque hoc modo: Vita defuncto Patriarcha, statim Imperator noster Preciosus Ioannes nuncium aliquem expeditum mittit Hierosolymam ad Monachos ibidem agentes, vt dictum est, qui nuncio accepto, ac muneribus, quæ Imperator Dominus noster ad sanctum sepulchrum dono mittit, continuo alium Patriarcham suffragijs plurium eligunt, sed fas non est alium, quàm Alexandrinum eligere, ac moribus incorruptum. Quo creato, suffragia sua obsignant, eaque legato, qui ad id venit, in manibus tradunt. Is statim Ca-^{Cayrus.}yrum contendit, quo vbi ventum est, Patriarchæ Alexandrino, qui ibi semper sedes ha-^{Patriar-}bet, creationem illam legendam porrigit. ^{cha Ale-}Cognito autem, quem ex Alexandrinis delegerunt, virum tantis honoribus destinatum, cum legato in Aethiopiam mittit, qui ex veteri instituto Monachus ordinis D. Antonij eremite debet esse, cum quo in Aethiopiam confestim nuncius proficiscitur, vbi cum magno gaudio & honore ab omnibus excipitur. In quo negotio aliquando annus vnus & alter transigitur, interimque Pre-

cio-

*Officium
Patriar-
cha.*

ciosus Ioannes de prouentibus ipsius Patriar-
chæ pro libitu dispensat. Præcipuum autem
Patriarchæ officium est, sacros ordines dare.
quos nemo, ipso excepto, aut dare, aut aufer-
re potest. Cæterum nullum Episcopatum,
aut Ecclesiæ beneficium in ullos confert, id
solum ad Preciosum Ioannem spectat, qui
omnia pro suo arbitrio dispensat: Mortuo-
que Patriarcha, cuius ditiones ac prouentus
amplissimi sunt, ex solido omnium illius bo-
norum fit hæres. Est præterea Patriarchæ
munus, excommunicationibus aduersus cõ-
tumaces procedere, quarum tam arcta obser-
uatio est, vt præuaricatori pœnâ perpetuæ in
ediæ vsque ad mortem infligatur. Indulgen-
tias nullas dat, neque concedit. Nec pro vilo
delicto, quantumcunque magno, cuiquam
Sacramenta Ecclesiæ interdiciuntur, nisi tan-
tum propter homicidia. Ipsum nomen Pa-
triarchatus, nostro idiomate Abunna dicitur.
Cæterum qui nunc hoc solium tenet, p-
prio nomine, quod ex baptismo accepit,
Marcus vocatur, vir centum annorum aut
ultra. Sciendum etiam apud nos Calendis Se-
ptembribus annum incipere, qui dies sem-
per incidit in vigiliam Ioannis Baptistæ, Re-
liqui dies festi, vt Natalis Domini, Paschæ, a-
lijque deinceps eodem tempore apud nos ce-
lebrantur, quo in Ecclesia Romana. Id quo-
que dissimulanter prætereundum non est,
apud

*Pœna cõ-
tumacia
Indulgen-
tia.*

Abunna

*Apud
Ægypti-
os annus
incipit
Kal Sep,
mirum
in Vigil.
Ioannis
Baptista.*

apud nos diuum Philippum Apostolum, Eu-
angelium & fidem Seruatoris Christi prædi-
casse. Quod si libeat sciscitari de agnomine
nostri Imperatoris, is sibi persuasum habeat,
illum perpetuo appellari Preciosum Ioan-
nem, & non Presbyterum Ioannem, vt hic
falsò passim iactatur. Scribitur enim nostro
sermone his characteribus,

*Preciosus
Ioan. non
presbyter
Ioannes.*

Ⲙⲓ:ⲛⲗⲔ, quod sonat Ioannes Be-
lui, hoc est, Ioannes Preciosus, siue Altus, &
in Chaldaica lingua sic scribitur,

Ⲙⲓ:Ⲕⲓⲫⲓ, quod est Ioannes
Encoe, id si interpreteris, etiam Ioannis Pre-
ciosi, siue Alti significatum habet, nec est no-
minandus, vt Matthæus falsò indicauit, Im-
perator Abesynorum, sed Aethiopum. Mat-
thæus enim, quoniam Armenius erat, non
poterat res nostras perspicuè scire, præser-
tim eas, quæ ad fidem spectabant. Idcirco
multa coram prudentissimo fœlicis memo-
riæ Rege Emanuele exposuit, quæ minimè
apud nos habentur. Id autem fecit non quod
mentiri voluerit, quippe vir bonus erat, sed
quod in rebus religionis nostræ non admo-
dum erat edoctus. Regnorum autem & Im-
perij successio, non in filium maximum na-
tu trãsmittitur, sed ad eum, in quem pater id
conferre vult. Et is qui modo imperium te-
net, ordine nascendi tertius est, quod pia qua-
dam

Q

dara

dam reuerentia emeruit, cum enim filij a patre moribundo, in regijs solijs sedere iuberentur, cæteris id facientibus, solus id facere recusauit: absit, inquit, id mihi tribui, vt in cathedra Domini mei sedeam. Qua pietate à patre circumspecta, ei regna ac imperium tradidit. vocatur is autem Dauid. Cuius imperij ditiones tam Christianorum, quàm Ethnicorum miræ amplitudinis sunt. In quibus multi reges & reguli, comites, barones, ac proceres, multaque nobilitas inest, ad eius mada ta obtemperantissima. In cuius omnibus ditionibus, nulla præter peregrinam habetur moneta. Aurum verò & argentum pondere datur, ac accipitur. Oppida & ciuitates apud nos permultæ sunt, sed non tales, quales hic in Lusitania videmus, id magna ex parte inde venit, quod Preciosus Ioannes semper in castris & tentorijs versetur. Quæ consuetudo ideo recepta est, vt Nobilitas continuè, & perpetuò se in rebus militaribus exercent. Nec illud prætereundem videtur, nos ab omnibus lateribus circundatos esse, ab hostibus nostræ fidei, cum quibus crebrò cõfligimus, semper secundo Marte vsi, quas victorias numinis auxilio imputamus.

*Ius scri-
ptum.*

Ius autem scriptum apud nos in vsu non habetur, nec litigantium querelæ libellis, sed ore peraguntur: id fit ne lites avaritia iudicij & patronorum in longum protrahantur.

Id

Id quoque admonitione dignum videtur, Mattheum non fuisse ab Imperatore nostro Dauide missum, ad inuictissimum, potentissimumque Regem Emanuelem, felicitis memoriz, sed ab Regina Helena vxore Imperatoris, cognomento Manus Mariæ, qui huius Davidis, de quo loquimur, auus fuit, quæ tunc temporis ob tenellam Davidis ætatem, regnorum gubernacula administrabat, mulier haud dubiè prudentissima & sanctissima. Eadem ista Helena duos composuit libros sermone Chaldaico, vt erat doctissima. Quorum vnus dicitur Enzera Chebaa, id est, Laudate Deum in organis, in quo de Trinitate doctissimè disputat, & de matris Christi Mariæ virginitate. Alter vocatur Chedale Chay, hoc est, Radius solis, in quo acutissimè de lege Dei disceptationes habet. Omnia hæc de fide, religione, ac patriæ nostræ statu, ego Zaga Zabo, quod gratia patris interpretatur, Episcopus, & sacerdos, ac Bugana Raz, nempe miles, ac Prorex prouinciæ, quæ Bugana dicitur, nec tibi in Christo filiolo meo charissimo Damiano petenti, nec vlli homini talia flagitanti denegare potui, aut negare licuit duabus de causis. quarum prior est, quod in mandatis habeo à potentissimo Domino meo Precioso Ioanne Aethiopum Imperatore, omnibus me interrogantibus de fide, religione, ac prouincia nostra, ne

Q 2

quid

quid clam haberem, sed ex fide veritatem rerum scriptis & verbis exponerem. Secunda, quod operæ precium existimarem, mores, ritus, instituta nostra, & locorum situs, in publicam notitiam venire. Quas res nemini ad hunc vsque diem scripsi, nec verbis exposui, non quod ad id laboribus meis parcere vellem, sed quod nullus Christianorum hominum, postquam in Lusitaniam veni, à me talia cognoscere appetiuit. De qua re non potui, nec possum satis mirari. Te verò quem rerum nostrarum cupientissimum multis argumentis iudico, per Christi plagas, ac crucē oro, vt hanc nostram fidei, ac religionis confessionem in linguam Latinam conuertas, vt per te liceat omnibus pijs Europæis Christianis ritus, ac integritatem morum nostrorū intelligere.

Porro si tibi inter tuas peregrinationes Romam petere contingat, tunc nomine meo Pontificem, ac venerandos Cardinales, Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, cæterosq; bonos Christi cultores, per Iesū Christum, in osculo pacis quæso salutes, petasque ab ipso Pontifice, vt ad me remittat Franciscum Alvarez, literis illis suis instructum, quibus Domino meo potentissimo Aethiopum Imperatori respondeat, quo tandem in patriam redeam, meosque lares inuisam, nimium enim diu hic detentus fui, vt ante obitum

tum meum, qui ex nimio senio pro foribus est, mandata perferam, reliquias deinde vitæ transacta hac legatione Deo consecrem, diuinisq; rebus totus vacem. Cæterum te oro, si aliqua in nostris scriptis non fuerint satis composita aut ordinata, vt ipse tu id ad phrasim latinam coaptas, sed ita, vt nihil de sensu immutes. Postremo te obsecro, vt inter verendum exquiras diligenter vetus & nouum testamentum, vt intelligas ex quibus locis meas auctoritates excerpti, quo certius veritas. Quod si omnia non fuerint tam foeliciter tractata, quam forsitan aliquis curiosus, aut scrupulosus exigat, id condonandum erit inopiæ & penuriæ librorum Chaldæorum, quos penes me non habeo, quos enim habui, iniquitas fortunæ in itinere perdidit. Quamobrem destitutus omnium librorum auxilio, nihil, nisi quod recens memoria adferebat, dictare potui, sed ea omnia certissima fide. Vale filiule in Christo dilectissime. Olisipone, vigesimo quarto Aprilis, Anno salutis nostræ millesimo, quingentesimo, trigesimo quarto.

Postquam hæc omnia scripsi, venit mihi in mentem locus ille, vbi dico Christum descendisse ad inferos, pro anima Adæ, atque pro anima ipsiusmet Christi, quam ipse Christus acceperat ex sancta Maria virgine matre sua. De qua re habemus testimonium verissi-

mum in libris quos Regiminis vocamus, quos Christus Iesus Seruator noster Apostolis tradidit, in quibus habentur hæc verba, quæ mysteria doctrinarum appellantur. Quorum autoritate & testimonio, omnes sine vlla hæsitacione, in hac sententia versamur. Ego tamen postquam in Lusitaniam veni, deprehendi Theologos diuersa tradere, contra nostrum omnium opinionem, quæ tam certa est, vt non hoc solum, sed etiam omnium hominum animas ab Adam profluxisse asseramus, & vt caro nostra est ex seminio carnis Adæ, ita quoque anima nostra, quasi lucerna in anima Adæ accensa, originem suam & naturam ex Adam trahit. Ex quo apparet nos omnes esse semen Adæ ex carne & anima.

*Opinio
Ethiopi
de origi-
ne ani-
ma.*

Hiscæ characteribus, manu propria ipsius
Oratoris omnia supra scripta,
subsignata erant.



ⲛ ⲉⲉ : Ⲅⲁⲛ : ⲁⲉ : ⲛⲩⲉⲛ : ⲛⲩ
ⲛⲁⲛ : ⲛⲁ : ⲛⲁⲉ : ⲛⲁⲉⲛ : ⲛⲁⲁ : ⲛⲁⲉ
ⲁⲛⲉ : ⲛⲁⲉⲛ

D E

DEPLORATIO
LAPPIANAE GENTIS
DAMIANO A GOES
A V T O R E.

NON indignum puto Pontifex maxime in calce huius nostri opusculi, quoniam ad fidem & vniõnem Ecclesiæ hæc quoque spectant, Ioannis Magni Gothi, Archiepiscopi Vpsalię in regno Suetiæ (vt ab eo ad miserandam Lappianam gentem veniamus) aliquã mentionẽ facere. Is aut̃ Ioannes Magnus Gothus, vir est optimis parentibus, ac diuitibus natus, sacrarum literarum non vulgariter peritus, probitate vitæ spectatissimus, Ecclesiæ Romanæ ita addictus, vt eius causa amplissimum Vpsaliæ archiepiscopatum cum prouentibus plus minus quadraginta millium aureorum in singulos annos, vna cum fundo paterno amiserit cuius dignitatis ac bonorum iactura, ab fluctibus fortunę agitated, in Prussia, Gedani diu tenuitervisitans delituit. Vbi (interim quod mihi Regis mei negotia in illis Germaniæ partibus tractanda erant) cum eo, ac cum Olao Magno Gotho eius fratre, indissolubilem contraxi amicitiam. Hos inopinatè postea Vincetię reperimultò tenuius, quã antea degentes, quẽ lo-

*Ioannes
Magnus.*

*Olao
Magnus*

Q 4

cum

cum ex illis vltimis terrarum oris, propter promulgatum Concilium, ex quo non nihil spei sibi, ac suis calamitatibus conceperant, adeundum esse propofuerant. Concilio tandem intermisso, ij boni viri iam à suis facultatibus planè destituti, quibus dum ampliores essent, sæpius in aquilonaribus illis partibus pro Rom Ecclesia pugnaverant, & adhuc (si res successisset) pugnaturi essent, Venetias emigrant, vel aliena liberalitate, vel suis laboribus, præsertim docendo, ac instituendo, victum quæsituri, nullis enim alijs subsidijs niti poterant, nisi quod in numinis auxilio totam spem reposuerant. quo cum peruenissent, solum ab Hieronymo Quirino Patriarcha Veneto, in ipso patriarchatu humanissimè accepti hospitantur, vbi ad hunc vsque diem dilatatum Concilium expectantes hærent. Sub huius Vpsaliensi Archiepiscopatu, pars illius vastæ Lappianæ prouinciæ habetur, cuius indigenæ Christi Seruatoris nostri leges minimè norunt, id quidem vt à multis, tum bonis, tum fide dignis viris, dum in illis prouincijs versarer, ob turpissimum prælatorum, & nobilium quæstum, ac auaritiam accidere intellexi. Nam si Christiani essent, liberi essent ab illis vectigalibus & tributis, quibus ipsi vt Ethnici mutantur, nobilitas contra cum Episcopis ditescit. Vetant igitur eos Christianos fieri,

ne

Patriarcha Venetus.

Lappia.

ne subditi suauis iugo Christi, aliquid lucelli eorum tyrannidi, & rapacitati subducant, & aliquid ex vectigalibus decrescat, quibus gens illa miseranda, ab ipsis Monarchis, turpiter & insatiabiliter præmitur & torquetur. qui impatientissimè ferunt, si illi Christiani facti, non longè plus vectigalium ipsis penderent, quàm ceteri Christiani suis principibus pendunt, ac proinde deformem istum & sacrilegum quæstum fidei, ac religioni Christianæ, contempta tot animarum salute, anteponunt, verè habentes claues, quibus nec ipsi intrant, nec alios intrare sinunt. Auaritiã fanè inexplebilè, & impietatè intolerabilem, ac à pijs pectorib. armis, & scriptis, deniq; totis virib. expugnandã, quæ proculdubio sopitã hoc tempore habuissemus, si hic bonus vir in pristinum suũ honorè restitutus esset, nihil enim magis cupit, nihil acrius meditatur, quàm quo pacto hæc gens ad Christi fidem reduci possit, nihil flebilius deplorat, quàm quod se autore (id quod sæpe animo voluerat) hæc miserandæ pecudes adhuc propter impiam religionem, per Christianam fidem Christi oues factæ non sint. nec tam queritur se ab Archiepiscopatu, vel bonis auitis depulsum, quàm quod careat neruis, auxilio & facultatibus, quibus hanc Lappianam plagam, & medicari, & sub Christi iugum mittere, & Rom. Ecclesiæ coniungere possit. Id

Q 5

qui

Auaritia.

quodem postea mihi sæpius per literas cõfirmavit, quibus nondum ipse placatus, ac rem huius negotij, in fine illius primæ Preciosi Ioannis legationis (quam ipsi Ioanni Magno Gotho consecraui) mentionem feci, ne tum quidem mihi ipsi in hoc negotio satisfeci, sed cū Erasmo Roterodamo meis literis egi, vt causam istius rei scriptis commendaret. Postmodum in illius contubernio agens, quod mihi cum eo Friburgi Brisgoiæ, ad quinque menses fuit, præsens cum præsentibus verba super eodem negotio feci. Quibus rebus impulsus, constituerat de hac re iustum volumen emitte-
 re. mortis tamen interuentu, operis materia, quam iã congefferat, dissoluta est. Nihilominus in suo Ecclesiaste tam nefandam impietatem non obtrixit, quæ sanè talis est, vt omnes Christianos, quibus potentia & doctrina à Deo concessæ sunt, posset quodammodo reos facere, & ab eis in vltimo iudicio coram Christo iusto iudice vindictam petere. Videant iam Christianorum Monarchæ, quam rationem, quem calculum tantarum perditarum animarum, in nouissimo die ad Christi tribunal, vbi nec gratiæ, nec indulgentiæ locus est, nec blandimenta, nec assentationes recipiuntur, reddituri sint. Tu tamen Pontifex maxime, is iã solus es, qui huic morbo mederi potes. Tu iã is es, qui huic gē-
 tu vias Dñi demonstrare potes, & vt rectè in
 ijs

ijs ambulent, dirigere. Tu solus eas de inferno inferiore redimere valebis. per te parvulis Christum accedere licebit, & in virtute dexteræ tuæ à dæmonū catenis ac insidijs liberari, & copiosa Christi in hoc, & in alio sæculo redēptione frui. Vide q̄ palmam obtinebis si melsis illa multa, te operario in horreū Christi cõportetur. Nec dubiū est, quin cõportabis, modo incipias. Sunt hodierno die cū Gostauo Suetiæ, & Gothiæ Rege aliquot Magnates, ab ecclesia Romana recisi. Sūt in ipsis quoq; regnis, qui omnino ex diametro disseciunt, possis ad vtrosq; literas pro tua dignitate & pastorali officio dare. eosque per Christi plagas (hunc enim omnes, quanquam ab ipsa Romana Ecclesia dissentiunt, filium Dei & Seruatorem nostrum fatentur) obtestari, vt hanc Orientalem & Occidentale Lappiã, cum Fimmarchia, Scricfinia, & Biarmia amplissimis prouincijs, quarū maior pars Christum non nouit, ad eius suauissimum iugum venire permittant, ab eisq; tantum aucupentur & extorqueant, quantum alij Christiani principes à suis subditis, vel iure postulare, vel precarijs exactiõibus obtinere cõsueuerunt. Ad id non tantū literæ, sed viri quoque docti & sanctitate vitæ probati mittendi dētur, vt hæ prouinciæ, Romanæ Ecclesiæ per Christi fidē cõiungantur. Quibus per te vna cū Aethiopica gente, ad veram Christi legē
 ad-

adductis, & si populi irascantur, Dominus se
dens super Cherubim regnet, & terra moue-
atur, ipsaque exultet, & insulæ multæ læten-
tur. Vale Pontifex maximè in Christo Iesu.
Amen.

Ex Louanio Cal. Sept. Anno 1540.

LAPPIÆ DE- SCRIPTIO,



LAPPIA mari Botnico interie-
cto in Orientalem & Occiden-
talem diuiditur, cuius æquoris
extremum, Tornia est. Ab Ori-
ente lacum album tangit, ad Se-
ptentrionem varias prouincias amplectens,
ad incognitū se extendit. Ad occidentē Istan-
diā respiciēs, parti Noruegiæ est cōtigua. Ad
meridiē, ab altera Noruegię parte, Suetia, Fin-
lādia, ac ab vtraq; Botnia cingitur. Lappia e-
nim oriētalis Ecclesiam D. Andreę in gradu
elevationis poli octogesimo quarto habet,
quæ magnifico & sumptuoso templo, ac do-
ctis & sacrarum literarum eruditis viris or-
natur. Ecclesia hæc Archiepiscopo Vpsalien-
si obedit & obtemperat, sub cuius diœcesi si-
ta est. Nihilominus eius circumuicini, siue
incuria, siue auaritia Prælatorum & Magna-
tum (vt dictum est) Christum non agno-
scunt.

*Ecclesia
D. And.*

scunt. Lappia Latino sermone interpretatur
inepta siue secors prouincia. nomen puto in-
ditum inde, q̄ ex nimio & intenso frigore, so-
lum tanquam stupidum, minimè aptum sit,
nec ad recipiendum, nec ad procreandum
fruges. Indigenæ istius prouinciæ, neruosi &
mediocris staturæ sunt, mirè dexteri, & agi-
les in iaculis & sagittis vtendis, quam artē *Lappiani*
iaculādi ab incunabulis sic exercēt, vt puero
à scopo erranti cibus non detur tantisper, do-
nec in eum rectè sagittam dirigat. Pellibus
non ineleganter contextis, loco vestium præ-
cipuè vtuntur, quibus se à frigoris iniuria tu-
tantur. Quod ita etiam pati assueuerunt, vt
dum opus sit, id sine aliquo pellium muni-
mine expugnare valeant. In tabernaculis ha-
bitant, nec domus eius alicui vsui sunt, quip-
pe sæpius hinc inde migrant. Aliam viuendi
rationem quàm venationis, aucupij & pesca-
tionis non habent, in quibus plurimum præ-
stant. Est enim prouincia illa istarum rerum
feracissima. Agrum non colunt, nauiculis vt-
tuntur sine aliquo ferreo clauo compactis,
quibus piscibus aere exsiccatis, ac pellibus or-
natis ad vicinos nauigant, vt permutatione
tantum annonam & pecuniam, nullo sermo-
ne adhibito, sed solis nutibus agentes, acqui-
rant. Id solum accidit ob linguæ barbariem
& asperitatem, alioquin in suis permutatio-
nibus sagaces & expertissimi sunt. Gens bel-
lice-

*Permissa
tio.*

licosa & animosa est. Loco equorum v-
tuntur animalibus, quæ Raingi suo sermo-
ne vocant, & magnitudinem & colorem asi-
ni, ungulas bifidas, formam atq; cornua cer-
uorum habentibus, sed cornua lanugine qua-
dam cooperiuntur, & humiliora & ramis ra-
riora cerui (vt ipsi vidimus) sunt. hæc tantæ
sunt velocitatis, vt spatio 12. horarum vehicu-
lum ad 30. miliaria Germanica proripiant,
in quorum progressu, lento vel celeri, ex ti-
biarum articulorum agitatione, ad instar nu-
cum collisionis crepitus auditur. Religio isti-
us gentis est, & ignem & statuas lapideas pro-
dijs habere. Ex quavis re animata eis mane
occurrente, totius diei euentum iudicant &
augurantur. Matrimonium obseruant, &
mirè sunt zelotypi. Incantamentis sic pol-
lent, vt inter multa alia dictu mira, quæ præ-
termitto, naues in medio cursu retineant, sic
vt nulla vi ventorum amoueri possint. Quod
malum solo virginum excremento foris na-
uium ac transtris illitis, curatur, à quo spiri-
tus illi, vt ab incolis accepi, natura abhorret.

Lege Saxonem Grammaticum, & mira
de sagis, & incantamentis A-
quilonaribus vide-
bis.

FINIS.

EPI.

Veloci-
tas.Incanta-
mentis.Excremē-
tum vir-
ginis.

EPISTOLA
POTENTISSIMI
AC INVICTISSIMI EMA-
NUELIS REGIS PORTUGAL-
LIE ET ALGARBIO-
rum, &c.

De victorijs nuper in Africa habitis. Ad S. in
Christo patrem & Dominum no-
strum, Dominum Leonem
x. Pont. Max.



Anctissimo in Christo Patri, ac beatissi-
mo Domino, Domino nostro, eiusdem
sanctitatis deuotissimus filius Emanuel
Dei gratia rex Portugallie, & Algar-
biorum, citra vltraq; mare in Africa,
Dominus Guineæ & Conquistæ, nauigationis ac com-
mercijs Aethiopia, Arabia, Persia, atq; India: humil-
lima Beatorum pedum oscula: Postulat nostra in san-
ctam sedem Apostolicam, ac præcipuè in vestram
Sanctitatem obseruantia, beatissime Pater: vt succes-
sus nostros, præsertim qui ad Dei cultum, & Catholi-
ca fidei propagationem spectant, eidem vt vero Chri-
sti vicario, ac sanctæ Romanæ Ecclesiæ arbitro, per-
scribamus. Postquam superioribus diebus nostrorum
in India prosperè gesta, Beatitudini vestræ significa-
uimus. Placuit summo Deo (vnde omnis victoria pen-
det) aliam nobis, non minus insignem, contra sui san-
ctissimi nominis hostes victoriam, de Mahumetanis

conce-

UNIVERSIDAD
D SALAMANCA

BIBLIOTECA GENERAL HISTORICA

concedere trophaum. Considerantes nos sanctissime pater, quam grande opus, & quam praeclarum sit facinus Fecense regnum, & Marochense in Africa debellare, in quo tantoperè ac tam sedulo studio semper laboramus: & quam praecipuus vsus rei cardo clauisq; sit AZ amorensis ciuitas. Ea est vrbs Mauritania, & murorum turriumq; fortitudine, & piscosilitoris, soliq; vbertate percelebris, atq; adeo Christianis, sed frustra antea expetita, Bragantia Ducem, nostrum charissimum ex carissima sorore Nepotem, ad eam expugnandam misimus. Cum haud exigua quingentorum nauigiorum classe, viris, equis, armis, omnifarijs belli instrumentis, ceteriq; huiusmodi expeditioni opportunis, optimè quidem instructa. Cuius exercitus decem & octo millium bellatorum numero erat. in quibus & multi proceres, nobilesq; viri, & duo millia & quingenti, tam cataphracti, quam expeditores equi: Ergo cum vniuersa classis in portum Mazagham ab vrbe AZ amor nouem millibus passuum distātem appulisset, nostris haud magno negotio (licet in hostium conspectu) in terram egressis, Dux ipse versus AZ amor, instructa vt oportebat acie contendit. In itinere quedam pugna praeludia cum hostium iactura, nullo nostrorum hominum, paruo equorum damno sunt habita, eo die nihil amplius. Postridie disposito exercitu, urbem oppugnant, vbi ad vndecim Saracenorum millia, ac totidem ferè in campo equites, & innumeri pedites, nostrorum praesentientes aduentum, bello satis accincti expectabant. In ea oppugnatione nonnulli Mauri, & quidam etiam primates in-

ter

terempti, adeoq; à nostris fuere confracti, vt desperata omni spe sequenti nocte qua parte castris vacabat (non enim per loci situm totam urbem obsidio circumierat) omnes clanculum abierunt, solamq; reliquere urbem. Postera luce hoc cognito, Dux cum exercitu, solenniq; pompa urbem ingreditur: occupatq;, atq; in ipsa Mahumeti praecipua aede (plures enim & aliae erant, quas Mexquitas vocant) & templi magnitudine, & edificiorum structu percelebris. Deo Optimo maximo, Missa, ac diuina officia cum laudibus sunt decantata. Clementissime Iesu, quam admirabilis est prouidentia tua, quod vbi ad mille annos impius ille Mahumetes tanto tuo opprobrio celebratus, vbi Christianum nomen, tanto tempore pessundatum, totiesq; blasphematum: ibi nunc occulto, & iam praesago iudicio tanta Satanae ignominia, ac dedecore, tuum Sanctissimum nomen, tua laus, tua vera aeternaq; gloria praedicetur. Inuenta in ea vrbe, ac parta machinarum bellicarum, armorum ac frumenti haud contemnenda spolia, nostro exercitui (quem illic habemus, vt propositum Deo propitio consequamur) admodum opportuna. Per lato hoc ad finitimos nuncio, ilico Almedina Incola (qua ciuitas ab AZ amor quinquaginta passuum millibus distat, & ipsius magnitudine, & gleba fertilitate nobilis) nostrorum metu: quos & alias saepius fuerant experti, urbem penitus deseruere, ac liberè nostris permisere. Tibi etiam antiquissima, & maxima olim ciuitas atq; alia quamplura oppida, ac finitima loca, statim sese nobis dedidere. Tributa etiam, censumq; pro nostro arbitrio pensuri. Ex qua quidem

R

Bea.



Beatissime pater diuina freti clementia, proculdubio speramus, ut tam auspiciata initia, melior progressus, optimusque finis subsequatur: atque illud Marrochorum regnum, quod totius ferè Africa caput & imperium fuit. Vnde & ipsa Hispania, omnisque Christiana respublica tot damna, tot clades, tantam sanguinis effusionem, ac catholica fides, tot opprobria, tot ignominias indignissimè pertulit. Nunc certè diuino suffragante numine, in nostram potestatem penitus redigatur ac tanta culpa malorumque luat pœnas. ac si Mahumetica perfidia depressa, verus dei cultus, & Christiana religio (quod solum semperq; optamus) sublimetur. Bene valeat sanctitas vestra, quam Deus Optimus Maximus diu, ac felicissime obseruare & augere dignetur. Data, in vrbe nostra Vlyxbon. Pridie Kalend. Octobris. Anno domini M. D. XIII.

Epistola

SERENISSIMI AT-
QUE INVICTISSIMI IOAN-
NIS III. PORTVGALLIÆ ET AL-
GARBIORVM REGIS.

AD S. D. N. PAVLVM III. PONT.
MAX. SVPER VICTORIA REBUS-
que in Oriente feliciter
gestis.

SAN-

SANCTISSIME
IN CHRISTO PATER,
AC BEATISSIME DOMINE,



IOANNES D. G. REX POR-
tugallia & Algarbiorum, citra & vl-
tra mare in Africa, Dominus Guineæ,
atque expeditionis & nauigationis,
& commercij Aethiopia, Arabia, Per-
sia, atque India, vt filius pientissimus post humillima
beatorum pedum oscula. Si vnquàm principes Chri-
stiani de victorijs, quas aduersus orthodoxa hostes a-
depi sunt, summo Pontifici, perinde ac vero Christi
Vicario gratulati sunt: id certe hoc tempore maxime
apud S. vestram à me, utpote eius, sanctaę Sedis A-
postolica filio pientissimo, obsequentiſſimoq; fieri o-
portet. Vrbs enim Diu clarissimum totius Orientis
Emporium fortissimumq; India propugnaculum, cu-
ius expugnanda causa, tot bella gesta, totq; expedi-
tiones, superioribus annis à nostris Ducibus facta fue-
rant, nunc tandem, Deo Optimo Maximo adiu-
uante, se nobis dedere, nostraq; ditioni parere coacta
est. Etenim cum multa, maximaq; in S. vestra vir-
tutes floreant, ob quas iure optimo, sancto spiritu suf-
fragante, ad summū Apostolatus apicem euecta est:
nulla tamē ex omnibus admirabilior censerī debet,
quā quod perpetuo quodā Christiana religionis pro-
paganda zelo, omni studio patrięq; indulgentissimi

R 2

affectu,

affectu, dat operam, ut pace inter Christianos principes fundata, ac stabilita, Christi vexilla usque ad ultimos terrarum fines prodeant, Mahometusque impietas de medio tollatur. Maiores quidem nostri iam inde ab huius regni origine id constanter pro viribus contendebant: ut clarissimis rebus gestis, verè eos principes Christianos esse constaret: idque, quemadmodum optabant, consequuti sunt. Nam & Maurorum gentem, ipsorum regibus superatis, Hispania expulerunt: & Mauritania oppida arcesque munitissimas, trans fretum Herculeum expugnarunt: quae & hodie nostrae ditionis sunt, praesidiisque validis tenentur. Porro felicis memoria Emanuel rex, pater meus, non satis habens, egregias & ipse de Africa victorias reportasse: cum Atlanticum mare antea ignotum, antiquorumque modo fabulis, miraculisque celebratum, classibus aperuisset (in quo nonnullorum maiorum suorum exemplum sequutus est) magnamque Aethiopiae littoralis partem inuictis Ducibus peragrasset, ad fidemque Christi instituisse. Navibus deinde, exercitumque ad mare usque rubrum, ac Persiam, totamque Indiam transuectu: iam notum est omnibus quid gesserit: quot populos, vrbes, reges, in ditionem suam redegerit. In quibus omnibus, vera & immortalis gloria dignissimus censendus est: cum ob id quod inaccessas, atque incognitas antea, tum caeli, terra, marisque plagas primus omnium notas fecerit, tum verò quod princeps Christianissimus ad ouile, ecclesiamque domini, tot animarum millia varijs inuoluta superstitionibus potuerit aggregare. Ego verò ubi primum Deo maximo ita volente

lente

lente ad regiam dignitatem euectus sum, tamen si liquido intelligerem, quantam hominum expectationem sustinerem, quem par erat plurimis de causis, patris inuictissimi, omnibusque seculis memorandi virtutibus respondere: tamen deo iuuante, non omnino despondi animum: verum me ita ad paternas laudes imitandas, ac prosequendas collegi, ut quantum fieri posset eiusdem vestigijs (ut bonum filium, regemque dicebat) haberem atque insisterem. Itaque etsi statim à principio regnandi non pauca difficultates, nostrarumque nauium iactura sequuta erant, quae tam longinquae expeditioni vehementer obstare videbantur: nos tamen incommodis quibusque superatis, non solum res Indicas prout à patre relictae fuerant, Dei gratia facile tutati sumus: verum eas subinde nouis victoriarum accessionibus roborauimus. Et quoniam ad statum rerum nostrarum in Oriente vehementer conducere videbatur, si vrbs Diu in ipso littoris Indici ingressu posita, in nostram ditionem veniret: ita enim & Oceani Indici latè domini, & aduersus Turcarum expeditiones tuti futuri eramus (nam hi classe ingenti in fine Arabici sinus comparata, se per maris rubri ostia egressuros, nobisque bellum ex ea vrbe illaturos minabantur) has ob causas nihil vnquam simul atque regnare coepimus, nec maius, nec antiquius habuimus, quam ut ea ciuitas nostri iuris & potestatis efficeretur. Quam verò à nostris Ducibus, praefectisque strenua aduersus eandem expeditiones suscepta esset, nihilque omnino ab his foret praetermissum, quò vrbs munitissima posset expugnari: tamen ob loci naturam inexpugnabi-

R 3

gnabi-

gnabilem, saepe ea res frustra tētata est. Quippe vrbs
 Dium in extremo promontorio sinus Canticolpi sita,
 & super saxi crepidine fundata, validis muris, turri-
 busq̄, atq̄ omnifariā aneis tormentis vnde quaq̄ cin-
 gitur, introrsus verò qua sese portus recipit, qui & i-
 pse validis cathenis clauditur, adeo manitus tā ab vr-
 be quā à medio mari propugnaculis vallata est, vt cū
 per spacium inter ipsa propugnacula interiaccens, na-
 uib. modo inuadi, oppugnariq̄ valeat (etenim à conti-
 nenti in morem insula mari per fossā deriuato ablu-
 tur) illud interim ex eo sequatur, vt eiusmodi oppu-
 gnatio propter oppositā vndiq̄ tormentorū vim lon-
 gè difficillima, ac penè vltra vires humanas esse vide-
 tur. Accedebat & illud incommodū, quod ea vrbs ma-
 nebat sub ditione Regis potētissimi citerioris Indiae,
 Mahometanae sectae cultoris, quē Regē Cambaia vo-
 cant. Atq̄ is facile intelligens maximū in ea ciuitate
 momentū esse, ipsam superioribus annis per Melichia-
 zum praefectum, quantū humano consilio, aut arte
 effici poterat muniri iusserat. Ita vrbs natura, situq̄
 valida, opera hominū praesidijsq̄ largiter accedenti-
 bus, inexpugnabilis reddita erat. Is autē rex Camba-
 ia, vt de eius propè incredilib. diuitijs taceā, facile
 centū mille equitum armare, peditū verò CCC. mil-
 lia, sexcētosq̄ elephantos, glandiūq̄ ignitarum ia-
 culatorū nō mediocrē numerū in aciē educere potest:
 adhac tormēta anea omnis generis curribus aptata,
 non minus habet quā septingēta. Quo apparatu idem
 paucis ab hinc annis, finitimo regi defectionem medi-
 tanti, bellum intulit, eumq̄ regno expulit. Sed quan-
 quam

quam tot incommodis Duces nostri vrgerentur, nos
 tamē id omni studio, indefessq̄ animo agitantes, vt
 hoc oppido in potestate nostrā redacto, rerūq̄ nostra-
 vū statu in Oriēte firmato, Christi fides per vniuer-
 sam Indiā longè lateq̄ posset propagari. Ob eas res
 Nonio à Cugna India gubernatori, praefectq̄ nostro
 maiori mandauimus, vt quia in oppugnando eo oppi-
 do parum proficeretur, in praesentia quidē ab eo desi-
 steret: caterum Regi Cambaia terra mariq̄ bellū in-
 ferret, vniuersamq̄ maritimā regni Cambaia orā,
 qua non mediocri littoris tractu porrigitur, ita classi-
 bus instructis popularetur, assidueq̄ infestaret, vt ali-
 quando rex Cambaia Badur (id enim nomen illi est)
 suis, suorumq̄, malis edoctus, tot dāna, direptionesq̄,
 deditioe dictae ciuitatis redimere cogeretur. Id cū
 ita factū esset, bellūq̄, acre ac perpetuū omnibus Gu-
 zaratū populis maritimis illatū traheretur (ita enim
 subditi regni Cambaia vocantur) rex Badur cum non
 paucas regni sui ciuitates, oppida, arces, vicos, per no-
 stros praefectos, classesq̄, capi, diripi, atq̄ incendi cū
 magna suorū strage, audiret, in quorū direptione in-
 gēs aneorū tormentorum numerus, multiq̄, bellici ap-
 paratus à nostris inueniebantur. Cumq̄ non minus in-
 telligeret, nostrorū classibus infesta omnia reddenti-
 bus, naues mercatorum ad ipsius regni portus nullate-
 nus accedere, nec vltro citroūe commeari iam aude-
 re, idq̄, interim magna eius vectigalium iactura acci-
 dere. Ad hac cū animaduerteter maiora in posterum
 ex eiusmodi causa regno suo damna instare, qui-
 bus deinde omnipotentia nequaquam resistere pos-
 set

set: cum hac omnia secum reputaret, diuq; tamen do-
lorem audacter premeret: et si nunquam antea secum
de pace agi passus fuerat, ad extremum maiore metu
perculsus, consilium sibi coepit, nostraq; imperata fa-
cere. Diuq; dedere cogitauit: videlicet in eo magnorū
Aethiopia atq; Orientis regum, multorumq; India
satraparum exemplum sequutus. Qui nobis (Deo iu-
uante) superiori tempore obedire appetuerant, idq;
magno orthodoxae fidei, animarumq; bono euenerat,
qua incredibili numero ab idolorū vanitate, ad Chri-
stianam pietatem & conuersa sunt, & quotidie con-
uertuntur. Itaq; ille potentissimus rex Badur, Indiae
vniuersa terror, à quo nonnulli regnum Pori maxi-
mi quondam regis teneri affirmant: quiq; tot annos
frustra minis in nostros detonuisset, tandem per lega-
tos à gubernatore nostro suprā memorato, pacem
suppliciter postulat. Summa legationis erat, velle se
his conditionibus nobis obsequi: quae omnino gratae no-
bis futurae erant. Consilio igitur de eare diligenter
habito placuit Nonio gubernatori, cateriq; prae-
fatis nostris, virisq; nobilibus qui in India iussu nostro
militant, pacem cum rege ijs conditionibus fieri: quae
certe nobis, regnisq; nostris pulcherrima, & honestis-
sima extiterunt. Atq; harum nonnullas S. vestrae his
literis declarandas esse duxi. Placere regi Camba-
iae (Cambaiā ciuitas est insignis maritima, vnde rex
denominatur, aliter Guzaratum rex vocatur) & ar-
cem & ciuitatem Bazaim, quae ciuitas ad Orientem
versus circiter octoginta millibus passuum à Dio ab-
est, in ius ac ditionem nostram transferri: seq; nobis

in perpetuum ijs cedere cum omnibus agris, insulis,
oppidis, vicis, prouentibus, vectigalib; q; regijs, cate-
risq; omnibus quomodo unq; ad eandem urbem, ei-
usdemq; Regis deditionem in ea regione spectantib;
Nec minus cedere se ea vectigalium summa (ea in-
gens erat) quae ex annorum proximorū pessione dicta
ciuitatis Regi debita, nondumq; per quastores regios
exacta fuerat. Item vi Lusitani qui captiui, aliquot
iam annos apud regiam urbem Campanellum tene-
bantur, gubernatori nostro quā primum redderentur.
His atq; alijs per quā honorificis regno nostro
conditionibus firmatis, non ita multo post & captiui
ipsi redditi sunt, quorum libertatem propter eorun-
dem merita fidelemq; operā nobis multis annis prae-
stam, magni fecimus: & possessio vrbs Bazaim meo
nomine à nostris inuita est. Est autem Bazaim vrbs ma-
ritima insignis, cum ob agri insularumq; adiacētium
mirificam quandam vbertatem, tum verò ob syluarū
materiāq; commoditatem, quae abunde in hoc vno ci-
terioris Indiae loco, nauibus fabricandis suppetit. Sic
vt ad classium nostrarum quantumuis numerosam a-
dificationem, siue comعات, hac vna posse sufficere
videatur. Sed neq; vsquam in vniuerso Indiae litto-
ralis tractu tanta vtriusq; rei copia positi inueniri.
Hinc est quod intra Bazainensis agri, earumq; insu-
larum ambitum, quae eius territorij sunt, ob admirā-
dam, largeq; omnia praeferentem soli fecunditatem,
sexcenti admodum vici, minimum alius ab alio distā-
tes inueniantur, quos Guzarates habitant: interq;
eos vicos, & oppida nonnulla, & ciuitates etiam vi-

suntur. Singuli porro ab vrbe nostra Bazaimius accipiunt: nobisq; hi omnes cum ciuitate simul, annua centum millia aureorum, ex vectigali regio pendunt: breui autem fore speramus, vt vectigalium magna fiat accessio, quod propter pacem, quam ijs dedimus, affatim ad habitandum Guzaratum multitudo confluat in ea loca. Idem rex Badur anno non toto vertente, vt mutuam nobiscum pacem maiore pignore retineret, sanciretq;, iteq; vt nobis gratior & acceptior, dicto Nonio India Gubernatori vltro per literas significauit, velle se certis conditionibus, quae paci, & amicitia vtriusq; nostrum expedirent, ipsam ciuitate Diu mihi dedere: ita vt ea in posteru valido Lusitanoru praesidio teneretur: Ea re cognita, cu Nonius ingenti classe ad urbem Diu accessisset, mox ea parte vrbis potissimu lecta, quae portui, propugnaculisq; in mari extructis imminebat, arcem magna celeritate adificare aggressus est: qua propediē absolutum iri confidimus. Atq; fortissima ciuitatis parte, propugnaculisq; ipsis, tum maris, tum terra omni tormentorum genere, bellicisq; apparatu instructissimis a rege traditis, nostrosq; praesidio firmatis, in quibus & oppidi, & portus vires facile continentur, arce etiam insuperabili a nostris iisdem in locis fundata, plane illud sequi necesse est, & nunc eam ciuitatem penitus in nostra potestate esse, & in posteru Deo bene iuuante sub nostra ditione perpetuo mansuram: ita Deo optimo Maximo fauente, citra vllum sanguinem, meorumq; subditorum periculum, ea vrbe potiti sumus, quae iam pridem a felicis memoria patre Emanuele, nostrorumque

nostrorumq; exercitu, magnis cum sudoribus impensisq; petita, nunquam tamen potuerat expugnari. Vnaq; opera tum rebus nostris Indicis securitatem, tum paci ornamentum, tum bello singulare perpetuumq; praesidium comparauimus. Cumq; omnes ferē Orientis naues, quae per Indicum Oceanum mareq; rubrum vltro citroq; excurrunt, ad hunc portum necessario ferantur, facile ex eo iudicare est quicumq; tam celebris emporij dominus fuerit, eum nauibus totius Orientis quodammodo dominari oportere. Eodem tempore inter nostros, regemq; Cambaia conuentum est, ne Turcarum quispiam intra eius regni fines admittetur, neue hospitio, comaeatu, auxilioue quocunq; iuuaretur. Item ne per vniuersum regni Cambaia littus, vlli Guzaratum nauigium bello aptum fabricare liceret: si qua edificata, aut instructa, instruiue cepta inuenirentur, ea in terram subducerentur. Postremo vt quacunq; Guzaratum nauis è littore patrio nauigatura esset, ea priusquam solueret, a praefecto arcis nostra, quae intra Diu est, liberi comaeatus diploma impetraret: alioqui eam nauigationem suo periculo facturam esse. Atq; vt mirabilis nostrorum felicitati cumulus adderetur, accidit per hac tempora, vt Aimanus potentissimus Carmania rex, vsq; ad Indi fluminis ostia, aliarumq; late regionum Septentrionem versus (nunc regē Dely vocant) & ipse impietatis Mahometanae cultor, bellum Cambaia regi inferret, quod is affinem quendam suum qui ab Amano transfugerat, reddere nollet. Quod vbi rex Badur intellexit, non ita multo post ingenti exercitu

coacto, qualem supra memorauimus ex aduerso processit. Quanquam verò Carmania rex equitum millia septuaginta duceret, qui more Partorum sagittandi peritissimi, inter fugiendum spicula dirigunt peditem verò ducenta millia haberet. Tamen si statim Cambaia rex cum hoste conflare nolisset, dubium non erat, quin regem Dely primo impetu fuisset superaturus. Verum ille prauis consilijs Rometanis praefecti sui, cui multum tribuebat, persuasus, cum se intra castra contineret, nec copiã pugnandi faceret: interim interceptis ab hoste comitatibus, dira q̄ fame atque ex eo hominum equorumq̄ strage in exercitu sequuta, ad extremum fuga sibi consulere, ne in potestate hostium veniret, compulsus est. Igitur cum fœda fuga, ac consternatio totis castris, ipsius Regis fuga intellecta, oreiretur, Mogores subito superuenientes omnia prosternunt, atq̄ occupant. Mogores ij sunt qui primum cum rege ipsorum, Carmaniã: deinde Ariã, & Drangianã, aliasq̄ vsq̄ ad mare Caspium regiones (quas nunc regnum Dely vocant) armis occuparunt. Dicti Mogores vel à populis Persarum Megoribus, vel quod nunc Turca à Persis Mogores appellantur. Idem tamen se ab extremis Scythis oriundos iactant: Regemq̄ hunc Aimanum illius magni Famberlani Scytharum imperatoris, trinepotem praedicant. Certè gentem exercitumq̄ Mogorum, cū multi Vzbequi, natio eiusdem generis bellicosa, aliq̄ populis auxiliares, tum magna vis Scytharum, Tartarorumq̄ comitabantur Fugiens itaq̄ rex Cambaia cū matre, suisq̄, ac praefectorum, procerumq̄ suorum

uxori-

uxoribus, magnaq̄ parte thesaurorum, diuitiarum. quæ suarū se ad Diuum recipit. vipote totius regni urbem validissimam munitissimamq̄. Ibi hæc omnia, seq̄ insuper tradidit in fidem tutelamq̄ Nonij gubernatoris, praefectiq̄ nostri maioris. Et nunc, Deo volente, potentissimus, atq̄ opulentissimus India ceterioris Rex, cum arce regni, uxoribus, rebusq̄ pretiosissimis, in nostra manet potestate. Constare arbitror ex his S. vestra quantum dei optimi maximi clementia, rebus nostris, totiq̄ ad eam reipublica Christiana incrementum sit adiectum. Quantum item aditus hoc tempore sit factus ad Christi. veram fidem, per vasta illa Orientis, atq̄ India vtriusque regna longè lateque propaganda. Quod etsi temporibus meis & mea, meorumq̄ opera, Deo adiuuante, accidisse mihi (ut par est) gratissimum esse debeat, tam prosperam, tamque admirandam rerum successionem in primis S. vestra felicitati acceptam referri oportet: cuius virtute ac meritis, utpote Sãctissimi dignissimiq̄ Petri successoris, fideiq̄ orthodoxa propagatoris maximi, breui temporis circulo factum est, ut tam in Africa quam in Asia, insignes Christianis victoriae partes sint. Ego autem Domino Deo nostro gratias summas ago pro tanta benignitate, quanta nos immeritos prosequi dignatus est: idemq̄ à S. vestra totius reipublica Christiana nomine fieri, & spero & opto. Cumque ab ipsius pontificatus initio Christianus orbis nouis victoriarum accessionibus non mediocriter auctus fuerit, idq̄ ipsum (ut dixi) iure optimo eiusdem S. vestra summis virtutibus, perpetuoq̄ religionis affe-

ctui

Etui ascribi oporteat, omnes qui Christum profitemur sperare debemus fore, ut rebus per eandem inter Principes Christianos pacatis, & compositis, S. vestrameritis, consilijs, virtute, autoritate, Dei religio magis magisque floreat, & digna (ut par est) accipias incrementa. Ut tandem vera pietatis hostibus aut eversis, aut profligatis, idolorumque, & Mahometanorum impia vanitate deleta, crux D. N. I. C. in vniuerso orbe colatur, atque adoretur. S. in C. Pater & D. noster. D. Omnipotens S. vestram diutissime ac felicissime augere, & conseruare dignetur, ad sui sanctissimi obsequij, sancte matris Ecclesie bonum & utilitatem. Data Eborae, die XX. Iulij. Anno. D. M. D. XXXVI.

DIENSIS NOBILISSIMAE CARMANIAE SEV

CAMBAIAE VRBIS OPPUGNATIO, Damiano à Goes auctor.

DAMIANVS A

GOES EQVES LVSITANVS,

PETRO BEMBO SACRO-

sanctae Ecclesiae Romanae
Cardinali, S. P. D.

Quid



Vid tibi pro tua assidua erga me, dignissime Cardinalis, humanitate gratiarum referam, reperire nequeo, nec praesens tempus facultatem adfert, sed pensabimus aliquando pro nostra facultate. Nunc vero mitto id, quod gratum scio tibi fore, historiaeque nobilissimae Reipub. Venetae, quam cum maxima in futurum gloria, in manibus habes, forsitan etiam non incommodum. Quantum delecteris gestis nostrorum Lusitanorum non me fugit, praesertim illis, quae pro bono sacrosanctae fidei nostrae geruntur. Id sane quod facis, ut bonus fidusque Patritius Venetus facis, non ignorans antiqua nostratum cum vestris foedera, amicitias, & beneficia hinc inde vicissim collata. Utinam ceteri Christiani homines in tua sententiam irent, & ex animo magis rebus nostris, quam faciunt, fauerent ac opitularentur, quin ut omittamus opitulationem, saltem non officerent, ac tantum quod Rex nostrique cupiunt, ociosos se spectatores praeberent, interim dum nostri cum Mauris Turcisque strenue depugnant. Sed absint querimoniae & infaustra ominibus, & praesenti negotio incongrua, ac quod in manibus est tractemus.

* *
*

Dum



Dum agerem Patauij, vbi me tua humanitate mirè me totum deuinxisti, inter cætera, quæ ex Lusitania ad me perferebantur, accepi de bello Cábaico nonnulla, quæ (vt petisti) ex Lusitanica lingua in Italicum sermonem cõuerti. Postmodum mors illius Regis Cambaiæ de quo tam multa ac miranda retuleram, insecuta est, à nostris enim ob prodicionem, quã in Nunium à Cunha Proregem nostrum meditabatur, ex quadam triremi deiectus ante muros Dij, fortissimæ ipsius Cambaiæ regni ciuitatis, à quodam nauta, hasta inter natandum perfossus est. Ex cuius cæde omnino ipsa ciuitas iã imperio nostro subiacet, id quod antea facere reluctabatur, quamquam in eius faucibus litoris arcem munitissimam haberemus. Quare peracta nonnulla deinde intercapedine temporis, classis Turcica ad eandem ciuitatem appulit, vt nostros inde expelleret. Quã classem Imperator Turcarum innumerabilibus sumptibus in sinu Arabico instrui iusserat. idque maximè istius Regis quem dixi, adhortatu & opera, vt postmodum comperitum fuit, & ex sequentibus latius intelliges. Iure autem belli ipse Turcarum Imperator Cayrum, cæterasque Sultani prouincias (vt nosti) occupauit, atque vna cum regno curam, qua perpetuo Sultanusangebatur, suscepit

scepit, nempe vt Lusitanos omni contentione ex India profligaret. Ad id materiam ex longinquis plagis colligi iussit, illamque sumptu inæstimabili ad mare rubrum vehendam curauit. Atque in Suezij portu eiusdem sinus, naues ædificare instruereque apparat, cui negotio Architectus quidam Genuen. præfuit, huius artis (vt fertur) peritissimus. Habebat etiã multos alios opifices Christianos, quos hinc inde muneribus pellexerat. Classi vero præfecit quendam Bassam Præpositum Cayri, nomine Solimanum, peritissimum exercitus ducem. Quæ autem classis sexaginta tribus triremibus constabat, in singulisque triremibus viginti sex transtra, inter reliquas naues aderant sex Rostratæ, quas Galleones vocant, aderant quoque sex biremes, holcades duæ, actuariæ viginti, celoces quamplurimæ. Classis præterea instructa viginti millibus militum fuit, præter nautas & bombardarios, quorum quatuor millia Genicerorum, quos Rhomæos etiam appellamus, erant. Insuper armabatur classis maximo tormentorum numero, inter quæ erant quadraginta, quos basiliscos appellant, qui globum ferreum emittunt nonaginta librarum. Soluit itaque hæc ingens, & ad omnem naumachiam ornata classis Suezio, versus Indiam sub finem Iunij anni millesimi quingentesimi trigesimali octauo, & vi interceptis aliquot mercatorum nauibus,

S

uibus,

uibus, quibus commeatu oneratis, atque ex eis nonnullis nautis ad remigium edoctis, (tyrannide triremibus damnatis) quinto Iulij Adenam cōtendit, quæ ciuitas adiacet fretto sinus Arabici, & decimo quinto eiusdem mensis, ad quendam locū aquationi idoneū apulit, quadraginta millibus passuum distantē ab Adena, Ibidem ancoris fixis, Solimanus Bassa classis præfectus, literas Imperatoris Turcarū de pace ad Regē Aden. mittit, atq; ex aureo panno talarē vestē, legatisq; in mādatis dedit, Regi vt dicerēt ipsum Turcarum Imperatorē classē illam ei dono mittere, quā suo imperio cōsilijsq; gubernari volebat, seque ea de causa Indiam petiturum, vt Lusitanos inde excluderet, homines Mahometanæ fidei infensissimos, ad quam expeditionem se nihil aliud ab illo postulare, quā carnes & ligna. Quippe cæteris rebus atq; cōmeatibus classis abundē instructa erat. Hæc omnia Rex Adenēsis (quanquam Regis tunc nostri Lusitanie tributarius esset, cui singulis annis, fœdere percusso ab Hectore à Sylueira, decem millia ducatorū persoluebat) gratissimo animo accepit, legatisq; respōdit, eius aduentum sibi peroptatū esse, cui liberē omnia, tum ad classem, tum ad militem necessaria pollicitabatur. His spacio septem dierum transactis, ancoris iussu Solimani sublatis, ad portum Adenensem classis depulsa est, inibi

inibi sub ancora moram faciens, applaudentibus omnibus, tanquam verus amicus accipitur. Rex ad eum Magnates aliquos mittit, vt aduentui eius gratularentur. Qui ex mandato, Solimano significauere, gratissimum fore Regi, si in terram descenderet, vti ciuitatem sibi obtemperantissimam oculis cerneret, vbi pro dignitate atque officio eum in sua Regia tractare posset. Ad hæc Solimanus. Dicit inquit Regi, me non despicere magnifica eius oblata. Veruntamē nau-sea sentinæ, & nauigationis molestia, ita adhuc me affligi, vt ante biduum nihil de me audeam polliceri. at vbi conualuero, recta ad eius amplexum proficiscar. Ita dimissis legatis, mox à tergo sequuntur trecenti milites, prætextu visendæ ciuitatis. Postea Solimanus, vt ad finem telæ, quam mente orsus erat, perueniret, familiarem quendam suum ad Regem mittit, indicans se scire militum insolentiam. Et quoniam ij trecenti qui per ciuitatem vagabantur, nisi receptui canere iuberet, & vela daret, quod tum illi nefas erat, crederet se ad naues recipere non posse, Submissurum ilico cētum veteranos, qui sua authoritate, reliquorum militum insolentiā cohiberent. His Rex, nihil mali suspicās, corporis sui atque regie custodiam commisit. Sequenti vero die duo milia militum è classe dissimulata prodicione ciuitatem petunt.



Qui vbi ciuitatem perspectam atq; eius fortiora loca explorata haberent, veteranis se adiungere, quæ res ilico animum Regis perculit. Postero vero die ante diluculum legatus venit maioribus copijs instructus, qui Regem prætextu amicitiæ hortaretur, vt cum aliquibus suorum magnatum, Solimanum ad huc ægrotum visat, atque salutet. Id, tametsi periculum & insidias ante oculos ponere videbatur, coactus est facere. Itaq; ad Solimanum ducitur, cæteris militum copijs in ciuitate iam pro præsidio remanentibus. Is igitur prætoria naue ad Solimanum perductus, regia plane libertate in dicendo sic vsus est. Dic quæso Solimane, cur me tantum principem, Imperatori tuo, tibiq; deditissimum, ad te fraude, technisq; tanquam maleficum, iussisti captiuum adduci? Cui Solimanus, superbia præsentis potentiæ elatus. Non te pudet, me Proregem potentissimi Turcarum Imperatoris ante ciuitatem tuam stationem facientem, per totum, triduum non inuisere? Ad hæc Rex. Si Turcarum Imperator hic adesset, nec ego defuissem officio meo, nec ipse (ita vt est clemens) in me vteretur fraude, calliditate atq; virulentia, qua tu modo vteris. Habes me modo in tua potestate, quod sane non euenisset, si phaleratis verbis tuis me, regnumq; meum non commissem. Est enim Adena ciuitas, quæ hostem armatum

aper.

aperto Marte non metuit, at à fraude calumniæ quis præcauere posset? Satia te homo priuate, fortunæ casu ad honorem prouecte, sanguine regio, ab atavis regibus edito. Peribit modo (vti video) infidelis tyrâni iussu, regium fidumq; corpus, attamen virtus Adenensium, stirpsq; eorum nobilissimorum Regum, nunquam te viuente peribit. Hac eû libertate vsus, extemplo Solimanus in antenna nauis suspendio tradi iussit, adiunxitq; illi eodem supplicio quatuor Regni proceres, qui vna cum Rege ad colloquia vocati fuere. Id se in mandatis à Turca habere, eo quod Adenenses non solum fœdera iunxissent cum Lusitanis, sed etiam tributum soluerent, quam gentem & eorum socios profuse ex India exturbare volebat. Post Regis necem ciuitas illa opulenta & pulchra, præde & cædi, nullo resistente, patuit. Sumpto deinde comœtu ab nauigaturis, populum alloquitur, debere ipsos lætissimos esse, vindictos scilicet à tyrannide Lusitanorum, ac proinde admonere se, vt fidem & obsequiû Imperatori Turcarum seruarent, Domino proprio ac clementi, ipsorumq; fidei vero cultori. In digressu vero duo millia armatorum pro præsidio reliquit. Deinde altum petens, cursum in Indiã instituit, in qua nauigatione octo vel decem biremes, atque actuarias naues, propter hyemis tempestates (est enim in

S 3

illis

illis prouincijs hyems eo tempore, quo apud nos æstas) amiserūt. quarum pars perijt, pars fluctib. ad littus Indicum, Mallabarem versus est expulsa, quæ ab aliquibus nostris nauibus deprehensæ, partim interceptæ, partim euersæ fuerūt. Hæc autem quæ hæctenus narrauimus, nostri à quibusdam Turcis, quos in ipsis nauibus uiuos ceperunt, intellexerunt. Est uero Mallabar prouincia, in qua sita sunt Regna Calecutij, Cananorij, & Cochini, & alia. cuius litoris Regnorumq; descriptionē in historia rerum Indicarum iam ab origine nostratium in ea loca aduentus luculenter, si Deo ita visum fuerit, sumus tradituri. Ita igitur nauigando Solimanus Diū pridie Nonas Septemb. cum classe sua appulit; & cum ad iactum bombardæ muris se proximum constitisset, exonerari circiter viginti magna tormenta iubet. Nostri par pari referentes, duas triremes Turcarum euertunt. Qua repentina clade consternati, subito illinc pedem retulere, & ad quendam fluuium sedecim millia passuum distantem à Dio, cui nomen Marafabaris portus est, se recepere. Inibiq; expectauere classem atque militem prouinciæ Cābaix, quā occisus Rex ad nostros ex Dio profligādos, ante suam cædē in aduentū Turcarū curauerat parari. Mercatores atq; oppidani subito se fugæ mandarunt, ita ut intra biduū ciuitas tota Diū facta sit deserta. Lusitani, qui

iam

iam soli per ciuitatem vagabantur, in arcem confugerunt. Dux arcis nomine Antonius à Sylueira, vir summo loco natus, magni animi, ingenijq; (virtute uero & prudētia fratre suo Ludouico à Sylueira Comite a Sortelha nō inferior) oīa ad defensionē obsidionis necessaria disponit. Habebat milites Lusitanos septingētos, inter quos ducēti uiri nobiles erāt. Nihil deerat defensionī, præter bōbardicū puluerē, cuius tātū sexaginta millia pōdo habebat, & tria uasa pulueris manualium (ut uocant) bombardarum. Deerant etiam protantis hostium copijs milites, nisi nostri suorum paucitatem uirtute pensauissent. Interea loci, duo duces regni Cambaix, Solimano associati sunt, singuli cum quadraginta nauibus, remige & milite ad dimicandum optimè instructis. Ecce adhuc alius dux terrestrium copiarum comitatus viginti millibus militū, nomine Coie Coffarus, natus matre Turca, & patre Christiano orto in Xio insula, cuius opificium fuerat, rimas nauium obturare. Fuerat autem hic Coie Regi Cābaix, dum uiueret, dilectissimus. His copijs terrestribus naualibusq; cum Turcis coniunctis, ilico Solimanus admoueri classem, & ante muros Dij, ad ictum bombardæ figi ancoram iubet, atque subito ex nauibus quinque millia militum præmittit, & centum quinquaginta tormenta bellica, inter quæ uigin-

S 4

ti

ti basilisci erant, & quinq; alia, lapideum globum septem palmorum crassitudine eijcientia. Interim dum tormenta vehuntur, vnum in litoris arena submersum est, nec amplius apparuit. Cum primum in terram descendissent milites, ilico se exercitui Coie Coffari adiunxere. Sequenti die nullo adhuc timore territi, sed fiducia multitudinis elati, nullo ordine seruato, prope muros arcis aliquot domos, in quibus adhuc habebant nostri magnam frumentorum copiam veniunt depraedatum. Dux noster Antonius à Sylueira cum eos perspexisset in loco cædi commodo, tormenta aliquot directa in eam partem, qua grassabantur, exonerari iussit, quo stratagemate desiderati sunt vltra cætum & quinquaginta, cæteri subito se ex eo loco receperunt. Extemplo Turcæ cum Coie militibus terræ aggerem prouoluunt, quæ moles instar montis paulatim magis ac magis fossæ arcis admouebatur, & sine noxa vlla hostes in proximo sistebat, atq; cōfestim latissimum vallum erexerunt, quod tignis bombicisq; sarcinis, quas in ciuitate inuenerunt, suffultum, ab ictibus nostrorum tormentorum asseruabatur. Super hoc erectæ sunt turres octo, quibus arx à terrestri parte cingebatur: Has muniuerunt omni genere tormentorum. Obsidione igitur instructa, viribus, machinisque omnibus adhibitis, arcem tum à stationibus,

tum

tum à naualibus tentare cœperunt hostes, nostri contra defendere. Habebant nostri citra arcem in ipsa ciuitate turres duas, quarum vna in scopulis litoris iuxta arcem, altera vero in noua ciuitate quæ Rhomæum appellatur. Nomen inditum est Rhomæis, quasi Romanis, vocantur enim in tota India Rhomæij, quos nos cōmuni nomine Geniceros vocamus. His enim Rhomæis siue Genicis reges Cambaiæ hanc urbem construxere, eamque à veteri vrbe muro discluserunt, quo mercatores, aduenæq; ibi versarētur, nec oppidani militum insolentijs inquietarentur. Prima vero turris seruabatur quinquaginta militibus. Secunda autem sexaginta: Erat vtraque munita omni re, & ad victum & defensionem necessaria. Ab illa nouæ vrbis turri, cui sexaginta milites præsidio erant, hostes laceffiti, vt illa molestia liberarentur, ante eam vallum extruunt, ac duas turres, quod vt commodius facerent, ædes magnificas quasdam, quæ turri adiacebant, ictibus tormentorum deijciunt, atq; subito turrim, machinis, tormentis, amphoris, & globis igneis petunt: quo certamine turris ab vno latere finditur, atq; ruinam minari cœpit. Nostrorum eo die desiderati sunt quinq;, ex hostibus plures. Sequenti vero die certamine redintegrato, vi tormentorum ictuum turris in duas partes ita fissa est, vt in offensè tela per mediã

S 5

turrim

turrim euaderent. Quare ab hostibus perſpēta, subito præmittūt duo millia ſelectorum militum, vt turrim expugnarēt, qui à noſtris nō ſine magna eorū clade & dedecore repulſi ſunt. Dum hæc aguntur, tormētis arcis euerſę ſunt duę hoſtium triremes. Ex quibus ſolum tres Turcæ natando euaserunt. Tres etiam alię triremes ita globis perforatę fuere, vt niſi è veſtigio alię eis ſuccurriffent, funditus periſſent. Iam cum viderent hoſtes ſpem defendendę turris in noſtrorum animis magis atque magis vigere, ne ab ipſorum globis maiorem cladem acciperent, ad eos legatos de deditioe mittunt, eiſque vitam & bona ſalua pollicentur. Qua legatione audita, triginta eorū (labes Luſitanorum ſanguinis) ſe dedidere, qui violata à Turcis fide, in triremes vincti ad æternam ſeruitutē dati ſunt. Cæteri vero vt boni ſacroſanctę fidei noſtrę propugnatores, repudiata conditione, alijsq; quod ſe infideliter deſeruiſſent, reprehendiſſent, dimicādo & (vt viros Luſitanos decebat) multos Turcas interficiēdo, omnes ad vnum occubere. Dum hæc agerētur, Antonius à Sylueira, celocē ad Proregem Indię Nonium à Cunha expedit, qui tūc temporis Goę agebat (diſtat enim Goa à Dio vltra octingenta millia paſſ.) In quo ſtatu res eſſent per literas oſtendit, puluerem tormētorum maxime deficere affirmat. Quæ celox à nauali-

ualibus arcis ſoluta, claſſem hoſtium penetrans, à quibuſdam celocibus infectationem patitur. Quarum vna cæteris agilior, & ſedecim millibus paſſuum ante cedēs, noſtram contendebat comprehendere. Noſtri vero, eam tanta diſtantia à reliquis ſemotam videntes, reflexo curſu recta obuiam tendunt, omnesque quotquot erant, dimicando interficiunt, excepto vno ex Apulia, qui à fide noſtra deſciuerat, quem ſecum captiuum duxerunt, ac celocem perforatam euertunt. Cum Goam appuliſſent, ſtatim ſe Prorex ad ſubſidium componit, celocem remittit, indicans ſe (deo adiutore) breui forti militum & nauium manu adfuturum, & vt omnem caſum (ita vt prudens erat) infortuniumq; præueniret, quippe totā claſſem ſubito, parare nequibat, ſedecim liburnicę ſubito, ex arido in mare ducuntur, quibus ſingulis, nobile & ſelectum ducem præfecit, & præter remiges & tormentarios, quindecim triarios milites vnicuique duci tradidit, quos omnes multis muneribus affecit, pluraq; ijs, ſi viui euaderent, pollicens, ſi minus, filijs, vxoribus, amicisq; ipſorum, omnia promiſſa ſanctē iurauit conſeruaturum eſſe. Itaque omnes ilico ad iter compositę, onuſtęq; ſolummodo puluere & incendiarijs funibus, quibus flammas bombardis iniiciunt è litore ſoluunt. Pridie vero Nonas Octobris

bris acrius solito Turcæ arcem oppugnaue-
re, terra mariq; operibus & machinis vndiq;
inuadentes, quæ pugna vsque ad trigefimum
eius mensis diem semper magis magisque re-
crudit, nihilque laxamenti datum obsessis,
sed noctes & dies continuata oppugnatio est,
nec vlla transijt dies, qua nõ hostes in arcem
exonerauerint trecenties, vel quadringēties
sua bellica tormenta. Ad hæc singulis diebus
nostros extra arcem ad pugnam prouoca-
bant, nostri quamquam numero multo infe-
riores erant, virtute tamen eos superare nite-
bantur, rursus ac rursus per arcis anfractus,
ad vallum, & ad eorum turres vsque exilien-
tes, cuniculis eos oppugnabant, plurimos in-
terficientes. Interea temporis ex assidua tor-
mentorum iaculatione, omnes arcis pinnae
turriumque collabuntur, ita vt nostris super-
nè locus non esset, vnde tuto in hostes iace-
rent lapides, pila, aliaque tela. Postea ve-
ro vna ex arce turris ad imum vsque conci-
dit, qua parte cum nullæ munitiones obsta-
rent, hostes omni adhibita diligentia, arcem
ingredi omnibus viribus satagebant. Nostri
autem repugnantes trabibus, tignis, vallisque;
vallum pro defensione diruti loci erigunt,
propugnaculaque super mœnia instruunt, qui-
bus rebus nostri vtcunq; se tuebatur. Hostes
enim omnem opem contra moliri, munitio-
nes nostras subruentes, viribus redintegratis,
con-

conabantur, globos, sagittasque igneas in val-
lum demittere, ipsi etiam sæpius ad vallum,
nostris acriter obsistentibus, perumpentes.
Quæ oppugnatio singulis diebus bis ageba-
tur, mane & vesperi. Dux Antonius à Syluei-
ra assiduam pertinaciam hostium conside-
rans, in ruderibus collapsæ turris tabulatum,
pro defensione compactum erigit. A tergo
ilico ignem ex picea materia, aridisque lignis
struit, qui magno incendio, noctu, mane, ve-
speri que ardebat, interdium minimè incendeba-
tur, quippe ardor solis, & calor cõbustæ ma-
teriæ satis per se ingressum hostibus interclu-
debat. Qui cõsiderantes ignis rapidissimum
ardorem, harpagonibus ferreis ad focum
contendunt, & omnem materiam, quam no-
stri alimentis ignis tradebāt, eā opera eripie-
bant. Antonius Dux contra alios harpago-
nes excogitat, longissimis hastilibus affixos,
his Turcarum harpagoes pari industria ap-
prehendit. Turcæ igitur videtes se nihil pro-
ficere, ab hoc oppugnationis genere desistunt.
Nulla fuit dies post turris lapsum, quin ex
nostris quinq; sexue ceciderint, præter vul-
neratos, & ab igne læsos. Ex hostibus (vt po-
stea compertū est) supra ter mille desiderati
sunt, vulnerati, & ab igne ambusti quamplu-
rimi. Xij. autem Calend Nouemb. ante ortū
solis, ecce speculatores nostri aliquot ma-
gnas scaphas, quas barchas appellant, quæ re-
mis

mis agebatur, ante muros turris nostræ, quæ
 quinquaginta militibus asseruabatur, vt an-
 tea diximus, ex arcis pinnis animaduertunt
 præterea octo triremes, quæ naues omnes in-
 structæ erant milite, scalisque & alijs machi-
 nis ad turrin oppugnandam appositis. Dux
 arcis Antonius à Sylueira, subito ab illo la-
 tere, cui turris proximior erat, nonnulla
 magna tormenta iussit deportari, inibiq; du-
 centos arcubutarios, vt vocant, disposuit.
 Ex quo loco cum primùm hostes turrin op-
 pugnare cœperunt ictibus tormentorū, qua-
 tuor scaphæ à nostris euertuntur, atque iacu-
 lationib. sclopetorum multi hostium inter-
 ficiuntur. Milites vero quinquaginta, qui turri
 præsidio erant, fortiter resistentes, multos
 interficiunt, ex quibus vnus tantum deside-
 ratus est, duodecim vulnerati. Illo die cū ni-
 hil promouissent Turcæ, postridie fortiore
 militū manu reuertuntur, constipati trigin-
 ta tribus scaphis, decem triremibus, & multis
 machinis oppugnationi accommodis. Mili-
 tes qui designati erant ad muros turrin con-
 scendendos (quorum numerus ingens erat)
 omnes vestiebantur rubro panno, vt ex cæ-
 teris dignoscerentur. Incepto autem prælio,
 mira arte studioq; turrin conscendere co-
 nabatur. Rursus ij, qui ex quinquaginta pro-
 pugnaculo integri adhuc seruabantur, forti-
 ter obstabant, hostes de scalis, quas iam affi-
 xas

xas muris habebant, præcipitantes. Præterea
 nostri, ex arce opportunitate perspecta, tor-
 menta exonerant, vnamq; triremem, & mul-
 tas scaphas funditus euertunt, ex qua clade
 ferme omnes scalæ & machinæ dilaceratæ
 sunt, quæ postea à nostris super aquas fluctu-
 antes receptæ fuere, & in arcem comportatæ.
 Hostes videntes ob oculos præientem stra-
 gem, mareq; sanguine suorum tinctum, atq;
 multos læsos, & igne combustos, exanimati
 plane à certamine destiterunt, & de loco pedē
 retulere. Interea temporis aliquot nostrorū
 ex arce ad ostium, per quod ad mare itur, e-
 rumpunt, paruasque scaphas conscendunt,
 vt hostium spolia per aquas fluctuantia, ex-
 ciperent, inter quæ tres milites Turcas, præ-
 ter alios quos in ipsis aquis iactatos hastis
 perfoderunt, viuos capiunt. Ex quibus Dux
 Antonius à Sylueira, nonnulla hostium se-
 creta percepit. Illis duobus diebus interfecti
 sunt plures quam octingenti Turcæ. Ex no-
 stris (Deo gratia) pauci fuerunt vel occisi, vel
 vulnerati. Interim arx è stationibus Turca-
 rum globis, sagittisque petebatur. Quorum
 valla tam propinqua erant nostris muris, vt
 de turribus in ea sphas cupasque nostri de-
 uoluerint. Triduum postea à Turris dimica-
 tione, Antonius à Sylueira, videns tempore
 pomeridião, ex arcis muro hostes, siue ex las-
 titudine, siue ex solis ardore, ab opere solito
 remis-



remissiores, quietique se mandantes, subito centum & quinquaginta selectos milites, per fossæ secretiora loca emittit, qui tanta astutia & diligentia vsi sunt, vt ad eorum vsq; castra peruenerint; pluresque ducentis & sexaginta hostium inibi occiderint, multosque spathis, globulis, hastisq; vulneribus affecerint. Denique toto exercitu commoto, & ad vim propulsandam consurgente, in arcem se receperunt. Desiderati sunt ex nostris inter innumerabile illam hostium permiscuam cædem tantum tres, vulnerati fuerunt sex. Eo die inuenta sunt in fossa arcis diuersorum instrumentorum genera, quæ præterita nocte Turcæ ibidem reposuere ad muros in sequentem oppugnationem educendos, refodiendosque. Qua re perspecta subito Antonius à Sylueira sub pluteis in ipsam fossam quadraginta Arcubutarios producit, qui magnam cladem hostibus exilientibus inferebant. Itaque illa pars fossæ defendebatur, nec in eam desilire aliquis hostium ad tempus ausus est: Dum hæc aguntur, dux antonius à Sylueira videns discrimen in quo versabatur, ex arcis æstuarijs aliam celocem productam ad Proregem Nonium à Cunha mittit, subsidium implorat, affirmans (ita vt res erat) circiter centum milites iam perijisse, ducentos vero aut vulneratos, aut igne ambustos esse. Quo nuncio accepto, Gratianus à Naronha, qui 3.
Idus

Idus Septemb. in Indiam iã Prorex designatus appulerat, cui Nonius à Cunha iam cesserat loco, nolens amplius expectare classes, quæ in littore ad regionem tutandam Charmandelij & sinus Persici versabantur, subito aliquibus nauibus, ex eis quas secum ex Lusitania duxerat, associatis illis quas Nonius à Cunha ante ipsius aduentum instruxerat, se ad nauigationem componit: Nauium autem catalogus hic erat. Duodecim magnæ onerariæ, siue holcades, sedecim rostrate, quas Galloones vocamus, quarum nonnullæ ingenti forma, & admodum validæ erant, viginti & quinque agiles naues, quas Carauellas dicimus, quo genere nauium soli Lusitani vtuntur, viginti & nouem triremes, habentes vnaquæque viginti & sex transtra, quindecim actuariæ, & viginti celoces. hæ omnes ad dimicationem paratæ erant, atque ingenti numero tormentorum instructæ. Aderant & aliæ quæ com meatum ferebant. Habebat præterea præter nautas & remiges, milites Lusitanos quinque milia, & nobiles Mallabares, quos Naires vocant, octies mille in arte gladiatoria versatissimos. Quibus cum copijs, ancoris sublatis, Diem versus nauigare cœpit. Nonius à Cunha postea illinc soluit, in Lusitaniam nauigaturus. in itinere vero, in quo fato apud Caput bonæ spei diem suum obiit. Piscibus, turgidoque mari eius cadauer, qui ultra de-
T cennium

cennium Imperium Orientis, nomine Regis sui gesserat, traditur. Quæ mors non illi fuit noxia, quoniam sciebat se ad feliciorē vitam migraturum, sed nobis Lusitanis. Etenim amabatur ab omnibus, & tanquam vnus regni oculus deosculabatur. Antequam ex portu solueret Gratianus à Naronha, literas Emanuelis à Brito ducis Chalijs ciuitatis in regno Calequi sitæ accipit, quibus significabat aduentasse ad Regem Calecutij, celocem, cū legato Solimani Bassæ ducis Turcarum classis, qui à Maomethanis in ipso regno agentibus, miris honoribus fuerat acceptus, præsertim à quodam duce ipsius Regis Calecutij Maomethano, nomine Paquemaquaro, qui eum ad Regem vsque comitatus est. In cuius conspectu concisa oratione ita orsus est. Rex inclyte, Solimanus Bassa, à potentissimo, inuictissimoque Turcarum Imperatore, Prorex modo super Indos designatus, te plurimum saluere iubet, indicans se hac sola de causa, huc nomine principis sui venturum, vt natione Lusitanorum deleta, si eius insignia, fidemque suscipere velis, nomen regnaque tua in immensum dilatet. Hæc locutus, ei nomine Turcarum Imperatoris talarem ex aureo panno vestem, Brachas, atque pileum in signum fœderis offert. Tunc Rex toruo, truculentoque aspectu, inquit, nec moris nec consuetudinis Imperatorum Calecutij

Iecutij fuit (vocat enim antiquitus se Reges Calecutij imperatores) nec erit, dona accipere, sed dare, nec Regna sua peregrinis copijs dilatare, sed proprijs, atque expulsos Reges, regnis suis restituere. Proinde, nobilitatem astantem respiciens, Vos huc proripite, eumque cū Duce Paquemaquaro, præcipitem in ergastulum protrudite, inibi que stultitię, superbięque sui Imperatoris, & ducis pœnas luat. Quare gesta, ilico Rex legatos ad Ducem Emanuelelem à Brito mittit, per quos pacem, quam frequenter antea violauerat, petit, eaque se sanctissime deinceps culturum promittit, quam impetratam per omnes suæ ditionis ciuitates promulgari iubet. Quæ res omnibus nostris & grata & perutilis fuit, præsertim tempore tam dubio, in quo ab ipso, vt à vicino & potente hoste potius erant expectanda incommoda, quàm emolumenta. Est autem iste potens Calecutij Rex nobis persepe infestus, raro atque tenuiter amicus, idque adeo propter infractam amicitiam inter nos, & Regem Cochini (ipsius antiquum hostem) à primis annis, ex quo nostri Indiam inceperunt frequentare, in itam. Est enim Cochinum oppidum, vnde totum regnum nomen capit, in quo Proreges Lusitanicæ Regis, diuturniorem sedem habent, & inibi omnes naues in Lusitaniam, siue in alias prouincias proficiscentes instruuntur. Hic igitur Rex Cochini,



chini, cum primum aduentum Turcarum in Indiam intellexit, omnes sui regni nobiles, quos Naiares vocant, ad se accersi iubet. Quibus congregatis, omnes in vnum eorum sacratius templum (quod Pagodes nominant) venire edicit. ibi veterem fidamque Lusitanorum amicitiam in mentē eis redigit, comodaq; non tantum ab ipso peculiariter, sed à toto quoque regno accepta enumerat. Cōcioneque facta omnes ad vnum vsque iure iurando. manus super quoddā Idolum (quod pro summo numine habent) ponentes, se unanimiter, sancteque Lusitanis inseruire, paratos esse affirmant. Qua fide à Rege perspecta, illi totius Regni æraria communicaturum se pollicetur. Idemque parique modo fecit Rex Cananori. Hostes vero, vt ad historiam reuertamur, qui arcem Diensem oppugnabant, videntes se nihil proficere, omni adhibita diligentia, alia ratione, alijsue studijs, eandem expugnare cōtendunt, aggerem producunt, & vallum asserebus, tignisque, quoquo versus vestitum, quem tantæ altitudinis constituunt, vti ex eo facile erat intro prospicere, & quæ nostri agerent, speculari. Hoc, quo illesum aduersus ignem tormentaque existeret, omni genere materiæ communiuerunt. Addunt pontes, aliasque machinas, quibus in arcem descenderent. Hæc omnia à nostris, quatenus fieri dabatur, perturbabantur.

tur. Tandem tertio Cal. Nouem. Turcæ prospicientes ex omni certamine continuam sibi cladem illatam, quasi desperatione deducti, ad extremam pugnam penitus se componunt. In cuius diei nocte, de secunda vigilia à nostris, præter solitum, gressus, rumor, & hominum è castris ad vallum accedentium, continui aditus audiuntur. Quod vbi animaduersum est, magnis ignibus factis, prospiciunt ingentia mancipiorū agmina scalas machinasque in vallum comportare. Quæ omnia inde ad radices murorum, tacito susurro, humi reclinata deponebant. Quæ insolita signa satis indicabant acriorem solito dimicationem sperandam esse. Qua re perculsus Antonius à Sylueira, milites omnes ilico cōuocat, quibus fidem, natiuū solum, Regem, vxores, filios, parentes, amicos, patriæ longinquitatem, atque Turcarum perfidiam, paulo ante omnibus perspectam, in mentem redigit, singulatimque ab atavis gentilitia omnium facta commemorat. Pro quibus omnibus deprecari cœpit, vti potius mori malint exemplo suorum maiorū, quam in manus cruetorum hostiū se dare. Quo sermone adducti omnes ad infimū vsque, sacramento se obstringunt, officio atque fidei suæ nunquam defuturos. Oratione autem finita, mox vnicuique, opus quod facere tenebatur, imponit, & quem quisque locum tueri deberet, indicat.

Commeabant interea quotidie crebræ Soli-
mani de deditioe legationes, quæ nõ solum
ab ipso Antonio receptæ nõ fuere, sed ne au-
ditæ quidem. Illa vero nocte nostrorũ oculi
somnia minime accepere, nec vigiliæ distri-
butæ fuere, sed vnusquisque de animæ ad su-
peros migratione, vel de vitæ desperatione
deniq; meditabatur, & omnia ad defensionẽ
instruebat, quatenus fieri poterat, & tẽporis
ratio ferebat. Sub diluculũ eius diei, quæ Ca-
lédæ Nouemb. erant, consideratur à nostris,
secundũ fluuium tacito remigio præterlabi
quingenta magnæ scaphæ, quæ recta ad
turrim, quam in faucibus litoris (vt dictũ est)
habemus, contendunt. Hæc (vt postea scitum
est) simulabant hostes, vt nostris illius late-
ris turris defensionis incumbens, à terre-
stri parte in arcem proruerent. Quarum co-
gitationum spe adducti hostes, militem in in-
sidijs à tergo valli tempore nocturno consti-
tuunt, vt citius nostris inopinantibus profi-
lirẽt. Postea vero duodecim triremes arcem
versus, remigium facere conantur, simulates
arcis oppugnationem, & fluuij ascensum. At
dux noster Antonius à Sylueira, hostibus
sagacior, iubet vt à parte terrestri, omnia di-
ligenter obseruentur, & quod à maritima,
nemo in scaphas, nec in triremes ictum pa-
ret, nisi ipso imperante. Illucente die circiter
tria millia hostium, subito clamore, atque
tuba-

tubarum clangore, in arcem irruunt, muro-
que conscendunt. At nostri sese fortissime
obijciunt, eosque de mœnibus acri conflictu
deijciunt. Habebant illi multa vexilla rubra,
viridia, & aliorum colorum, inter quæ vnũ
quadratum albi coloris erat, boum caudis or-
natum, quod nomine prophetæ sui Maome-
this gestabant. Perseuerauit hæc dimicatio
ad spatium vnus horæ, quo tempore hostes
à nostris grauiter læsi fuere, quorum multi
igne cuparum ambusti, rabie quadam capti,
in mare sponte sese conijciebant, qui vel ab
aquis oppressi, vel ex nostris turrib. arcubu-
torum ictibus transuerberati, ad vnum vsq;
interempti sunt. Hac militum manu dissipata,
cui extante dimicatione, nullum subsidi-
um missum est, subito alia ex castris, pau-
lo imbecillior numero mittitur, virtute tamen
exercitationeque longe præstantior, quæ
strenue nostros aggressa est. Milites etiam vt
alij, vexilla diuersorum colorũ ferebat. Dux
Antonius à Sylueira videns hostium virtutẽ,
& latus in quod impetũ fecerant admodum
infirmũ, ilico Paium Rodricum ab Arauio,
cui secundus locus à dignitate prætoria, in ar-
ce tribuebatur, iubet ex fortiore turri, cui
præerat, se illuc celerrime trãsferre, vt locus
ferme iam oppressus, ab ipso defenderetur.
Qui stipatus quadraginta militibus, & cæte-
ris, qui locum defendebant, admistus, in ho-



stes audacter inuolat, multosq; repellendo, feriendo, ac necado, ictu vnus arcubuti percussus, subito ad pedes suorum cōcidit, quod ducis Antonij auditui grauissimum fuit, atamen repente ad eūdem locum subsidio mittit Emanuelem à Vasquogoncelos, quem triginta milites comitabantur. Nostri vero iam in magno discrimine versabantur, multi interfecti, ac complures icti, & igne læsi erant. Inter mortuos verò Martinus Vazeus Pachequus, & eius nepos Gabriel Pachequus, & Antonius Mentius à Vasquogoncelos, & alij viri illustres annumerabantur, & ipsemet præfectus eius turris, in qua oppugnatio agebatur, quæ eadem illa est, quam prius ostendimus ictibus tormentorum concidisse. Is igitur Emanuel vbi aduenerat, se nostris miscuit, ac simul conglomeratim impetum in hostes faciunt, eosq; de turri super quam diu steterant, magna ipsorum strage deturbant. Interea temporis tormenta nostra, tam in vallum & castra, quam in triremes, ac alias naues, quæ à parte maritima, turrim & arcem mirismodis impetebant, exonerabātur, quorum ictibus, & quasi fulminibus magnā cladem hostes accipiebant. Pugnatum est vndequaq; ab hostibus, & quasi corona in orbem dimicatum vsq; ad tempus pomeridianum. Quo cōflictu cum à turri depulsi essent, subito duplicato numero, arcem aliæ hostium

copiæ

copiæ aggrediuntur, qui omnes Geniceri, & veterani milites Turcæ, & regni Cambaiæ erant, numero vero vltra sex millia, in quibus reliquum spei arcis expugnandæ reposuerat Solimanus. Dux Antonius à Sylueira, qui omnibus arcis angulis præsto erat, huc, illuc viginti tantum militibus circumstipatus, audit hostes nō solum arcem aggressos, verum etiā muros, atq; turris repagula superasse. eodū omni celeritate festinat, suos, atq; hostes promiscuè non super mœnia, sed in ipsa arcis area dimicantes, vel potius tumultuantes, aut fluctuantes inuenit. Quo viso, elatus animi magnitudine, voce sublimi, inquit, Mei Christiani, Lusitaniq; milites, mementote fidei, patriæ, parentem, mecumque corpora instar martyrum constanter pergite sacrificare. His dictis, veluti leo ore cruore pleno, vibrato ense, in medium cateruæ se protrudit, huc illucque iter aperiens, suosque veluti oues ex faucibus luporum eripiens, hostes, tanquam pilam, eo, vnde venerant, breui temporis spacio reiecit. Interim à parte litorali tormentis nostris tres triremes euertuntur, vniusq; puppis confringitur. Qua clade accepta, hostes à nauali oppugnatione abstinere, interim tamen terrestre certamen magis magisque vigebat, & magna contentione iterum in nostros impetus fit hostium. Deniq; extitit atque perseueravit dimicatio hæc ad

T 5

spacium

spacium quinq; horarum, eo modo, vt sepius nostri ab hostibus ad extremum arcæ repellerentur, contrahostes à nostris reijcerentur ad turrim vsque, per quam ingressi erāt, quā ne transirent, duo hostium duces, à calce ad verticem vsque armati ad eius radices versabantur. A quibus omnes sui milites è turri defilientes, aut aggredi eā recusantes, spathis, quas vtraq; manu gerebant, trucidabantur. Ii tamen à nostris ex arcis pinnis, ictibus arcubutorum sæpe petiti, tandem oppressi sunt. Ab alijs etiam lateribus, in arcem pila, & globos igneos hostes deuoluebant, à quibus mire nostri læsi fuissent, nisi prouidentia Ducis Antonij liberati essent, qui nocte pridiana, hoc timens, super testudines turrium, maximam aquæ copiam infundere iussit. In qua nostri versantes, plantas pedū ab ardore ignis illæsas referuabant. Adeo promiscua fuit hæc pugna, vt ex nostris multi glande arcubutorū in hostem emissa arcubuto ipso per capulum arrepto, capita hostium assidu- is ictibus ferirent. Qua dimicatione, sine aliqua intermissione durante, compertum est vnum tormentum quod camelum vocamus, vnum supra viginti ictus emisisse. Arcubutarius erat, etiam inter nostros, qui nonagies supra centum globos in hostem eiecit. Tandem, Deo fauente, nocteque interueniente, prælium dirimitur. Hostes se in
castra

castra magna strage accepta recipiūt, nostris in arce non minore iuxta numerum clade affectis. Desiderati nostrorum eo die fuere septuaginta milites, inter quos decem nobiles numerabantur, trecenti vulnerati, alijq; igne tacti, ita vt duodecim tantum remanserint à læsione immunes. Ex hostibus, vt apparuit, circiter tria millia supra quingentos cecidere, præter vulneratos & igne læsos. In quib. sepeliendis, tota illa nocte, & die sequente hostes incubuere, quod nostri liberè permittebant, nullo ictu tormentorum emisso, vt foetore cadauerum carerent. Erat autem res incredibilis dictu videre dissecta capita, cerebra, brachia, tibias, intestina, cæteraq; corporis membra, quæ in arcis fossa prostrata iacebant. Prælio finito, iam profunda nocte, Dux Antonius à Sylueira, cum vidisset hostes iam ad arcem expugnandam amplius non niti, nec ad eam aliquam machinam ad mouere, custodijs dispositis, omnes suos superstites cibo refici curauit, qui à cœna superioris noctis, ad horam illam vsq; integrum cibum non sumpserant, quod spacium erat ferme viginti trium horarum. Refectis autem ijs, & vulneribus ipsorum religatis, mortuisque opere mancipiorum, quæ in arce captiua habebant, sepultis, se nobilioribus, quas habebat, vestibis induit, cæterosque itidem facere iubet. Quo facto, canere atque sal-
tare

tare inceptum, cæterisque insequentibus, magnum clangorem, & vocum, & tubarum per totam noctem excitant. Id quidem agebant, ut hostes crederent ipsos eo animo atque virtute adhuc esse, qua in principio dimicationis fuerant, inter quas choreas & tiliarum concentus, non risus aut cachinni, sed lachrymæ profluebant, hostias se futuras in proximum haud dubitantes, si denuo oppugnatio tentaretur. tandem finita saltatione iuratum est se in proxima dimicatione ea obstinatione animorum pugnuros, ut si Turca loco potiretur, non antea pugnandi, quam viuendi finem facturos, nec vnquam passuros, ut viui in hostium potestatem venirent, cædibus & stragibus ultionem suæ mortis petituros, eaque victoriam hostibus luctuosissimam futuram, non enim se in spem vitæ, sed ad vindictam mortis certaturos. Interim nostris in huiusmodi saltationibus, & cantilenis impeditis, Dux certis hominibus, quibus maxime fidebat, iussit ut ex tormentis maritimæ parti adiacentibus, ubi semper minus (quippe latus illud natura erat munitum) imminabat periculi, puluis adimeretur, ut ex illo cupas ac globos igneos implerent, quo in sequentis diei dimicationem partem eam, qua arx terram spectat, munitiorem tutioremque haberent. Omni iam maiorum tormentorum puluere carebant, præter eum, quo tum tormenta

menta instructa erant, quo deficiente, nulla amplius spes defensionis erat. Hanc pulueris penuriam Dux Antonius semper penes se secretam habuit, paucissimis exceptis, ne ab aliquo mancipiorum ex arce fugienti, hostes eam intelligerent. Hac nocte quidam Venetus nauta, pietate veri Christiani affectus, se ad nostros furtim in arcem contulit, qui indicauit Solimanum ob ingentem suorum ac classis iacturam constituisse, nisi illo die, quo ter arcem tentauerat, eam superaret, castra amouere, nauesque conscendere, & Meccham versus nauigare. Quod iam magis cogebatur facere, ob atrocem acceptam stragem. præterea narrabat, ipsum Solimanum mire successisse Coie Coffaro occisi Regis Cambaie Duci, a quo assererat se circumuentum esse, qui sæpius & coram, & per litteras affirmasset, arcem minime firmam futuram aduersus ipsius potentiam, seque ulterius habiturum omnes Reges Indiæ aduersus Lusitanos promptissimos socios. Nam illos vnanimi sententia ipsi pecunias ac copias venienti mittere constituisse. Quæ omnia falsa ac fraudulenta deprehendit. Sed & multa plura dixit bonus ille transfuga, quæ postea vera inuenta fuere. Attamen nostri pro temporis ratione, eius verbis non magnam adhibebant fidem, tamen si hæc audientes animo non nihil refocillarentur, ac aliquid ab extrema illa desperatione remitterent.



terent. Proinde à suo opere non desistebant, vt si fortè rursus hostes ad pugnam redire euenisset, se defenderent. Nocte præterlapsa, dieq; progrediente, hostes (vt prius dictum est) in suis medendis, & sepeliendis occupati fuere, nec ipsi à nostris, nec nostri ab ipsis petiti sunt. Sequenti verò nocte (Dei opera) ecce sedecim illæ Liburnicæ, quas Nonius à Cunha Prorex miserat, aduentant, quæ quatuor millibus passuum à classe Turcica adhuc distantes, ducum consilio, in vnaquaque quatuor luculentas faces erigunt, quæ ob noctis obscuritatem visum hostium quadruplo fallebant, existimantes, pro ignium numero, multitudinem nauium respondere. Hoc stratagemate vsi magna celeritate, clamore que edito, ac tormētis omnibus crepantibus, impetum in classem hostium faciunt, ac nullo incōmodo accepto, arcis naualem magna omnium alacritate ingrediuntur. Quo insperato subsidio Solimanus longe plus perterritus, nullo seruato ordine, omnia tormēta, cōmeatum, castraque integra relinquens, se eadem nocte, in naues cum suis contulit. Et tanta celeritate nauigare cœpit, vt ortosole, nullum eius classis vestigium appareret. Milites regni Cambaiæ hæc videntes, se extra insulam, fluuium tranantes, conferunt. Tantus fuit omnium terror ac timor, vt relictis plus millibus hominum vulneratorum, ac igne

igne læsorum in castris, insuper millib. aliorum, qui prædâdi gratia paulò antè ex castris discesserant, fugerint, qui omnes ad vnū postea ab incolis, vt nobis gratificarentur, & vt turpia in ipsos perpetrata facinora, vindicarent, trucidati sunt. Nostri ex ea pugna, ingētia spolia, præter omnia tormēta bellica, quæ circiter centum & quinquaginta numero erāt, obtinuerūt. Fuga itaq; hostium facta, cōfestim Antonius à Sylueira, celocem ad Proregem Gratianum à Noronha mittit, eiq; res ibi gestas indicat, quæ illum cum tota classe, circiter centum & sexaginta millibus passuum tantum à Dio distantem iam inuenit. Quo nuncio exultantes, omnes gaudio magno affecti sunt, quamquā Gratianus doleret se hostes ante portum non reperisse, nec eorum classem oppugnare posse, atq; gloriam liberatæ arcis reportare. Nihilominus hæc dum accepit, extemplo versus mare rubrum cursum ea intetione dirigit, vt profugos hostes, aut terra aut mari aggrederetur.

Dorebus, & imperio Lusitanorum ad Paulum Iouium Damiani à Goes disceptationum.

Huiusmodi multa sunt doctissime Bēbe, que quotidie à nostris in Africa, Asiaq; pro sacrosancta fide catholica aguntur, quæ si Paulum Iouium Nouocomensem, vi- *Paulum Iouium* rum (vt fatear) doctum, non latuissent, *Paulum Iouium* ea quæ in sua Moscouitarum legatione, de- *Paulum Iouium* ceptus

ceptus cuiusdam Pauli Centurionis Genuensis verbis, scribit, nunquam in lucem dedisset. ubi eundem Paulum iniurijs Lusitanorum accensum, ita asserentem introducit, Lusitanorum nauigationibus, non solum itinera reliquis nationibus in Indiam intercludi, verum etiam omnia aromata, inibi comparata, ingenti quæstu Olisipone, bona dum seruant, corruptaq; prostituunt, venundari. Id autem non dabimus Pauli verbis, vt hanc imposturam agnoscamus. Siquidem singulis annis, à Regis nostri negotiatoribus, omnia ad vnum aromata, quæ ex India deportata fuerint, diuenduntur. Nunquam enim inde tantum aromatum aduehitur, quin facile vertente anno ab Europa absumatur, præter piper, quod in multos annos sine corruptio-ue seruari potest. Nec credo Paulum illum Genuensem ob publicum bonum talia blaterare, sed proprio commodo ad istius verba incitari, propter quod & cæteræ quoque nationes, nostræ inuident nauigationi, potius suum lucrum affectantes, quàm propagationem religionis. Porro nos id quoq; quod confiteri nefas non est, emolumentum etiam & opes ex nostris peregrinationibus quærimus, sine quo vix tota Europa sustinere posset sumptus, quos quotidie facimus. Certe vel ob id laudari debemus, quod nõ vt inermes negotiatores ad quæstum tantum modo aromatum

DE REB. ET IMP. LVSIT. 305
matum pcr Oceanum oberramus, vt multæ nationes Italiæ, Hispaniæ, Galliæq; antiquitus fecerent, & modo faciunt, sed exercitibus, & classibus instructi maximo cum metu hostium, non tam pomeria nostræ ditionis, quam Christianæ fidei prorogamus. Nec, vt falsò multi opinantur, ex omnibus nostris nauigationibus lucrum elicimus, sed ex pluribus pro religione dimicando, magnam hominũ ac pecuniarum iacturam facimus, vt in Mauritania, & Atlantico littore, vbi domitis, & in mancipiorum genus redactis Maomethanis omnibus qui, Lusitaniam occupabant, idque multis annis, configendo paucis nostrorum copijs. Deinde Castellanis, eorumq; socijs omnibus, ac Gallis, vnico prælio ad Scalabitanum deuictis, ac ex regno depulsis, subito Abylam, siue Ceiptam celeberrimam ciuitatem in freto Herculeo sitam occupauimus. Postea vero Reges Fez & Hesperidum multis conflictibus subactis, Tingidem, Argillam, Alcacerem, Tutuanum, Asaphium, Castellum Regale, ac Assamorum, Titium & Massaganum, istorum Regum patrimonia expugnauius, & alia oppida, quæ excidijs deleta sunt. Ex quibus locis omnibus nõ solum nihil cõmodi Regi nostro accrescit, sed etiam ingens sumptus impenditur, idque cum iactura multorum nobilium, quos ibi perpetuo in præsidio habet. Vtinam doctis-

V

simus



simus ille Iouius ista vnà cum ijs, quæ in Aethiopia à nostris geruntur, perspecta habuisset, vbi nostra opera & sermone potētissimus Rex Manicongri cum toto suo regno (quod in longitudine tria millia millium pass. habet, in latitudine vltra duo millia millium) fidem Christi accepit, eamq; indies magis magisq; colit. Deinde vtinam & id quoq; cognitum habuisset, quomodo in omnibus Guineæ ac Nigritarum regnis, quæ plurima sunt, & ad montes Lunæ ferme vsq;, atq; in regnis Zofalæ, Bennamataxæ, Mocambiqui, Quilloæ, Monbacæ, Melindi, & in alijs, atque in insula diui Laurentij, & vsque ad Arabicum sinum, liceat eandem Christi fidem per nos prædicari, atque in latissima Australi Brasiliæ plaga, vbi multas colonias nunc habemus. In quibus Regnis, multi ad ipsam religionis veritatem à nostris concionatoribus perducti sunt. Præterea nostris quoque armis & classibus fit, vt liceat (idque nostris magnis sumptibus) Oratores potentissimi Preciosi Ioannis Aethiopum Imperatoris, tutò in aulam Romanam commeare, ac principis sui verbis, Romanum Pontificem vt supremum Episcopum agnoscere, subditorumque obsequia polliceri, id in mādatis habentes, vt se Catholicæ Ecclesiæ coniungant. Quæ res adeo præclara, vt gratulatione, non odio prosequenda esset, si verè Chri-

DE REB. ET IMP. LVSIT. 307
 re Christi cultores essemus. Iam vt omittam, quo pacto nostri sæpius sinum Arabicum pererrantes, Suezium vsq; peruenerint, omnesque ferme eius litorales ciuitates euastauerint, ac templa Mahometanorum incēdijs absumpserint, nec id quidem sine ingentibus sumptibus, ac magna nostrorum iactura cōficitur, quæstu prope nullo. Rursum quod regnum Adeneñ. nobis tributarium cum Fartaquorum regno fecerimus, sinumque Persicum in ditionē, iusq; nostrum fere totū redegerimus. Vbi regnū & insula Oromuziæ, iā tāquam Lusitaniæ legitima patrimonia sita sunt. Ad hæc regnū quoq; Cambaiæ, à nobis hoc tempore domitum est, & eius firmissima ciuitas Dium occupatum. In quo loco ingēs classis Sultani Babylonæ, milite etiam Christiano instructissima, ac trecentis Regis Cambaiæ nauibus, quas Attalaias vocamus, & quadraginta Regis Calecutij, quas Parahos nominant, à Prorege Francisco de Almeida anno 1509. profligata est, plerisque nauibus, aut captis, aut demersis cum ingēti hostium clade. Quid hic referam Dacā, Cheul, Dabul, Bandam, ac Insulam Goæ, quæ tota iam Christo patet. Postremo quod ad Reges Narlingæ, Honori, Batecallæ, Otisæ, Deli, Cananori, Callequi, Calecutij, Cochini, Coulani, insulæque Seylani, & vltra Gangem ad reges Bengallæ, Pegui, Syani, &

ad magnam Malachæ ciuitatem, quam primo Alfonſus de Albuquerque; Prorex, ditioni noſtræ adiecit (cui etiam debemus Oromuziæ, ac Goæ imperium) & ad inſulam Samatræ. Ad ſauam quoq; minorem & maiorem, & ad inſulas Bandæ, Moluqui, & ad Borneum, poſtremo ad Chinam, ad Lequios denique nationem vix antehac cognitam, fidem Chriſti propagatam eſſe, quod noſtri nõ æſtimandis laboribus atq; ſumptibus obtinuerunt, quorum Reges, & plures alij, quos omitto, multi ſe ſeruos Regis noſtri vocant, nonnulli tributarios, & confœderatos, alij amicos, apud quos, ſiue ex fœderatorum genere ſint, ſiue ex numero dedititorum, ab Herculeis columnis vſq; ad Chinam & Lequios per omnes prouincias maritimas, nobis autoribus, fides Chriſti celebratur, ita tamen, vt alibi id liceat colloquijs & ſermonibus, alibi publicis concionibus, nonnullis in locis phana quoq;, & templa religioni Chriſtianæ dedicentur. Nunc certe *in om. nem terrã exiuit ſonus, & in fines orbis terræ verba eorum*, & ſpes eſt longius ſenſim ad mediterranea, fidem Chriſti propagatum iri, & Chriſto fauore, & noſtrorum prædicatione. Quibus rebus omnibus cõſideratis, & quod Rex noſter à principio nauigationis noſtræ in Indiã, cogatur perpetuo alere, tam in Mauritania, quã in ipſis Indijs, & in alijs quoque prouincijs, ordi-

Pſal. 18.

DE REB. ET IMP. LVSIT. 309
ordinarium & perpetuum exercitum, 20. ferme millium militum, quos ſumptus domeſticis opibus tolerat, nullis ad hoc ab amicis auxilijs corrogatis. Hiſ adijce claſſem pluſquam trecentarum omnis generis nauium, quas nunquam otioſas, ſed in perpetuis expeditionibus occupatas habet, vt iam non enumerem extraordinarios ſumptus, quos ad ſubita bella facere cogitur, nam quæ ſuperius recenſui, impenſæ pacis & trãquillitatis ſunt, non bellorum, quæ ſubinde alijs ac alijs in locis gerenda ſunt, dum aut fines tuetur, aut ſocios protegit, aut fines imperij promouet. Quis piorum Chriſtianorum nõ deſinat nos maledictis laceſſere, conſiderans ad tot ſumptus ſuſtinendos magnum omnino requiri lucrum? Quod ſane nobis inuidere non debent, ſed potius augere, aromata noſtra carius emẽdo (quanquam à noſtris ſemper vilius vendita ſint, quam olim à cæteris nationibus vendebantur) vt ea pecunia Maomethani de facie terræ (quando alij Chriſtiani principes inter ſe dimicando Chriſtianã ditionem neglectui habent) deleantur, & ſacroſancta fides paſſim ac tutò prædicetur. Hæc omnia ſi ille bonus ac doctus Paulus Iouius ſciuiſſet, nõquã aut de quęſtu noſtro inuidiam mouiſſet, aut corrupta aromata pro integris vendi aſſeruſſet, quippe cum edicto Regis, placitiſque totius regni mucida, adulterinaq; ſem-



per crementur, id quod dum puer ab intimis cubiculis prudentissimi Regis Emanuelis essem, sæpius vidi Olisipone fieri. Cæterum, si qua istius rei culpa est, ea apud solos istos tabernarios, propolas, & institores hæret, quibus nihil sancti, nisi quod cum lucro coniunctum est, in quos animaduertendum esset, nam ij omnium generum mercimoniorum corruptela verissima sunt. Hæc si Iouio comperita fuissent, non nostras laudes arrosisset, sed benigna prædicatione celebrasset, quod illi ob tersissimam eloquentiam & facile, & expeditum fuisset. Hæc ad Diem. oppugnationem, de nostrorum Lusitanorum gestis, obiter adieci, vti per te (cuius amplitudo summa est) gratiam aliquam, & commendationem huc disceptatiunculæ nostræ conciliarem, quo illa ex tua autoritate maiorem vbiq; fidem emereretur.

Vale.

DAMIA-

DAMIANI A
GOES EQVITIS LVSITANI,
DE BELLO CAMBAICO
SECUNDO COMMENTARI
TARII TRES.

Serenissimo Principi Ludouico
Lusitaniæ Infanti, Damianus
à Goes, S. D. P.



*VI*RV M est, quàm semper cum ætate accrescant labores, & deficientibus paulatim viribus, maiora negotia incumbant, siue id arcano quodam natura motu, numinisq; imperio cõtingat, siue voluntate nostra id vltro suscipiatur, vix certum cõstitui potest. Mihi certè euenire video, quod propior ad senectutem vergo, eò plura offerri, quæ scriptis ad æternitatẽ commendari debeant. Eæ enim sunt facta præclara nostræ gentis, eæ magnitudo varietasq; rerum, eæ nouitas insularum climatumque, vt si denud aliquis Homerus exurgeret: posset non incommodè ex rebus Lusitanicis, & Iliados & Odissæ argumentum non fabulosè, sed ex vero componere. Sed hæc fortassis aliàs tentabimus. Nunc, quæ proximè acta sunt ad Gangẽ in tuenda arce Diësi, describere propositum est. Ex quo. n. tua humanitas, Princeps clarissime, & in bello gerundo Dux strenuissime,

V 4

me,

me, nobis recitauit literas Ioannis Mascaregnæ Diensis arcis Praefecti, laureatas, & triumphorum argumentis plenas: non potui mihi imperare, quin arrepto calamo, ocioq; excusso, eius rei commentarios conficerem. Quem laborem meritò, fortasse ob nonnullas lucubratiunculas subterfugere potuissemus, quippe qui iam pridem emiserimus (quod mihi non ad iactantiam ingenij, sed ad testimonium laboris dictum velim) priorem illam Diensem oppugnationem, vbi in fine opusculi adiuncta est nonnulla disceptatiuncula cum Paulo Iouio viro disertissimo. Deinde fidem, mores, potentiamq; Aethiopum (qui sub Ioanne Precioso) siue (vt nunc loquimur) sub Ioanne Presbytero degunt, scripto prodidimus. In quo libello, vice Coronidis, deplorandam Lappiorum ad glaciale Oceanum degentium calamitatem, Paulo tertio Pontifici proposuimus. Praeterea Hispaniarum vires, opes, fecunditatemq; libro complexi sumus. Hisce commentatiunculis, licet quasi fatigatus rudem mihi, et si non in perpetuum, saltem ad tempus postulare possem: tamen vbi noua gloria nostra getus de Turcis parta, meum animum denuò accendisset, in re noua nouum vegetumq; animum ad scribendum indui. Quòd si nobis pro animi alacritate par ingenij vis & eloquentia copia suppeteret, melius sese proderet hominibus rerum gestarum amplitudo, quam fortasse alius aliàs præstabit. Nos contenti erimus, vt summa fide rem tradamus, vt, si lector non audiat ex nobis, quanta sit claritas magnitudoq; istius victoriae, animo saltem concipiat, & vtcunquè imaginetur. Caterum hoc

quic-

quicquid est libelli, tibi dicatum voluimus, Princeps inclyte, cuius felici consilio, bellica hac negocia domi forisq; rectissimè tractantur. Quòd sanè iam antea satis te declarasse in Tunetensi expugnatione, omnibus compertum est, vbi Carolo Quinto, cognato & sororio tuo, in difficilioribus negocijs præstò semper adfuiisti, & præsens tuam animi excellentiam, virtutem, & rerum bellicarum peritiam vniuerso orbi innotescere voluisti. Quum igitur id & à te & à clarissimis fratribus tuis Ioanne Tertio, inclytissimo Rege nostro, & Henrico Cardinale reuerendissimo agatur, vt aeternum in India sit Lusitanorū imperium: non putauit hunc librum de rebus Indicis, tibi iniucundum futurum, præsertim si in mentem veniat, vt inter legendum necessum est venire, quam fortunam auspiciū Regis, quas vires tua in bellis peritia, quid tutela, Cardinalis in prouidendo sagacitas, ad hanc victoriam contulerit, & quid in posterum iisdem effici & sperari posset. Accipias igitur sereno placidoq; vultu hanc nostri deuoti pectoris operam, quod te facturum pro tua humanitate nequaquam addubito.

Vale.

V 5

DAMIA.



DAMIANI A GOES
EQVITIS LVSITANI, DE BELLO

CAMBAICO II. COMMEN-
 TARIVS PRIMVS.



Ollatorū beneficiorū, pluma le-
 uior est gratia: cōtrā, offensarū
 memoria, tenax & diuturna, ob-
 liuionē nō sinit obrepere: nec tā
 expēdit, iure ne an iniuria sit le-
 sa, sed vulnus tantum modò suum adspicit, &
 acri dolore ad vindictā, per æqua, per iniqua,
 contendit. Cuius rei euidens exemplū patuit
 in gente Cābaica, quæ à nostris hominibus,
 multis affecta beneficijs, oppressa earum re-
 rū memoria, cladē (quā sub Antonio à Syl-
 ueyra sua culpa acceperant, dum Diense præ-
 sidium, cui ille per id tempus præerat, infeli-
 cibus armis tentant) quasi acceptam iniuri-
 am noua oppugnatione vlcisci statuerunt: id
 quò melius succederet, belli consilia, quan-
 tum possent, tegere, arma opesq; ad id clām
 comparare, vt imparatis vel per insidias ob-
 reperēt, vel aperto Marte, ex præparato gra-
 uius adorirentur. Sed Ioannes Mascaregnas,
 cui arcis custodia demandata erat, vir nō mi-
 nūs sagaci, quā forti pectore, omnia olfacere
 ac procul sentire, eorū consilia conatusq; ex-
 plorare, omnia pro tēporis angustia cōpor-
 tare

tare ac præparare, quæ ad vim hostium pro-
 pulsandam necessaria existimabat.

Author porrò, cōflatorq; istius belli, Co-
 ius Sopharus fuit, homo natione Italus, sed
 qui spreto Christiani nominis sacramento,
 Mahumeticæ sectæ se addixerat, dux vetera-
 nus, ac in primis belli peritus, cōsilio manuq;
 promptus, cuius mentionem in superiori op-
 pugnatione Diensi fecimus. Hic adolescentē
 Mamudiū Sultanū ad arma instigare, nec si-
 nere eius animum, à commemoratione occi-
 si ad Diū auunculi, conuiescere. Fuit autē is,
 Baduris Imperator Cābaicæ. Nō debere eius
 manes inultos relinqui, & eius (vnde regnum
 acceperat) mortē negligi, pertinere id ad ip-
 sius ignominiam & familię dedecus, ac totius
 gētis infamiam: exiguā manum Lusitanorū,
 facilè posse per bellum finibus excuti: Indi-
 gnum prorsus, maximū regē premi seruitute
 alienigenarum, dominatū conspicerē in re-
 gia, regnum deniq; & religionem in periculū
 venire: se, quicquid haberet viriū, quæ profe-
 ctò exiguæ nō essent, libēter huic bello asso-
 ciaturū. Vincitur hisce admonitionib. iuueni-
 lis animo, ac de sentētia suorū, bellū decernit,
 belliq; summa Sopharo cōmendatur. Is clā-
 culū, partim ex regijs opibus, partim ex suis,
 magnos exercitus cōparare, neq; ius religio-
 nemq; fœderis, initi ab interfecto Badure cū
 Prorēge Gratiano Noronha, quicquā curare.

Prin-

Principio igitur finitimos reges legationibus ad societatem vocare, spesque periculaque ostentare, quorum plerique nostrum imperium perosi, arma iungunt, alij magna promittunt, alij se integros ad euentum belli seruāt.

Quæ dum maximo silentio ex vtriusque consilio aguntur, fingit Sopharus Dientium ciuitatem sibi ab Imperatore Mamudio dono datam esse. Quæ res eo verisimilior videbatur, quòd & alia in ditione Cambaie oppida, vel gratia vel precio obtinuerat, è quibus vnū est Surrato, munitissima ciuitas ac prope modum inexpugnabilis: ideoque intuenti reliquam eius viri amplitudinem & gratiam, absurdum non videbatur, tale donum in virum tantoperè apud suos excellentem, collatum fuisse. Cuius impetratio ideo facilius apparebat, quod ea ciuitas subindè nunc Turcarum, nunc Lusitanorum armis expugnata, incerti fluctuantisq; dominij esse videbatur: spesq; erat, si Sopharo tradita fuisset, eius industria & viribus facile contra alienas opes defendi posse. Rebus ad istum modum constitutis, Sopharus literas ad Ioannem Mascaregnam mittit (cuius amicitia valdè familiariter utebatur) de sua felicitate, tanquam indè magnoperè gauisurum: indicabatque, se iam non animo tantum, sed corpore quoque cum amico summo coniunctiorem fore. Simul Legatis opera data est, vt vires nostras copiasq;

copiasq; explorarent, hominemq; orarent, vt ipsius pace liceret aliquot cohortes in urbem introducere, vt in rebus nouis ea manu sibi principatum confirmaret, populumq; in officio contineret, nè vel contra se, vel cõtra Christianos aliquid molirètur. Ipse interim clam militem accersere, bombardasq; noctu in urbem conuehere: Mascaregnas contra: re frumentariam expedire, necessariaq; in arcem comportari iubere, Lusitanosque qui in oppido agebant, clam admonere, vt comeatum & quicquid haberent, vnà secum in arcem deueherent. Dum igitur insidiæ altrinsecus vel instruuntur, vel cauentur: nuncij aduenientes referunt, totum regnum Cambaie esse in armis, ingentes exercitus cogi Arabum, Abessinorum, Phartachorum, Mogorum, & Turcarum, ad quadraginta millia: machinas item bellicas bombardasque omnis generis, inter quas erant quinque basilisci, (vastæ id magnitudinis tormentum) ad arcis expugnationem comportari. Mascaregnas cõtra (vt est homo rei militaris peritus) omnia dissimulare, ac per literas Sopharo gratulari, quod Regi ex merito charus esset: se probè cognoscere, quæ ipsius essent beneficia in regnum Cambaie, ac in primis gaudere, ipsius virtutes debitis præmijs, si non ad plenum, (nam maiora esse illius merita) saltem aliqua ex parte compensari: De milite in

318 DE BELLO CAMBAICO II.
in oppidum introducendo, se illius iuri non
intercedere, tantum caueret, nè id sibi Chri-
stianisq; perniciosum esset. Cæterùm, vt de
tempore constet, acta sunt ista sub finē Mar-
tij, anno 1546. Pauca igitur cohortes palàm,
cæterę clanculùm in vrbem intromisse sunt.
Mese Aprili maior adhuc copia armatorum
superuenit, quorũ pleriq; Turcici generis e-
rant. Enimuerò iam Sophari animo res ma-
tura videbatur, neq; differenda vltius ini-
tia belli, dum hyemis intemperie, quæ per ea
tempora sæuire incipit, nulla subsidia Chri-
stianis à prorege Indiæ summitti possent.
Mascaregnas autē (magis ac magis se quotidie
aperiente bello) de hoc tumultu, summa ce-
leritate ad Ioannē Castritium proregem In-
diæ (qui id tēporis Goæ agebat) nuncios mit-
tit, vt cognosceret, quo in metu res cōstitutæ
essent: se cōtra tantam vim nõ nisi ducentos
quingenta milites in præsidio habere. Ea-
dē indicatur Hieronymo Menesio, & Anto-
nio Sosæ, Bazaini & Chaulij præfectis. Libur-
nica quæ eos deueheret, ad id negocij expedi-
ta, simul in mandatis datum, vt commeatum
quẽ hostis ex illis locis deuectur⁹ esset, inter-
ciperēt, ac naues ea causa illuc missas retine-
rēt. Sopharus porrò quinq; millib. Turcarũ,
Abyssinorum, aliarumq; gentium vrbem in-
greditur: quẽ circiter triginta millia latomo-
rum, calonum, lixarum, cæterorumq; qui
Castren.

COMMENTARIVS I. 319
Castrẽsibus vsibus mercenariam operã præ-
stant, in sequebãtur. Aderat etiã Rumechanus
Sophari filius, quem rex Mamudius bombar-
darum omniũ, machinarũ, tormentorumq;
negocijs præfecerat. Statim igitur ab ingres-
su suo nuncios ad Mascaregnam mittit, orans,
ne de subito eius aduentu, copijsq; mili-
tũ, aliquid sinistri opinaretur: rebus duris &
regni nouitate ad talia consilia cōpullum ef-
se, ægrè ferre oppidanos mutationem prin-
cipis, nec imperium sibi in tanta maleuolen-
tia, sine armis tutum esse posse, ipsumq; ad eò
scire, quàm scelerata ingenia incolarũ essent,
quàm prona ad seditionem: Testari igitur
illius conscientiam, orareq; ne, quod pro
se necessariò faceret, contra amicum fecisse
crederetur: Se inter bonas suas fortunas, hãc
pro summa computare, quòd tam charũ ca-
put, iam non ex longa intercapedine, sed de
proximo visurus esset. Quod si per suspicio-
nes à colloquio arceretur, ipsum tamen ex-
perimentis cogniturum; quod fortassè iam
persuaderi non posset: scilicet, quàm san-
ctum illi sit ac religiosum ius veteris amici-
tiæ.

At Mascaregnas his nuncijs auditis, tametsi
doli non ignarus, dissimulatione tamen pro
tempore vtẽdum arbitratus, Simonem Pheũ
virum solertem, prudentemq; ad eum per
speciem gratulandi mittit, sibiq; aduentum
eius

320 DE BELLO CAMBAICO II.
eius gratum esse, causamq; tanti satellitij probam videri renunciat, seq; nunc auidè expectare, vt desiderata toties familiaritate, iam nunc deinceps multo frequentiq; usu sese explerent. Sopharus hominem magnificè excipit, exceptumq; cum ijs mandatis remittit, vndè nihil præter causas belli affectare videbatur: in fœdere esse scilicet, quod Mamudius cum Prorege Gratiano Noronh percusserat, vt liceret murum excitari ex aduerso arcis, qui iniurias militũ prædiariorum ab oppidanis intercluderet, quò quiescentibus hinc indè offensis, pax bona conseruari posset. Tentantam esse quidem eius muri ædificationè, sed armis Emanuelis Sosæ opus prohibitũ fuisse: nunc cupere se, quod ex fœdere liceret, bona eius gratia absoluere: Sin secus animatus esset, se contra vim arma oppositurum. Ad hæc placere suo Regi, vt liberum sit ius nauigandi, tã in rebus exportandis, quàm aduehendis, & vt cuiq; integrum sit, merces suas deferre quò vellet, neque eiusmodi commeandi auctoritatem à Lusitanis petendam esse: Non enim regem potentissimum eam indignitatem seruitutis ampliùs sustinere posse: scire Lusitanos, quæ vires essent eius imperij, ipsum tamen potiùs per gratiam ab illis petere, quod armis obtinere posset: proindè ne grauarentur amicitia dare, quod necessitati fortassè dādũ esset. Magnificare Regem

COMMENTARIVS I. 321
gem Lusitanos, ac dempta seruitute amaturũ quoque, sociumq; ad omnes necessitates futurum: alioqui ius sibi armis ereptum, armis quæsiturum esse. Viderent igitur, nè, dum iniqua retinent, omnia amittant: se hoste, omnia circumcircà hostilia futura: ipsos esse interclusos hyeme ab omnibus suorum subsidijs, manum exiguam esse intùs in arce. Hæc se denũciare regis sui nomine, se (quod amici est) Mascaregnam admonere, nè bellum perniciosum in se suosq; excitet: vitaret eam flammam, quæ semel exorta, Lusitanicas res in India in cinerem absumat. Quòd si æquæ negentur, deos hominesq; testes facere, se inuitum, ruptis fœderibus, ad bellum cogi: proindè faceret ipsum quamprimùm certiorum, vt quod in manibus esset quamprimùm conficeret. Mascaregnas, ad Sophari postulata, optimum quenq; usu & etate prudentissimum, in cõsiliũ adhibet, de quorum sententia tale responsum per Simonem remittitur: Ea quæ ad innouandas vel mutandas pacis leges spectarent, ad se suamq; cognitionem nihil pertinere: proindè ab ipso ea petenda non esse, ad quæ concedenda nullum ius haberet. Solummodò id imperio Proregis statui posse. quod ipsum pro diuturna cũ Lusitanis consuetudine minimè omnium latere posset; rogare igitur, vt Mamudius legatos super ea re ad Proregem mittat, nec ante respon-

responsum (quum dubium sit, an quod velit impetraturus sit) arma moueat. Pro regem id temporis Goæ agere, neq; longè distare, non longam in medio moram futuram. Quòd ad muri ædificationem pertineret, se mirari, quor cum tãta manu ad hoc negocij à Mamudio sit missus: Posse enim eius rei curam quaestoribus vr̄bis committi, quibus ne ipse quidem suam operam subtracturus esse, modò ijs locis construatur murus, quibus inter Mamudium & Gratianum conuenisset. Quod si designati limites obseruètur, rectè illũ facturum: sin vel duos digitos vltra fundamenta opus promouerit, se non solũ illi, sed ipsi quoque Imperatori Mamudio impedimento futurum. Verũm vt constaret, quanto pe-rè abhorreret à causis belli, fœderibusq; violandis, superesse exemplar scriptarum de pace legum, idq; se nunc ei per Simonem legẽdum mittere. Simon igitur cum istis mandatis in castra venit, antigraphumq; Sopharo in manus offert. Quod quũ ille legisset, statim cum magna animi vultusq; indignatione in plurimas partes discerpfit, Legatumq; contra ius gentium in vinculis asseruari iubet, neq; vltius oppugnationem differẽdã censet: quocircã ad vigesimam primam m̄sis Aprilis, magna vi arcem aggreditur. Diẽs autem arx rupibus & cuneata fronte in litus procurrat, ab vna parte fluuio, ab altera

verò sinu maris alluitur: Reliqua aditum habent ab oppido, quã validissimis aggeribus fossisq; quaquauerſus à fluuio ad mare vsque cingitur. Porrò in fluuij alueo turris munitissima cõsistit, eoq; inexpugnabilior, quòd nisi summo & incitatissimo maris ætu adiri nequeat, tum enim tenues vndas ad arcem perferri: Difficultatem loci ea quoque parte bombardæ adiuuant, quæ hostilem classem aduentantem, facilè crebris iaculationibus deprimant. Ex alio verò latere, limoso solo & humili aqua circũcingitur, vt neq; pedibus neque nauiculis, immò ne lembis quidẽ possit adiri. Inter medium arcis turrisq; spatium solum modò nauigationibus idoneum est, sed obnoxium vtriusq; munitionis bombardis.

Ab ea igitur parte, qua demonstrauius arcem ad oppidũ respicere, & perpetuo dorso continuari, quæ sola obsidioni opportunior videtur, summa vi Sopharus oppugnationem tentat, ac in tumulo arci vicino, (ex quo maxima ipsius pars arcis cõspicitur) ex cõgestu aceruisq; lapidum, sine calce vallum miræ crassitudinis erexit, & ad imas operis radices, apertis inibi fenestris relictis, bõbardas apposuit, supernè propugnaculum istud corona pinnarum amplexus est, iustoq; presidio protinũ instruxit, & vt tutum ab iniuria nostrorum iaculorum asseruaret, gossipinis



pinis sarcinis vndecunq; muniuit. Quo opere ingenti festinatione intra vnam noctem confecto, albente iam in diem cælo, arcem omni genere telorum oppugnare cœperunt.

Dum hæc aguntur, Ioannes Mascaregnas seruos, mulieres, ac pueros, militari operæ inutiles, nauibus quorundam mercatorum Lusitanorum, Bazainam & Chaulium euntibus, auhendos tradidit. Naues ite duas (quas Indi Catures vocant) summa celeritate armari iussit, vt oram maritimam legentes, hostes commeatu prohiberent. Quæ mandata impigrè facientes, ob nauigatis littoribus, nõ longo deinde temporis spatio reuersæ, etiam in hostium oculis quatuordecim naues, mercibus & commeatu onustas, intercipiunt. Quo, factum est, vt iniquiore multò annona aduersarij vterentur. Et vt res suo ordine, certisq; functionibus ageretur: arcis stationes Mascaregnas hoc pacto distribuendas existimauit. Ioannem Almeidam turri & propugnaculo diui Iacobi (quod in superiori oppugnatione, crebris Turcarum iaculationibus corruerat) tutorem assignauit: Loduicum Sosam, turri D. Thomæ: Aegidium Cottinium, turri D. Ioannis: Antonium Pezannam, turri D. Georgij, quæ supra nouam arcis portam sita est: Ioannem Verzeanum, mesopyrgio minori: Alphonsum Bonifacium, turri, quæ D. Iacobi propugnaculo imminet:

minet: Antonium Rodericum regium quæstorem, mesopyrgio maiori: Antonium Fregium legatum, turri supra veterem portam sitæ: Singulis fermè istorum, ad stationum custodiam, viginti traditi milites sunt. Nam tunc temporis arci maiores defuere copiarum, & militum inopia summoperè laborabatur. Præfecti autem isti, ea quæ ad arcis, suarumq; turrium defensionem pertinere existimabant, summa cura & studio pro virili die noctuq; faciebant. Eodem tempore paulò supra illud vallam, quod hostes excitauerant, non minori firmitudine aliud quoque versus mare excitârunt, cui etiam aliud simile adijcitur: eoque flexu anfractuq; murus deducitur, vt opus magis labyrinthicum, quàm alterius generis esse videretur. Idq; eò factum est, vt septis illis flexuosis à nostrorum telorum iniurijs protegerentur. Et quâquam nostri hostium conatus omni perseuerantia contentioneque impedire contendissent, nihilominus eo muro curuo sinuosoque progressi ad manus iactum, proximè arcis mœnia consistunt.

Indè ex congestis lapidibus aliud opus cõficiunt, tredecim pedum crassitudine, sed à tergo validissimo aggere suffultum, quod à ripa ad ipsum littus deducunt, castellisq; cõmuniunt. Indè (vt loci natura ferebat) ex castello in castellum cõtinuatis munitiõibus,

arx penitus vallo circumdatur, in iisdemq; castellis omne telorum bombardarumq; genus imponitur. Itaque opere finito, acrius solito arcem sæpè tentabāt. Interea Mamudius Regio comitatu stipatus, ciuitatē (operis visendi gratia) ingressus est. Dum hæc ab vtraque parte agebantur, per exploratores certior fit Mascaregnas, decreuisse Sopharū, turrim, q̄ nostri in fluuio, vt demonstrauius, sitam habent, inuadere: collectis ad id ratibus, vnā cū naue oneraria perquam magna, cuiusdam sectæ Mahometanæ mercatoris, quā in portu ad eos vsus retinuerat. In qua tabulatū eius altitudinis, quòd turris supremum tabulatum æquare posset, extruere curauit, quod circumquaque pluteis (vt nostrorum iacula repelleret) sic confirmauit, vt nisi summa ope expugnari posset. Re cognita, Mascaregnas Iacobo Lacteo, quem nauibus illis duabus, quarum antea meminimus, præfecerat, negocium committit. Is maximo silentio, tacitoque remigio oppidum versus naues suas noctu eduxit. Verum antea quàm immineret onerariæ naui, quam incēdio delere proposuerat, aquarum strepitu & murmure, quem remi excitabāt, cauere nō potuit, quin insidias suas excubitores hostiū perciperent. Quare clamore sublato, totus exercitus in armis profiliuit. Id quū à nostris esset animaduersum, celeri cursu in nauem impres-

sionem

sionem faciunt, ignemq; iniiciunt. Sed quum incendiū ex voto non succederet, & hostes impetum in nostram classem facere conarētur, viginti circiter milites ex nostris hostiū nauem cōscendūt, funibusq; ancorarijs præcisīs, remulco, vno solo milite læso, nauem ipsam ereptam (hostib. contrā nitentib.) ante arcem deducunt, ibiq; igne iniecto, penitus absumunt. Quæ res Sophari animum nō parūm fregit. Nam proposuerat eam turrim antea capere, vti facilius arcem, loci eius comoditate adiutus, expugnaret. Neque sanè temere eius rei concepta spes, quoniam capta turri illa, subsidiariæ nostræ naues ad arcem appellere, non nisi cum summo discrimine & labore valuissent. Hæc ea nocte, quæ diem Paschæ Seruatoris nostri præcedit, acta fuere. Nostri igitur, dum de redempto humano genere salutiferum diem, & iam de hostium clade lætum festiuumq; miris gaudijs ouationibusque celebrauere, Ipe omnino erecti sunt, tanquàm in cæteris quoq; victores futuri. Quum igitur negocium in eo statu esset, & perseueranter hostes in arcem impetū facerent, idque non sine vtrorūque clade, ob tormentorum assiduam iaculationem, & hyeme instante nostri de subsidio fermè desperarēt, decima octaua Maij, Proregis filius natus minor Ferdināus Castrius, cū octo minorib. lōgis nauibus, (incolæ Catures vocāt)

diffi-

difficilioribus vsus tempestatibus, ante portum apparuit. Nauium præfecti, Georgius Vascogoncellus, cui duas ex eo genere nauium Prorex ad littus Cambaicum explorandum commiserat, Frásciscus Almeida, Petrus Lupius Sofa, Antonius Cugna, Diodocus Siluius, Diodocus Reinosus, cognomento Soto maior. Quibus appulis, frustra se obijciente hoste, per pseudothyron siue clancularium ostiolum, quod in minori brachio muri adapertum fuit, nullo accepto damno, læti in arcem, cum ingenti omnium gaudio, recipiuntur. Post quorum aduentum, militem iubet Mascaregnas recenseri. Inuenti sunt fermè quadringenti quinquaginta, omnes ferè illustri loco nati, manu strenui, & ad vsus bellicos satis commodè instructi. Pro copia igitur auxiliorum, plures stationarios singulis locis deputat, omnibusq; quid agendum ibi, quæ ratione excubandum esset, exponit. Post Ferdinandi Castrij aduentum, Mamudius & Sopharus naues instruunt, quibus, nè aliud subsidium ad arcem accederet, prohibere nitebantur. Hæ aliquot ex nostris comitum in arcem deportantes, interceperunt: nonnullas etiam fugæ se mandare coegerunt. Verùm huic hostili classi, ingruente iam atq; ad eò ingrauescente hyeme, necessarium fuit portus obsidionem relinquere, vt subducta in terram, à procellis tuta esset. Superiùs demon-

monstratum est, Mamudium Cambaiæ regem, muro absoluto, turribus vallisque instructo, operis visendi causa in oppidum venisse. De cuius aduentu certior fit Mascaregnas, per captiuum quendam, quem sex milites nostri à Ferdinando Caruallo, præfecto illius turris quæ in fluuio est, ad hostilia castra exploratum missi, in ipsis aggeribus interceperunt, quare ob aduentum regium ingentia signa lætitiæ, bombardarum tonitru, tubarumque classico edita fuere. Rex autem vigesima quinta Iunij, manè ante solis ortu, oppidum ingressus est. Quæ hora tres iustæ magnitudinis testudines, nostri super hostium vallum erectas, dubijs oculis vtcunque animaduertunt, subterq; eas ingentis formæ basiliscos tres, munitiones quoq; ac castella quoque versus ad confligendū, noua ratione composita. Quibus vix, dilucescente crepusculo matutino, plenè cognitis, confestim hostes ad turres diuorum Thomæ, Iacobiq; & ad murum iisdem turribus interiectum, effusissima glandiū iaculatione contendunt. Mascaregnas autem, quum quorsum ij animum applicuissent, animaduertisset: eas turres vnà & murum, intrinsecus aggeribus validis obuestiri curat, turrique diui Thomæ, quam cuniculatim suspicabatur hostem euertere constituisse, transuersis cuniculis, incredibili labore industriaque succurrit, ac ex

330 DE BELLO CAMBAICO II.
ipsa turri, hostiū testudines, basilisci leonisq;
ictibus impetere iussit. Quæ res summum
detrimentū aduersarijs intulit. Veruntamen
ad quinq; dierum spatium, iaculatione hosti
um continua, telorumq; assiduitate concussa
turre Thomæa, tandem finditur, pinnæque
Iacobææ fermè omnes mutilatæ. Neq; id ta-
men sine hostium exigua noxa. Nam qui
turri D. Thomæ præerant, hostium duobus
basiliscis deturbatis, tertium in partes fran-
gunt. Nec id rursus absq; nostrorum pericu-
lo factum, quum nullo intermisso tēpore, in
ipsam turrim tanta globorum copia deuol-
ueretur, vt ex ijs qui stuppam ignitam bom-
bardis admouent, nemo præ metu id ad mu-
neris se præstò exhibere auderet. Neque id
mirum, quum tanta dexteritate hostes ineui-
tabilibus ictibus iacularentur, vt si quem no-
strorum ad bombardarum fenestras intue-
rentur, subito quinque sexue globos rectà
in illum conijcerent. Prætereà tormentum,
quod in sublime globos euomit, (mortariū,
vulgò dicitur) tantæ erat magnitudinis, vt
glandes torqueret octonū in ambitu palmo-
rum. Hoc è regione turris D. Ioānis, loco de-
cliui collocauerunt. Huius impulsu & con-
cussione tantus terror à nostris cōceptus est,
vt quoties globus desuper in arcem irruere
inspiceretur, de se quisque actum esse, ani-
mo præfagiret. Is enim cuius industria nego-
cium

COMMENTARIVS I. 331
cium hoc tractabatur, eius artificij erat, vt
nullum vnquàm iaculum frustra emitteret,
sed omnia introrsum in arcem reciderent.
Quo artifice (vt ex captiui postea scitum est)
ictu bombardico à nostris interempto, ho-
stes in demortui locum, alium sufficiunt, de
cuius opera idem sperabant, sed frustra. Nam
quum arte careret, globi quos in nostros
dirigebat, imperitia mittentis, in ipsorum ca-
stra corruerant. Quo errore imperitiaque
mittentis, ex suis tribus occisis, à mortarij
iaculatione in tōtum supersederunt. Præter
hæc omnia hostes duas testudines nouo rur-
sus labore, è regionè turris D. Ioannis, quæ
cæteris angustior infirmiorque erat, excita-
uerunt, à qua ad Iacobæam vique, totius bel-
li vires applicare constituerant. Quibus sin-
gulis singulos basiliscos, ac alias item machi-
nas bellicas accommodat eo numero, quem
necessitas ipsa requirere videbatur. Itaque
opere constructo, eodem die acriter vl-
tro citroque prælio dimicatum est. Inter
pugnandum, globus ex arce emissus, iuxta
pedes regis Mamudij, quendam eius cogna-
tum occidit. Quare territus rex, vndecimò
ab aduentu suo die, castra deseruit, ad Ma-
dabam regiã ciuitatē se cōferens: inde militē
& necessaria exercitui expediturus. Ipse autē
siue timore, siue alia de causa, postea reuerti
noluit.



332 DE BELLO CAMBAICO II.
noluit. Discedes verò, Iuzarcano viro & po-
tenti, & virtute summa, summaq; prudentia
prædito, (cuius consilio & solerti opera tum
in re bellica, tum in rebus alijs plurimis ute-
batur) regiam legionem attribuit, & belli v-
nà cum Sopharo negotium commisit. Post
regis discessum, hostibus adhuc in continuo
labore perseverantibus, globorū assiduitate,
D. Thomæ Ioannisq; turres vnà cum meso-
pyrgio euertuntur. Cuius molis ruderibus
fossa oppletur. In eo vallo (cuius antè memi-
nimus) turris vnde quaque cratibus vimineis
circunsepta, intus oppleta saxis & cespitibus,
(nonnulli frondeas, alijs corbitas vallares ap-
pellant) ab hostib. in sublime educitur. Hanc
iuxta arcis fossam ea erigunt magnitudine &
altitudine, vt liberè, quid intus ageretur, con-
spicerent. Quamobrem nullibi nostris tutò
consistere aut versari licebat. Cui detrimen-
to Mascaregnas vt succurreret, tum quòd ob
fossæ profunditatē cuniculis obrepere, suffo-
dereq; eam non poterat; tum etiam quòd sa-
xa rupesque, in quibus illa arcis pars extructa
est, impediabant: introrsum (vt locus patie-
batur) turriculam ad eam altitudinem ædifi-
cat, qua hostium turrim nostri manualium
bombardarū globis commodè impetebant.
Indè vtranq; turrim nostri qua poterant vir-
tute defendebant. Huic turriculæ Antoni-
um Pezannam curatorem esse voluit, qui sua
anno-

COMMENTARIVS I. 333
annona, suoq; sumptu, quadraginta milites
sibi ad eam custodiam attributos alebat. Sta-
tionem autem, quam antea asseruabat, Ioan-
ni Verzeano commisit. Eo tempore nō pau-
ci desiderati, & permulti in arce vulnerati
fuere. At hostes, quum se interdium non satis
vtiliter manus operi admoliri viderent, no-
ctu quicquid poterant, exstruebant. Quem
eorum successum Mascaregnas, candelabro
ad id ingenti accenso, impediēbat, cuius splē-
dore omnes qui vel vallum aggrediebātur,
vel materiam portabant, cōspicui facti, icti-
bus bombardarum patebant. Intereā loci tu-
mulus ingens, terra, cespite, lapideq; consti-
patus, in templi atrio excitatur, cui basiliscū,
tutelæ alioqui portus destinatum, superim-
ponunt: cuius iaculatione turris cratea in tā-
tūm quassabatur, vt nemo hostium ad eam
accedere ampliùs auderet: veruntamē quum
ipsoꝝ numerus indies augetur, vicit mul-
torum ac integrorum semper recens labor,
paucorum & ex continuo opere exhaustorū
exiguitatē. Itaq; vallo ad ipsam arcis fossam,
quo per gyrum ab vtroq; cornu cingebatur,
absoluto, cuniculis instar musculorum, quos
palmarum truncis frondibusque argilla per-
mixtis desuper contegebant, nè à flamma v-
rerentur, ad fossæ crepidinem perueniunt.
Cui operi per sexaginta dies summo studio
& labore hostes incubuere. Eoque vigesima

Iunij



lunij finito pro voto, cuniculatim ad fossam pertingebant. Indè ex asseribus appèsis canales deriuant, quos ne nostri bombardis saxif- uè dissiparent, tignis duplicatis corijsque cõ- textis integunt. Qua contignatione inoffen- se die noctuque rudera, lapides, & omnis so- luta materies in mediam fossam, turrib. Di- uorum Thomæ, & Ioannis interiectam, de- fluebat: idq; ea arte, vti nostri præter effluẽ- tem materiam, neminem ibi conspicerè pos- sent. Quin neq; ij qui fossam ipsam opplebãt, quenquã infernè superneue videre poterãt. Intermedijs istis tẽporibus, noctu assidue ex- stationib. hostiũ atroces iniuriæ verborum nostros prouocabant, ignauiam illis obijciẽ- tes, quur, si strenui fortesq; milites sint, con- clusi, tanq; pecora inter munitionũ septate- neãtur, idq; ad imperiũ imbellis ignauiq; du- cis? Nã Antonium à Silueyra, si eiusmodi mi- litibus, tamq; rei militaris ex tã lõga assuetu- dine bellorum peritis, præfuisset, nunquam passurũ fuisse, quin aperto & libero Marte, singulis contra singulos dimicantibus, suam quenq; virtutem ostendere permitisset. Cõ- trà, sub hoc duce, superiore arcis oppugnatio- ne nullum egregium specimen à quoquam ipsorum præbitum esse: conclusos tantũ mu- rorũ obicib. quicquid egerint, ex insidijs do- losè, non vera virtute, egisse. Quousq; tandẽ imbellem hunc ducem pateretur? Quas ver- borum

borum iniurias Mascaregnas prudẽter diffi- mulanterq; ferebat, suorũ militũ raritatem, & quorsum hostes tẽderet, facilè cognoscẽs. Attamen nè prorsus responso carerent, in eã partem, qua voces audiebantur, missilia om- nis generis quocunq; euẽtu dirigi iubebat. Erat in imo arcis vestigio posticum secretũ, iussu Diodocij Lupi Sosẽ iam pridem cõstru- ctum, ex quo ad fossam latentes aditus ape- riebãtur, id sub ruderibus tanquã inutile, ob- rutum obtectumque iacebat. Hoc nõ segni- ter Mascaregnas purgari & refodi imperat, foribus postibusq; robustissimis communi- ens. Indè materiam collapsam, quo poterat silentio, furtim subripiebat: atque ita hostiũ per totas noctes continuum laborem, sola diurna opera frustrabatur. Qui cùm in fos- sam respicere nec possent, nec auderent, bo- lide per canalem demissa, cumulum explo- rabant, cuius eminentior pars fermè iam ad canalis ora peruenerat. Hoc cumuli fastigiũ, summa diligẽtia, nè corrueret, Mascaregnas prouidebat, nè furtum suum palàm fieret, vti hostes eo labore impediti, nullas alias ra- tiones oppugnandi tẽtarent, tantũ astu co- natus ipsorum eludens, rudera ex tumuli ba- se suffurabatur. Quæ quum multorum stu- dio & labore agerentur, assiduitate abspor- tãdi fodiendique, fieri nõ potuit, quin ipsius cumuli fastigium sensim collaberetur. Ob id factum,

336 DE BELLO CAMBAICO II.
factum, quum ab hostib. bolis postea demissa esset, & funis quo appendebatur, latius solito sese distenderet: animaduenterunt se tandem miserè frustrari. Quare attoniti, cumulum oculis (omni periculo posthabito) contemplari constituunt. Ibi nostros in ipsa fossa occupatos vident, visosq; protinùs telis de super incessunt. Vbi inter alios Antonius Frærius legatus, iaculis confossus, occubuit. Acerrimè igitur vtrinque, donec nox superueniens conflictum dirimeret, ad fossam dimicatum est. Senescente sub tenebras pugna, secundum posticum Mascaregnas lapideum musculum vsque ad rudera per noctem producit, quem trabibus asseribusq; de super impositis, terraq; accumulatis, ea ratione firmavit, vt tutò reliquam in fossa materiam inde aueherent. Itaq; vnus noctis instanti opera, laboreq; continuo, munitiõne illa absoluta, quum manè ab hostium excubitoribus cerneretur, rei nouitate turbati, ad Sopharum concurrunt, remq; ei omnem aperiunt. Ille stupefactus, nostrorumque pertinacia solertiaque admirabiliter attonitus, se cum omni celeritate ad stationes proripit. Ibiq; vt rem oculis cõtemplaretur, capite (vt postea compertum est) super manum dexteram reclinato, extra murum gutture tenus emicuit. Stupefactus deindè, & desperatione æger, sui que immemor, dùm longius quam sibi expediebat,

COMMENTARIVS I. 337
bat, deliberabundus subsistit, bõbardæ globus fortè fortuna ex arce demissus ipsius manum integram vnà cū sincipite raptim abstulit, ipse verò subito ex vallo mortuus concidit. Cuius mors, vti suis funebris & calamitosa, sic nostris perquam optabilis fuit. Erat enim Sopharus (vt si quis alius) prudens, sagax, cautus, vafer, rerum gerendarum peritissimus, militaribus verò stratagematis nemini suo tempore cedens. His naturæ dotibus, infestissimum in nos odium coniunxerat, viresq; suas quotidie augebat, quum eum intelligerent vero animo, deserta religione Christiana, ad Mahumetum defecisse. Nec dubium, quin si diuturnior ei vita contigisset, nobis victoriam difficiliorem impeditioremque fecisset.

Y

DAMIA-



DAMIANA
GOES EQVITIS LVSITA-
NI, DE BELLO CAMBAICO
 SECUNDO COMMEN-
 TARIVS SECVNDVS.



Oio Sopharo interfecto, aliquot diebus lāgidiū hostes in opere versabātur. Variæ enim sententiæ militem distinebant. Nā pars castra mouenda sentiebat, nec temerè amplius bello pernicioso incumbendum esse iudicabat. Alij verò de ducis electione hæsitabant, nec Rumecano Sophari filio parendum arbitrabantur: Cæteri regis voluntatem suffragiumque expectandum censebant, vt quem ipse vellet, ducem constituerent. In quam sententiam tandem est itum. Itaque protinūs ad regem hac de re nunciij dimittuntur, eoq; iubente, Rumecanus præpositus exercitui, & belli imperator pronunciat. Qui celeriter, summaq; diligentia & continenti labore, quinque subterraneos musculos fodit, quos in eam partem, ex qua nostri per posticum (vt demonstratum est) de fossa rudera furabantur, nouo fabricandi ordine ac ratione dirigebat. Sed quum per vim tormentorum, opus à nostris impediretur, eximijs palmarum truncis

ad

ad ruinas illius turris (quam crateam vocauimus) duas ligneas turres tænijs intertextas cū tabulatis extruxit, quibus testudines binas apposuit, & sub testudinib. singulis singulos basiliscos collocauit, quorū iaculis deurbatis nostris, hostes ex aduerso postici ad labra marginesq; fossæ penetrârunt. Eò quū ventū esset, super musculum, per quem nostri materie in fossam deiectam subripere cōsueuerāt, tantā lapidū saxorumq; vim prouoluunt, vt penitus musculi cōpages dissolueretur. Quo labente, territi nostri, saucijq; nonnulli, pedem referre coacti sunt. Hostes indè liberius, fossa superata, omnem ruderum lapidūq; colluuiem in eam proijciebant. Itaq; negotio multorum, laboreq; assiduo, semper manu maiore ad opus confluente, posticum omninò obrutū sepelitur. Quo obstructo, quum nostris amplius vsui non esset, maiore hostes vsi libertate, fossam rudere adimplebant. Eo ipso tempore, quum permulti ex nostris, vulneribus egritudinibusq; affligerentur, & non pauci morte confecti essent, Mascaregnæ aliam celocem expedire necessarium visum fuit, cui Ioannem Cælium arcis sacerdotē præfecit, eiq; literas ad Proregē & Præfectos præsidiorū Baziani Chaulijq; dedit, quibus subsidiarias copias omni celeritate mittendas esse indicabat. Alioqui, si festinationē adhibere desisterēt, nostro Indico impe-

Y 2

rio

340 DE BELLO CAMBAICO II.
rio summum periculū imminere. Hostium
enim numerum indies augefcere. Eodē ipfo
tempore, quo naus illa cum nuncijs euecta
est, quatuor millia felectorum regis Camba-
iæ militum in castra venere. Quorum adue-
tu læta festiuaq; ibi omnia, & hominū tym-
panorumq; strepitu vndique personare, co-
piasq; illas (quali recenserent) sub oculis no-
stris in acie disponere, ac tandem agmine cō-
posito circū munitioes immani clamore
ac barbaro, quasi si victoriam in manib. cer-
tam haberent, ad arcem contendere. Sed ic-
tus tormentorum pessimè accepti, impetum
temerarium represserunt. Interea dum ista
fiūt, ab incepto opere nihil remissum est, sed
continuo labore illam fossæ partem, quæ ad
turrim D. Ioannis pertingit, (quam diximus
Aegidio Cotinio commissam esse) lapide, ru-
dere, omniq; materia complere, atque iuxta
Thomæam turrim malos eius altitudinis e-
rigere, vt cacumina eorum nostras munitio-
nes excederent, ijsq; malis asseres scandulas-
que loco scalarum ex aduerso clauis affige-
bant, atque ita sursum ascendere conati. No-
stri verò ignibus & acri pugna illis occurre-
re. At hostes cōtrà, harpagonibus materiam
valli nostri diripere, magnoque periculi cō-
temptu scalas complere. Contra istam hosti-
lem pertinaciam, nostri aliam rationem de-
fensionis instituūt. Fasces ligneos caudicales
ferro

COMMENTARIVS II. 341
ferro cōnexos, catenisq; colligatos, commi-
xta interiūs pice, resinaq;, aliaq; omni mate-
ria, quæ ignem facilè corripit, & diutiūs alit,
alios super alios supernè iniiciebant, ijsque
ignibus permultos ex hostibus combussere.
Quod tametsi sæpiūs hostes fieri viderent, e-
què tamen in labore persistentes, pro nihilo
nostrorum conatus facere: reiectoq; timore,
suos qui ibi aut ic-
tus, aut deusti cadebant, de
fossa deducere; alios protinūs in demortuo-
rum locum sufficere. Et quoniam opus mul-
torum subsidium requirebat, oppidanos mu-
lieresq; etiam ad id negocium cogere, mate-
riamque ad fossam comportare. Quæ opera-
rum continenti labore, (nam numerus qua-
draginta millia excedebat) tumulum ex ter-
ra palis ligonibusque eo studio inuehunt, vt
quanquam ex arce persæpè globis hastisque
impeterentur, tamen istiusmodi cladibus ab
incepto deterri nequiverint. Itaq; post id
temporis per supremā musculorum partem
lignas testudines duplicibus elephantorum
corijs conglutinatas promouent, super quas
(quum iam ex materia, quam hostes accumu-
lauerant, prorectæ essent) per tumulum, quò
demonstrauimus palis deportatum esse, alia
meant testudines, quibus defensi, ex fossæ la-
bro in murum concurrere satis commodè
valebant. Cui insuper operi à lateribus duos
hinc inde fortissimos pluteos instar parietū

Y 3

obij-

obijciunt, quorū munitione iacula ac cætera
missilia turrium Diuorū Ioānis Thomæque
cohibebātur. Quotēpore tā assiduè exhostiū
munitionib. iaculatum est, vt nostri tum ob
incredibiles labores, tum propter immensas
vigilias, resistere nulla amplius ratione pos-
sent. Sed antea quam hi plutei excitarentur,
Mascaregnas suspicione permotus, hostes
cuniculatim velle ambas has turres subuerte-
re, transfuersis cuniculis periculū rei anteuer-
tit. Hostes deniq; quum propinqui sub mœ-
nibus agerent, ad propugnaculum D. Ioānis,
specum inter durissimas rupes malleis exci-
dunt, per quem deni pariter viri non incom-
modè ingredi valebant. Priori Commenta-
rio diximus, Mascaregnam inter duas prædi-
ctas turres interiūs aliam subsidiariam con-
struxisse, ex qua quadraginta milites telis spi-
culisq; commodè ambabus succurrere pos-
sent, atq; huius custodiā Antonio Pezāne tra-
didisse, & ea que illi priūs cōmissa fuerāt, Ioā-
ni Verzeano cōcredita esse. Nā is suis militi-
bus, quos adhuc integros fermè omnes habe-
bat, & turri illi, & minori mesopyrgio sub-
uenire poterat. His ergò itā in suis stationib.
manere iussis, Antonium Rodericū quæsto-
rem Ferdinando Castrio, qui infirmiorē ar-
cis partē tutandam susceperat, locium adiun-
xit, vt simul vigilias & hostium impetum a-
lacriūs sufferrent. Hostes verò nouo astu, &

muro

muro (vt diximus) dirupto, arcem segniūs
solito infestabant. Senescente igitur in ea
parte hostili contentione, noctu Simonem
Phæum haftenūs in vinculis habitum, ad
munitiones nostras producunt, qui alta vo-
ce Rumecani nomine rerum statū, & quā
proximi cladi essent, declararet. Quapropter
si dedere se vellent, & arcem sine sanguine
inoffensè tradere, Rumecanum omnibus li-
berum exitū com meatumq; permissurum:
Naues etiam (si nobis eius rei penuria esset)
bona fide daturum: Sin secūs animati essent,
esse in proximo omnium interitū: eligerent,
vttram partem mallent. Quòd si belli potiūs
quàm pacis, fortunā approbarent, se sequen-
ti die arcem, omnibus collatis copijs, inuasū-
rum. At Mascaregnas his auditis, eum sta-
tim discedere iubet, & in comites deducto-
resq;, si pedem referre nollēt, omnes bōbar-
das sese exoneraturum minatur. Diceret igi-
tur Rumecano, ipsius aduentum assultumq;
quocunque in tempore optatū expectatūq;
fore. Hoc sermone habito, omnia hostes tor-
mentorū globis cōplere: quorum impro-
uisis ictibus, duo de nostris (qui, vt Simonem
Phæum rectiūs audirēt, murum ascenderāt)
interempti sunt. Itaque hostes nullo tempo-
re remissa contētione, decimanona Iulij sub
occasum solis, arcis muros, quos penitus suf-
foderāt, denuò impetūt, idq; tāta animi præ-

Y 4

sentia

344 DE BELLO CAMBAICO II.
sentia & obstinatione, vt nostros de salute
sua propemodum in desperationem addu-
xerint. Sed ope & opera Ferdinandi Castrij,
illi qui murum conscenderant, erant autem
numero triginta, omnes viri nobiles, vt ex
habitu apparuit, interfecti sunt. Quod vidē-
tes hi qui istos sequebantur, morte ruinaque
suorum consternati, ab oppugnatione refu-
giunt. Qui tametsi sepè à mœnibus reiecti es-
sent, magnis acceptis calamitatibus, nihilò
tamen minùs tempus, quod oppugnationi i-
doneum existimarent, remittebant, sed cō-
tinuo labore opus illud (quo cōfecto, arcem
omniū simul impetu aggredi proposuerant)
absoluebant. Eo itaq; pro ipsorum arbitrato
finito, fossaque sic ad votum exæquata, adeò
vt nullo negotio ex munitionibus in muros
rectà pergere liceret, per omnia oppidi pha-
na noctū sacra faciunt, seq; suamq; vitā Ma-
humeto ad omnia pericula deuouent, deie-
rantq; se, nisi capta arce, redituros non esse.
In his sacrificijs, vti ex voto litarēt, per sum-
mam religionem copiosè luminaria per vi-
cos omnes & compita incenderūt. Quo igni-
um splendore Ferdinandus Caruallus turris
illius Præfectus, quā in fluuij alueo habemus,
quum homines cateruatim ad templa con-
cursare animaduertisset, rei nouitate permo-
tus, ad Mascaregnā eodem momento scapha
clanculūm traiecit. Qui, recognita, omnes
admonet,

COMMENTARIVS II. 345
admonet, præsentique vt sint animo, adhor-
tatur. Vigiliis distribuit, eosq; tota nocte in
armis esse iubet. Ea nox D. Iacobi vigilijs sa-
cra erat. Sequenti igitur die, quæ fausta ac be-
nè ominata hominib. Hispanis erat, propter
Hispaniarum patronum D. Iacobum Apo-
stolum, duabus horis ante luciferi exortum
mœnia inuaduntur, impetusque ab hostibus
in arcem fit, quapropter protinùs signo da-
to, ad muros concurritur, D. Iacobum per
summam alacritatem multa acclamatione
celebrantes. Ibiq; maximo armorum stre-
pitu & acri pugna dimicatio incenditur, in
qua Ludouicus Sosa iuuenis strenuus, Tho-
mæ turris Præfectus, aliquot de suis militi-
bus impigrè pugnantes amisit: nam illum lo-
cum omnibus rationibus expugnare decre-
uerant aduersarij. Sed iuuenis tum maiorum
suorum exemplis, tum generosa suamet in-
dole erectus, locum inter summa pericula
cædesque promiscuas, magna animi præsen-
tia, vitæ sanguinisque contemptu defendit.
Intereà loci, quum Mascaregnam, vt omni-
bus locis succurreret, rei necessitas huc illuc
versaret, vigiles qui ad maritimum arcis la-
tus excubabant, quum loco ob scopulorum
asperitatem minùs timerent, relicta custo-
dia (vt dimicantibus interessent) ad prælij lo-
cum sese conferunt. Quo tempore, siue casu,
siue quòd solitudinem animaduertērāt, quū
æstus

estus defluuium, mareq; decrescens hostibus commode inseruiret, qui vbique locorum excubabant, Iuzarcani milites selectiores numero sexaginta, in scopulis tacite positis scalis, rupem conscendunt, iisdemq; sursum in murum translatis, omni silentio profiliunt. Quos quum duo milites qui per arcem concursabant, splendore ignis conspicerent, protinus ad Mascaregnam procurrunt, que vnico puero signum anteferente comitatum reperiunt, eiq; alta trepidaq; voce arcem ad litoralem partem ab hostibus occupari vociferantur. Quibus silentio imposito, ne re cognita qui prelio aderant, animo deicerentur, ad eum locum quem hostes occuparant, sese proripuit: ex iisque qui nuncium attulerant, alterum socium assumpsit, alteri imperat, ut omnes quos in arcis plateis inueniret, ad se remitteret. Itaq; quum ad occupatum locum ventum esset, hostes ad sexaginta intramœnia depræhendit. Quos vix discernere licuisset, nisi globi & amphoræ ignitæ, quæ vltro citroque ad aliud arcis latus iaciebantur, splendorem aliquem præbuisent. Iam eorum ferme viginti supra domorum tecta conscenderant, ibique duobus militaribus signis erectis assidebant. Cæteri verò domos ingressi, quicquid obuium erat, diripiebant, cumque mulierculis animo consternatis (quasi iam rerum potiti) minaciter colloquentes,

tes, pecunias exigebant. Quarum nonnullæ virilem animum ex necessitate induentes, correptis in manus hastis, iam non muliebriter eos extra tecta pellere contendebant. Mascaregnas autem nonnullis militibus iam stipatus, in hostes impressionem facere, omnesq; qui tecta conscenderant, humi detrudere: Illi contra, coacta manu, acriter pugnare: tandem plurimis interfectis, vno viuo capto, demcenibus sese præcipites dare, sed scopulis acutis, præruptisq; saxorum inter cadendum excepti, omnes miserè dilaceratis membris interiére. Hac re antediei crepusculum gesta, protinus se Mascaregnas ad stationes cõtulit, inibiq; quum iam ad nostros victoria inclinaret, sed præ lassitudine languidius aliquanto agerét, novos illis spiritus sua oratione iniecit. Quare prelio redintegrato, pugna denuò recrudescere cœpit. Tandem hostes, remissiùs solito resistentes, receptui canunt. Sed quum lucefcete die suorum cladem oculis discernent, quorum permulta cadauera, truncata & miserè lacerata, in fossa iacebant: dolore & ira perciti, tanquam vesani furentesq;, denuò in nostros inuolât, eodemq; quo cœperant impetu, ad quartam diei horam dimicatû fuit. Sed tandem nostri ad plenum victores euaserunt, quanquam nõ sine multo suorû sanguine. Nec solum viris ea victoria, verum etiam muliebri audacię attributa fuit: Nam inter eas matronas,

nas, quæ militibus ad stationes (oppugnatione durante) necessaria apportabant, nō pauca inuentæ sunt, quæ sagittis alijsq; missilib. læsæ, tragulas & spicula propria manu euellerent, ac vulneribus obligatis, cruentæ etiānum, ad eadem munia quasi integræ intactæq; recurrerent. Hoc certamine circiter mille hostium, præter vulneratos, cecidisse constat. Inter quos etiam occubuit Iuzarcanus dux. In cuius locum fratrem eius natu minorem, Mamudius gratitudinis & liberalitatis ergò, suffecit, eiusdemq; dignitatis nomen ac titulum attribuit, vt Iuzarcanus vocaretur, Marchionem ipsorum linguâ significante hoc vocabulo: omnem insuper fratris ditionem ei concessit. Ex nostris autem saucij quam plurimi fuere, desiderati septem tantum, quos Mascaregnas tubarum clangore, fonituq; tympanorum, necnō hominum cantu, festâ solemnitate potiùsquam lugubri mœstitie in templum deportari sepeliriq; curauit: partim, quòd de religione Christiana ita meruerāt, vt mors illorum in conspectu Domini preciosa, epinicia, & martyrum hymnos potiùs, quam lugubres exequias & tristes nēnias requirere videretur: partim, vt militum animos erigeret ista in tam arctis rebus alacritate, & in mortuos gratitudine. Simul vt intelligeret hostis, rem sibi cū hominibus esse, qui non modò suorum mortibus

bus animo non conciderent, verum etiam mortem huiuscemodi, charam optatamque haberent. Secunda ab hoc prælio die, pomeridiano tempore, hostes iterum ab illa ipsa parte, quam antea oppugnaverant, arcem inuadunt: sed alacriter obstantibus Ferdinando Castrio & Ludouico Sofa, non absq; nostrorum tamen iactura & sanguine, repulsi fuere: qui etiam supra trecetos de suis, quum de loco recederent, vulneribus confossos, mortuosque reliquerunt. In istis angustijs quū nostri de subsidij mora admodum quererentur, quarto Calendas Augusti, celox quâ Mascaregnas Cælium sacerdotem Bazainum & Chaulium suppetias petitum emiserrat, arcis æstuarium penetrauit, atq; per nouem strenuos milites qui in ea venerant, intellectum est, literas quas ad Proregem scripserat Mascaregnas, omni sedulitate per certum nuncium Goam esse transmissas. Huius celocis aduentu, quum hostes id quod erat suspicarentur, nimirum, subsidium breui expectari: celeritate vtendum esse, ante aduentum nouarum copiarum, iudicauerunt. Quare sequenti die circa meridiem, quum nostri à continuis laboribus interquiescerent, & qui in excubijs erant, minus cautè stationib. inuigilarent, hostes de improviso in arcem incursionem faciunt, mœniaq; tanta celeritate ac promptitudine conscendunt, vt nostri,

ferè

ferè perterritis omnibus, finem totius belli adesse existimarent. Sed Franciscus Almeida cui excubias agendi cura ad Thomæā turrim obuenerat, non amplius quàm viginti quinque militibus succinctus, impetum hostium viriliter admodum sustinuit. Tandem nostris accurretibus, tam atrociter tribus aut eò plus horis pugnatum fuit, vt nūquam antea atrocius. Tandem supra octingentos ex hostibus iugulatis, receptui Rumecanus dux summi in eo exercitu imperij, canere iubet, atq; insigni hac accepta clade, in castra se recepit. De nostris verò aliquot interfecti sunt, vulnerati & igne ambusti non pauci. Hoc tempore omni victus genere nostri angustè admodum utebantur, præsertim carniū, quarum tāta erat inopia, vt gallina vna in ægrotantium dietam, decem aureis ducatis venundaretur. Eodem ipso tempore, Mamudius certior factus, quàm sinistram sui in omnib. oppugnationibus fortunā habuerant, Moiatecanum, qui à se primū dignitatis locum in regno Cabaico obtinebat, cum quatuordecim millibus selectorum militum Diū mittit. Post cuius aduentum, hostes consilio inter se habito, cuniculis omni materia incendiaria repletis, arcē funditus euertere statuerunt. Sed summa & vis cōsiliij in hoc erat, ne nostri quid ab ipsis ageretur, persentiscerent. Ergò in Thomæā turrim, & in alterā D. Ioannis, quæ
 ultra

ultra veterē fossam producta, hostium munitioib. erat vicinior, cuniculos agere cœperunt. Et vt nostros res ea lateret, hoc astu & stratagemate sunt vsi: latomorū multitudinē sub telludinib. ad frontē eius ppugnaculi agūt, vt fundamēta murorū cōtinuò indefatigabiliq; labore excauarent, strepituq; maximo agerēt, malleorumq; fragorem, stridorēque ferramentorum summum ederent, nimirum vt nostrū militē ista fallaci specie circūuenirent. Existimabant enim, nostros, quum eam rem tantis studijs agi viderent, eò omnes cōcururos, animosq; ab dissimulata oppugnatione verisq; periculis ad inanē ostētationē discriminis auersuros esse. Nec eos sua fefellit ratio. Nostri. n. hostilis consilij ignari, eos qui turrim à frōte malleis acutis pscindebant, qua poterāt vi proturbabāt: sed quum ea defensio, summa pertinacia & clamore vndique ageretur, factum est, vt per summū strepitū obtuso auditu, quæ infernè agebantur, nec audire, nec percipere nostris licuerit. Itaque quū pro voto ab hostibus cuniculi acti essent, decima Augusti, qua die D. Laurentij martyriū, Christi Ecclesia celebrare cōsuevit, hostes tubarum clāgore tympanorūque vehemēti sonitu sese mutuò adhortātes, agmine composito, signis militaribus præcedentibus, in arcis mœnia prorumpūt, ac vehementiūs solito, globos amphorasque
 igneas

igneas intrò proijciunt. Nostri verò ad oppugnatum locum protinùs concurrunt. Ibi quum tã diù pugnatum esset, quò ad animaduertenterent hostes, penè potiorem militum partem ad mœnia cõuenisse, simulato timore, receptui canunt, ac de fossa & mœnibus in castra se recipiunt. Qua festinata fuga, vt inueta, & si malleorù antea facta de industria concussio, fragorq; ferramentorum ostendisset, potius hostes viam latiore in arcem aperire velle, discussis mœnibus, quàm cuniculis denuò aditus tentare, quũ id paulo antea ad Thomæam turrin infeliciter tetauerant, vbi cuniculi eorum transuersis cuniculis excepti subrutiq; à nostris erant: Mascaregnas tamen suspicione adductus, Lusitanis qui super Thomææ turris testudinem consistebãt, (ad cuius radicem ipse dux defatigatus adsidebat) imperat, vt nulla vsi mora, inde vniuersi abscedant, ac expedito nuncio eos qui supra muros turris Diui Ioannis agebãt, monet, vti protinùs se de loco amoueant, suspicari se, novos cuniculos esse instructos, quibus ignem iniicere confestim hostibus propositum sit. Qui dicto non audiètes, sed prudentissimi ducis sprete monitione, conclamant plus sibi animi, maiorem rei militaris experientiam esse, quàm illi, qui per summum timorem eos ad discessum hortantur. Itaque quum detestabilis temeritas eos

cuncta-

cunctabũdos exitiabili mora implicaret, hostes ignem in eo loco vbi cratea turris constructa fuerat, pulueri tormentario imponunt. Qui recto tramite, sicut dispositus erat, viam relegens ad cuniculos, quum fauces intimas penetrãssset, vbi omnis incendiaria materia recondebatur, vniuersam fabricæ molem vno momento dirupit, ac per summam vim, ipsam Diui Ioannis turrin integram ab ipsis fundamentis in altum proripuit, ac omnes quosibi infausta fortuna retinuerat, in sublime elatos, tanquàm minutulos filices disiecit. Quo miserrimo euentu circiter septuaginta strenui milites interière, quorum pars in fossam, pars in hostium stationes, fermè omnes fracti dilaceratiq; ceciderunt. Insuper ij, quos infelix casus in hostium castra integro corpore traiecerat, quanquàm igne scedati omnino, & exanimis vitæ incommodis cessissent, minutissimè tamen ab hostium gladijs hastarumque mucronibus, tanquàm eam pœnam sensuri essent, dissecti fuère. Hoc horrendo spectaculo, illud memoria dignum visum est, illis quos pulueris & ignis vis in aërem expulerat, hastas clypeosque non antea de manibus defluxisse, quàm deficiente, ac omninò euanescente anima, cadauera ipsa deorsum præcipitata relaberentur. ex ijs porro qui super turrin in hac calamitate constiterãt, viginti

Z tantum

tantum ignibus ambusti, viui remanserunt. Notos equites Lusitanos desideratos esse constat, Ferdinadum Castrium Proregis filium, adolescentem summa spe, summaq; indole præditum. Ioannem Almeidam, Ludouicum Mellum, Diodocum Soto maiorem, Antonium Rodericum quæstorem, Aegidiû Continium, Diodocum Reinofum Soto maiorē, Aluarum Ferrariã, Rodericum Sofam, Laurentium Fariam, Ioannem Brandanû, Georgium Almeidam, Tristanum Sofam, Franciscum Lupium, Gratianumque Ferracium. At Mascaregnas (q, vt demonstratum est, iuxta Thomææ turris radices assidebat,) quû incendiû, ruinã, & occasum turris D. Ioannis momento temporis conspexisset, summa celeritate, quindecim militibus comitatus, eò se proripuit. Quò quum ventum esset, ne vestigium quidem veteris illius formæ deprehendere potuit. Nihil ibi in oculis, nihil sub conspectu, nisi parietû rudera lapidesq; permixtim puluere mēbrisq; mutilatis, ac sanguine humano tincti. Inter quæ promiscuè nōnulla corpora adhuc exhalantia, & cum morte conflictantia, non absq; mœrore & horrore in tuentiû conspiciebantur. Quæ dum subito indè eximere nostri satagunt, vt pro ritu Christiano sepelirentur, derepēte hostes per eūdem ipsum labefactatū locum, impressionem faciunt. De quo tam vehementer vtrin-

que

que cominûs pugnatum est, vt sola nox prælium diremerit. Qua nocte, etsi plures de nostris iam occubuerant, permulti saucij, omnibus verò & defatigatis, & de accepto infortunio mœrentibus: Mascaregnas tamen, virorum mulierumq; opera, murum subitarium sexdecim palmorum crassitudine, in veteris turris ruinis ex soluto iapide construxit, quem absolutum ante solis ortum, hostibus conspiciendum non sine magna admiratione obiecit. Illi cōtra, alio erecto muro, Thomæam turrim deinceps cuniculis, quando ea res benè successerat, deijcere contendunt. Sed quum nostri alijs obiectis cuniculis, illorû conatib obuiam ijsent, re intellecta, in alterum turris latus se transtulere, quò nostri cuniculi pertingere non poterant, & suffosso turris frōtis picio, quatenus à nostris præpediri nequibant, ignem operi nondum perfecto, apposuerunt. Quo incendio quartã fermè turris partem euerterunt, ac protinûs in dirutum locum inuolantes, de superioribus rudera ad se ferreis hamis attrahebant, quibus sensim defluētibus, angustior multò fiebat locus, quem nostri supernè adhuc retinebant. Quod quum à Mascaregna animaduersum esset, bombardas quæ ibi reliquæ erant, indè tolli iubet. Sed quum vix centû milites illæfos integrosq; haberet, eosq; in vnū aliquem locū aliundè euocare periculosum

Z 2

esset,



esset, omnium stationibus hoste imminente, eò factum est, vt basiliscum ac leonem quadraginta virorum diurno nocturnoq; labore indè extrahere nunquam valuerit. Hoc tempore tria mancipia ex arce profugerunt, hostibusq; indicium fecere, quanta nostrorum esset raritas, quantaq; omnium frugum & annonæ penuria premerentur. Quorum perfugarum sermonibus, nouo cõcepto spiritu, iacobæam turrim cuniculatim, igne ad suppositam materiam adiecto, penitus evertunt, quæ in pronum vergens, tota versus hostium stationes ruinam traxit. Hostes igitur protinùs per ruinas se proripiunt, vbi, quam nostris egregiè resisteret, locum tamen euincunt: ac militaribus signis ibi erectis, arcis aream transcendunt, templique D. Iacobi partem mediam præoccupant, ibique aliquot diebus ea sorte cominùs dimicatum est, vt modò templum penes nostros, modò penes hostes fuerit. Sed quum de singulari proprioq; domicilio, ac de ipsis aris & focis ageretur: viribus omnibus adhibitis, nostri in sacrarij fornice, murum construxerunt. Atque ità templo diuiso, alij ab alijs intersepti, in ipso templo quisque pro suo ritu sacra faciebat, religionemque numinum colebat.

(. . .)

DAMIA-

DAMIANIA
GOES EQVITIS LVSITANI,
DE BELLO CAMBAICO
SECUNDO COMMEN-
TARIVS TERTIVS.



Iteris Mascaregnæ, opera Hieronymi Menelij præfecti præsidio Bazaini, Goam delatis, quibus arcis discrimen nunciabatur: Ioannes Castrius Prorex, omni studio quatuordecim minores longas naues expediri iussit. Cui classi Aluarum Castrium filium suum præfecit. Is diui Iacobi solenni die è portu soluit. Et quanquam hyemis vis illic eo tempore asperius sæuit, nihilominus tamen secundo vento Bazainum enauigauit. Quo in loco Franciscum Meneisium reperit, qui bis infeliciter iter auspicaus, difficilioribusque vsus tempestatibus, in portum remeârat. Quod iter, collatis in vnũ classibus, quum sæpiùs têtatum esset, nec pro voto successit: iubet Aluarus Castrius, (quũ, in quo statu res Dienses versarentur, probè sciret) vt classe dissociata, nullo seruato ordine, seorsim vnusquisque Diem, qua posset ratione, peteret. Itaque separatim illis nauigantibus, ventis plerunq; obstantib. primi
Z 3 omni-

358 DE BELLO CAMBAICO II.
omnium vnica naue Antonius Monizius &
Gratianus Rodericus Tabora, Diēsem por-
tum ingrediūtur. A quibus, de propediem af-
futuro subsidio magno, cū gaudio factus cer-
tior Mascaregnas, protinūs eandem ipsam
nauim Alvaro Castrio obuiā remisit, in qua
paulo pōst ad portū Ludouicus Mellus Mē-
doza applicuit, quem Eduardus Menesius Pe-
reira, Comitis Ferientis filius, iuuenis impi-
ger ac strenuus subsequutus est. Post quorū
accessum, ad turrim D. Thomæ (cuius potior
pars, vt demonstrauius, corruerat) acriter
bello dimicatum est. Sed preuallentes hostes,
loco potiti sunt. Quamobrem infensus Mas-
caregnas, per omnia discrimina insequenti
die hostium vires ad eundem locum tentare
fortiori q̄; manu inuadere proponit. Itaq; se-
lectis militibus, de improviso impetum fecit.
Deturbati igitur hostes, saucij q̄; nonnulli,
inter fugiendum classico suis signum dedē-
re. Quo audito, protinūs ex castris & ex op-
pido totus exercitus concurrat. Ac quamuis
pluuia & imbribus subitō ingruentibus, im-
pedirentur: hastis tamen, gladijs, sagittis q̄;
dimicatū est, propemodū ad vesperā, quo
tempore quum se nimbi remisissent, ad bom-
bardas & igneā materiā itum est. Sic vtrobi-
que clade copiosē illata & accepta, quū septē
fermē horis pugnatum esset, nostri tandē lo-
cum recuperant. Per id tēporis, duæ celoces
appu-

COMMENTARIVS III. 359
appulerunt, ducibus Ioāne Athaidio, & Frā-
cisco Guillermo. Hostes porrō post hanc re-
pulsam, igne deinceps per sulcos cuniculares
immissio, murum, qui turri Antonij Pezannę
cōtiguus erat, funditus euertunt. Cōtrā Mas-
caregnas omni ope resistens, in hostes came-
li iacula effundit, alterum q̄; statim firmiorē
murum intrinsecus excitauit, etiam ipse hu-
meris lapides materiā q̄; comportās. Id ho-
stes animaduertentes, è regione & ipsi alium
extruunt, quo nostris ad se accessum inhi-
bant. Hoc die Rodericus Ferdinandus Chau-
liensis municipij quæstor, cum viginti mili-
tibus nauim minore longa portum tenuit, &
inde alij atq; alij duces singulis diebus aduen-
tabant. Hostes intereā super illam turris par-
tem quā occupabant, truncatim parietes con-
struunt, ac inde assiduē in nostros tela conij-
ciebant. Dum in his angustijs adhuc Lusita-
norum fortunæ verlarētur, vigesima octaua
Augusti Aluarus Castrus & Frāciscus Mene-
sius, cū potiore classis manu portū ceperunt.
Numerus nauium haftenūs appulsarum, vi-
ginti quinque. Quæ quum minores pleræq;
essent, non plures quā 400. milites adue-
xerunt. Reliquæ cōtrarijs ventis agitatae, Ba-
zainum coactæ sunt repetere. Sed postea se-
cūdiore tempestates noctæ, mense Septēbri,
ad Diensem portum, & istæ quoq; applicuē-
re. Post Aluari Castrij aduentum, quum
hostes

360 DE BELLO CAMBAICO II.
hostes ex D. Thomæ turri rudera & colla-
psam materiam eximendi nullum finem fa-
cerent, leo ille bombardicus deorsum ceci-
dit, & basiliscus fune suspensus in ruderum
mole subsedit. Quare milites qui postremò
venerant, tenui adhuc illarum rerum experi-
entia, aut potius temeritate adacti, id non
ferentes, imprudenter nouas res moliri inci-
piunt, iactantes vbi tanta murorum strages
extaret, tamque patentes viæ ad arcem inua-
dendam capiendamque hostibus præbitæ es-
sent, certis rationibus duci sese, vt crederent,
hostium vim non in milite, sed in bombar-
darum iaculationibus solummodò consti-
tisse: ducisq; nostri timore potius quam pru-
dentia effectum, vt quum liceret hostem in
suis castris vincere, ipsi vltro hostium obsi-
dione teneantur. Hisce verbis, debacchantes,
non pauca item alia iactitabant, quæ imperi-
ta multitudo, furore agitata, euomere cõsue-
uit. Qua factione reliquos, qui à primordio
belli, mira obedientia eousque imperata fe-
cerant, in suam sententiam cõtaminatos per-
traxerunt. Ad id, leonis & basilisci amissio,
cumulum irarum adijciebat. Quamobrem
congregati, vnanimiter Mascaregnam ado-
riuntur: ab eo incredibili tumultu ferocita-
teque, erumpendi facultatem, castraq; inua-
dendi copiam sibi postulare: Nulla iam re
obsidionem, quam ipsorum ignauia, perdu-
rare

COMMENTARIVS III. 361
rare: vile hostium vulgus, occisis iam duci-
bus & selecta omni iuuentute, ad primam e-
ruptionem profugiturum. His inconditis
clamoribus, quatenus fieri potuit sedatis, quan-
ta maxima valuit ratione prudens impera-
tor ostendit, quanta clade sibi cognita esset
hostium pertinacia & potentia, quam se pro
militum raritate, nec vincere, nec sustinere
posse, satis exploratum haberet. Quare ad
castra potestatem eundi nunquam se illis sponte
sua facturum, nec prætereà consilium datu-
rum, quod omnibus postea perniciosum foret:
Orare, vt in tanto rerum discrimine, pru-
dentiùs quam audaciùs bellum tractarent.
Aliàs per audaciam minus peccaturos: nunc
vel minimum errorem, Indiæ imperio per-
niciosissimum fore. Nam quod rebantur,
vile illic vulgus ac gregarium obsidioni in-
cubare, & multò minores quam pro fama,
copias esse: in eo ipsos magnopere falli. Quin
potius adesse ibi totius imperij Cambaici vi-
res. Quòd si sprete militari disciplina, iniussu
imperatoris, eruptionem facere moliren-
tur, se minimè gentium eos in tanta vecor-
dia subsequuturum. Sin (quod melius recti-
usque, & quod ipsis, vt fortibus & prudenti-
bus viris potissimum conueniat) ducis im-
perium consiliumq; respicerent: se in primis
authorem esse, vt eousque expectetur, donec
hostium quempiam interciperent, à quo ho-
stilis

362 DE BELLO CAMBAICO II.
stilis exercitûs magnitudinem viresq; cognoscant. Interim verò alijs atq; alijs, quas quotidie expectabant, nauib. in portum appellentibus, fortiore postmodum manu se hostes aggressuros. Quamobrè iterum atq; iterum omnes oratos velle, vt suis monitis obtèperarent, quibus nihil, nisi quod rectum sanctumq; ac omnibus salutare esset, præcipiebatur. Hac concione vt cunque permotis pacatisq; militibus, vt cum Alvaro Castrio & Francisco Menesio, de negotio conferret, se ad suas ædes cõtulit. Ea deliberatio quum inter ipsos versaretur, fortè hostes in basiliscum, quem suspensum in parietinis relictum fuisse demonstrauimus, ancorarium funem iniiciunt, vt in sublime attraherent. Tū verò milites quum id animaduertissent, per occasionem acceptam in oculis iniuriæ, ad Mascaregnam concurrunt: Indignam rem, sic se ab hostibus ludibrio haberi, quum coram, in omniumque oculis, talia auderent tentare. Itaque æstuantes, dissono clamore ædes complent, potestatemque castra aggrediendi, omni ferocitate pertinaciaq; postulant. Inter quos quidam seditiosius, quàm par erat: Patiemur ne, inquit, amplius tali parere duci? Nonne honestius luteæ cuiquam obtemperabimus statuæ, quàm huic focordi? Cui Mascaregnas tam prudenter, quàm ironice, Fortasè, inquit, ô miles, statua lutea ob inertiam imbecillitatemque haberi debeo, ac prope modum

COMMENTARIVS III. 363
modum me talem agnosco. Sed illud etiam scio, te in hoc temerario prælio, quod tantoperè inire cupis, omnium primum in arcem refugiturum. Nec vaticinium fefellit. Nam feroculus ille, primus omnium fugam cepit. Hoc tumultu Mascaregnas commotus, & quod neminem omnium in suam sententiam descendere videret, cessit bacchantium furori, ne seditionem etiam intus concitare videretur. Ire igitur ad arma iubet, centum militibus ad arcis præsidium relictis. Primam aciem Alvaro Castrio, alteram Francisco Menesio ducendam tradit. Ipse (licet inuitus) cum reliquis copijs subsequutus est. Igitur correptis celeriter armis, & habita breui concione, peractisq; sacris, erumpunt, aggrestransiliunt, inde superatis munitionibus, excubitoribusq; de stationibus depulsis, in castra prouolant. Hostes verò, cognita eruptione, sublato clamore, signoq; dato, in nostros protinus inuehuntur: quum hostium vim sustinere non valerent, eadem quam venerant, retrò abeunt, summa & incòdita trepidatione. Itaque insequentibus hostibus, centum circiter de nostris desiderati sunt, inter quos noti equites Lusitani, Franciscus Menesius, Franciscus Almeida, Lupus Sosa, Rodericus Ferdinãdus Chauliensis municipij quæstor, Franciscus Guillermus, Nonius Pereira, Eduardus Menesius Pereira, Feriensis comitis filius. Qui omnes

omnes

364 DE BELLO CAMBAICO II.
omnes fortiter pugnando, oppetiuerunt. Is, quem dixi, Feriensis comitis filius, hostium impetum postremus ferens, faucibus grauiter, nec loco tamen cedens, indolem suam, clarissimorumq; natalium decus, egregiè ostendit, summumq; virtutis suæ testimonium reportauit. Nam cæteris fugam ignominiosam exprobrans, eos omni ratione reuocare nitebatur, voce magna in clamans: Subsistite commilitones, & pectus frontemq; in hostem obuertite: neque tam probrosè fugiatis, qui paulò antè erumpendi facultatem per seditionem extorsistis. Testor vestram fugam, & istam Lusitanicæ gloriæ maculam, me aut hîc in vestigio moriturum, aut dilapsis omnibus, non nisi vltimum rediturum. Quod & ipsum factò præstitit, nam dictorû fidem, morte ibidem fortissimè excepta, adimpleuit. Fugientium pars statim in ipso certamine interiit, pars vulnerum vi postea extincta est. Histâtis malis circumuentus Mascaregnas, quatenus tempus ferebat, disperforum fugam reprimere conabatur, vt vnâ collecti, cedentiq; acie, minore iactura sese in arcem reciperent. Sed quos timor agebat, virtus aggregare non poterat. Nam singuli suæ quisque salutis consulentes, nullo seruato ordine, fusi dispersiq; ad stationes recurrerant. Aluarus verò Castrius maceriem in redeundo conscendere adnitens, à funditore

ia

COMMENTARIVS III. 365
in capite grauitè ictus, subitò retrorsum in præceps abiit. Quod Mascaregnas animaduertens, protinus cadenti succurrit, & ex hostium manibus ereptum, in arcem comporari curauit. Eo in loco, dum Aluaro Castrio subuenitur, iuxta Mascaregnam, bombardæ manualis iaculo Franciscus Almeida, cuius superius meminimus, traiectus occubuit. Itaque hisce acceptis damnis, in arcem redire Mascaregnas compellitur. Hæc Calendis Septembribus acciderunt. Porro casus hic tantum terrorem nostris iniecit, vt deinde hostibus inuadentibus, quod singulis quibusq; dieb. fiebat, ad muros accedere formidarent. Quem istorum timorem vix ducis fortitudo animiq; præsentia imminuere valuit. Hostes contra, victoria hac elati, maiores spiritus concepere. Quapropter acriori peruicia arcem euertere conuisi, turrim illam quæ superioribus temporibus sub Antonio à Sylueyra, in Rhomæorum siue Thracum oppugnatione proscissa fuerat, rectis cuniculis deiecerunt, ac turrim etiam nouam, quæ supra decumanam veterem portam constructa erat. Potiorem quoque muri partem demolitur. Ad hæc, muro, qui turribus Diuorum Ioannis Thomæque intersitus erat, superato: duas bombardas supraponunt, quarum iaculationibus nostri intus per arcis plateas versare prohibebantur. Prætereà basilisco

ac

ac leone ex Thomæ turri deductis, stationem in ipsius turris fronte constituunt, atq; indè bōbarda ac duabus machinis adductis, domorum tecta miris modis conquassabant. Mascaregnas verò quum his difficultatibus premeretur, bombardis tormentisq; bellicis ad necessaria loca dispositis, hostium violentiam, quatenùs fieri poterat, reprimere meditabatur. Quarè è regione expugnata turris D. Thomæ, nouā turrim excitauit, ex qua & maior arcis pars protegebatur, & hostes ita cohibiti sunt, vt neque extra murum caput efferre, neq; in arcem iacula emittere, nisi cum summo periculo, vlteriùs possent. Intereà tēporis super fluuium ad Rhomæorum oppidum vsque, pōtem hostes deduxerunt, opus admirabile, contra aquarum rapidissimos accessus & recessus, per quem ex insula in continentem plaustra vehiculis impositis, ac totus exercitus ad necessaria deportanda inuehendaq; commeabant.

Dum hæc ad Dium agebantur, mense Septembri nuncius Goam ad Proregem deferretur, de Ferdinandi Castrij sui filij morte, & clade illa, quæ ad decimum Augusti ignis vi obtigerat, quam sub finē secūdi Cōmentarij retulimus. Quo nuncio etsi dolore cruciaretur, ne tamen militum animos segniores suo luctu redderet, ad Diensem expeditionem, sub-

fidiaque ferenda, simulata animi alacritate, festiuis purpureisque vestibus indutus, ciuitatem iustrauit, omnibusque palàm testatus est, se non tam grauius ferre interitum filij, quàm magni facere, quòd honesta morte dignaque suis natalibus occubuisset. Verùm magno staturum hostibus fortissimi adolescentis funus, & oppugnatam Dium, inter minas iactitabat. Itaque protinùs Aluarum Cugnā cum celoce emittit, cui diplomate ad id dato, colligendi omnes nostras naues, quæ per littus Indicum dispersæ vagabantur, potestatem fecit, imperatque, quotquot eo mense aggregasset, ilicò Dium secum abduceret. Is itaque quinque celocibus cum mediocri hominum manu, sub ipsius mensis finem, in portum Diensem recipitur. A cuius aduentu, militum delectu habito, mille ducetorum copiam numerus excedebat. Per hunc scripsit Prorex ad Mascaregnam, nè ante eius aduentum, quenquam extra arcis mœnia ampliùs cum hostib. conflagere pateretur. Postea dimisso Goa Aluaro Cugna, per summā festinationē quadringenti milites, quinque nauibus imponuntur, inter quos aliquot architecti & latomi fuere. Ij varijs vsi tempestatibus, Dienzia æstuaria intra paucos dies tenuerunt. Bello itaq; promiscuis cladibus sæuiente, nostri aliquot hostium naues, quæ ex sinu Arabico in Cambaiam



368 DE BELLO CAMBAICO II.
baiam enauigabant, interceperunt, quarum
pars potissima mercibus nobilissimis onusta
erat. In iisdem erat consanguineus quidam
Coij Sophari, quem Sopharus ipse dum uiue-
ret, Cairum (militis colligendi gratia) aman-
dârat, & is nunc exercitum benè magnum, &
ad rem bellicam egregiè instructum, secum
ducebat. Sed acri nauali prælio superatus, fe-
rè omnes suos amisit. Solus enim duntaxat
Sophari consanguineus cum aliquot nobili-
bus, cæteris interfectis, uiuus reseruatus est.
Verùm & ij quum in arcem deducti essent,
iugulati sunt, ac eorum capita secundo aqua-
rum refluxu, in hostium castra ad oppidum
præterlabi defluereque sinuntur, vt agniti à
suis, luctum in castris ac desperationem face-
rent. De nostris permulti in hac nauali dimi-
catione vulnerati fuere, mortui quoque non
pauci. At Prorex, qui Goæ reliquam classem
instruebat, tempus idoneum nactus, cum se-
ptuaginta circiter nauibus è portu soluit, ac
difficillimis tempestatibus vsus, Bazainum
tenuit. Quo in loco vniuersam classem, quæ
ventorum asperitate dispersa, simul appel-
lere non potuit, expectare proposuit. Ibi au-
tem commorans, nè tempus tereretur, Ema-
nuelem Limicum cū minoribus aliquot lon-
gis nauibus ad Surraticum littus inuadendum
misit. Qui strage hostium non vulgari, cum
ingenti nauium præda, littoribusq; popula-
tis,

COMMENTARIVS III. 369
tus Bazainum reuertitur. Reuerso Limico,
Prorex, qui, quamdiù classis in statione litto-
ris ventis aduersis retenta fuit, nunquam vo-
luerat in terram descendere, post sexdecim
dies quam venerat Bazainum, ancoris subla-
tis, Diu versus nauigauit, interq; nauigan-
dum, iterum Emanuelem ipsum Limicū ad
finem Cambaicum explorandum vexandū-
que præmisit. Qui aliquot hostium nauibus
submersis, pagis attegijsq; incensis, in super-
cæde non minima quaquauerfum edita, Brá-
maluci tamen benè de nostra amicitia meri-
titionibus intactis, ad Mortuorum insu-
lam se Proregi coniunxit. Indè rebus omni-
bus ordine dispositis, velo dato, felicibus au-
spicijs septima Nouembris, vniuersa classe
salua, cum mille sexcentis militibus Lusita-
nis, ad portum Diensem applicuit, quo iam
appulerat Laurentius Petreius Tabora, dux
eius classis, quam Lusitania singulis quibusq;
annis in Indiam mittere consuevit. Is enim
vbi Cochinum venit, & quæ ad Diu agebân-
tur, rescivit, classe illic integra relicta, Prore-
gis aduentum vno die anteuenterat. Cuius
prouida diligentia, indubitata nostri de
futura victoria opinionem conceperūt. Pro-
rex igitur arcis æstuarium ingressus, ancoris ia-
ctis, nauibusque per ordinem dispositis, Ma-
scaregnæ per nuncium iniungit, vt quam-
primum ad se veniat. Qui posteaquam adue-

A a

nit,

nit, & de belligerendi rationibus inter ipsos
vltro citroq; habitus sermo fuerat, in arcem
reuertitur. Postero verò die, in ea parte qua
mesopyrgion illud maius mare respicit, bi-
næ scalæ, iubente Mascaregna, apponuntur,
per quas nostri sese in arcem, æstu recedēte,
cōmodè recipere poterant. Atque etiam per
omnes arcis turres, necnon in ea quæ in alueo
fluuij posita est, bombardæ nouo ordine di-
sponuntur. Cui negotio naues aliquot adhi-
bentur, ex quibus omnibus die noctuq; om-
ni contentione in hostium castra tela emitte-
bātur. Qua iaculatione, ea ruina est facta, quæ
postea magno vsui nostris fuit. Nā per ea lo-
ca, quasi reuulsis repagulis, castra tentari pri-
mū ccepta sunt. Hostes verò his reb. minimè
perterriti, alacri, erectoq; animo, futurū præ-
liū expectabant. Ergò ad munitiones tuēdas,
selectiores milites bōbardis manualibus in-
structos apponunt, quibus & alij præstō e-
rāt, ad id collecti, vt igneos globos & ampho-
ras igneas in nostros proijcerent. Insuper in
turribus, quas super flumen in murorum an-
gulis antea erexerant, hīc illic patefactis fo-
raminibus bombardas admouent, vt ex ea
parte nostros in terrā descēdere prohiberēt.
Nam per eū locum suspicabantur Proregem
castra inuasurū. Quamobrē quindecim mil-
lia militum ad descensum prohibendum eo-
dem in loco, vnā cum excubitoribus consti-
tuunt,

tuunt, qui sacramento militari addicti, deie-
rauerant, nostrorum impetum quibuscunq;
se rationib. laturos, repressurosque esse. Atq;
itā reliqua, quæ ad defensionem pertinere
videbantur, suo ordine & serie, tanta pru-
dentia disponūt, vt ea in re magis veterano-
rum Romanorum experientiam imitari eos
diceres, quā temeraria barbarorum confi-
lia. Prorex igitur nona Nouembris clam in
arcem descendit, ibiq; rebus gerendis ordinē
dispositis, istiusmodi strategemate hostes
Iudificatus est. Nam vt falso numero eos de-
ciperet, nautas, latomos, calones, lixasque de-
tertia vigilia nauibus littus impetere, singu-
losq; binas erectas hastas in manibus gestare
iubet: Remigibus verò imperat, vt dextra re-
mos agāt, sinistra bōbardicos funes igne in-
cēsos teneant, ac vt vehemēti tympanorū so-
nitu, strepituq; tubarum immenso, & quāto
possent, edito clamore, illam partem, qua
hostes opinabantur illum descēsurum, simu-
lato, lentoque cursu (quum signum ex arce
daretur) impetere se fingerent. His itā decre-
tis, arcis custodiam iusto præsidio Antonio
Corrigiæ Bazainenli quæstori commisit. Ac
postero die, ipso iubente, ex omnibus arcis
portis valuæ ademptæ, ac procul semotæ, nè
nostri in fuga vllā spē reponerent. Orto iam
sole, sacrisque peractis, & signo nauiculis da-
to, Lusitani ad duo circiter millia & quingē-
tos,



tos, erumpunt, hostium muros inuadunt, ac indè agminibus in ordinem digestis, ad stationes hostium contendunt. Illi porrò quibus nauale negocium commissum fuerat, signo accepto, in illam partem, in qua potior hostium manus nostros opperiebatur, naues eo ordine vt imperatum erat, dirigere se simulant. Hostes verò vbi vexillum regium, insigniaque militaria conspexere, ac quò classis tenderet, animaduenterunt, illic totius exercitus vim adesse existimantes, magna ex parte stationibus desertis, confertissimi sese ad litus proripiunt. Quamobrem nostris exeundi minori periculo potestate facta, Mascaregnas (cui prima acies cōcredita erat) quadringentis militibus constipatus, primo loco eruptionem in castra fecit. In eo conflictu concursuque ad muros, de nostris circiter quinquaginta desiderati sunt. Sed succurrentibus confestim alijs, hostes retrocedere & animum remittere cœperunt. Quod vbi ab ijs qui ad litus classi nostræ obuiam iuerant, est animaduersum: protinùs ipsorum selectior manus ad eum locum, vbi dimicationem vigere cognouerant, se contulit. Ibi que pœlio conferto, ancipiti Marte eousque pugnatum est, donec à Prorege periculo cognito, milites qui subsidio irent, illic mitterentur. Ipse autem Prorex cū Laurentio Petreio Tabora inter illud flexuosum & multis sinibus am-

bagio-

bagiosum vallum procurrens, turrim quandam expugnat, ex qua nostri, antequàm caperetur, multa infesta patiebantur, omnibus ibi hostium præsijs ad vnum interfectis. Id tamen non absq; discrimine. Nam Eduardus Barbutus vexillifer, bis in cacumen euadens, bis indè deiectus est, sed tertio, nouo impetu factò, pertinaciter irrumpens, vexillum tandem ad pinnacula affixit. Expugnata turri, accustodibus tradita, per tramites istius sinuosi valli iterum recurrentes, aliquot ex hostibus interficiunt. Cæteri, loco deserto, fuga in castra cōuolabant. Interim hostium manu subsidijs firmata per Rumeacanum, maximi inter suos imperij ducem, tam vehementer in Mascaregnam impressio fit, vt nostri impetum sustinere amplius non valerēt, & ordine turbato, resilire occiperent. Id ipse Mascaregnas animaduertens, cōclamat, suosque ad restituendum hortatur: Vrgerent victoriam, quam iam propemodum adepti essent, non superesse victis vlla suffugia, exarmatam esse arcem, ablatis valuis, quicquid munitionis fuit, non iam minùs hosti, quàm ipsis patere, adesse omnia auxilia, quæ à suis sperari possent: aut his copijs esse vincendum, aut pereundum: meminerint se non minùs pro vita, quàm pro imperio pugnare. Si pedè referret, nec victis vitam, nec mortuis sepulturam immanissimum hostem concessurum esse.

Aa 3

His

His ducis vocibus experrecti, tanta animi præstantia in hostes se referunt, vt quâquam per summam pertinaciam hostes resisterêt, impetum tamen nostrorum amplius sustinere non possent: effusaq; fuga, terga verterût. Quare disperlim palantes, alij per pontem, alij per vada, natando currendoq;, se, quot quot potuêre, extra insulam eijciunt. Itaque oppido capto, castrisq; superatis, in omnem sexum ferro igneq; sæuitum est. Quæ à conflagratione fortunæ casus immunia inuolataq; seruârat, iubete pro rege, diruta euersaq; prorsus fuere. Hic exitus amplissimæ ditissimæq; Diësis ciuitatis fuit. In castris verò & in oppido videre licuit triclinia mensasq; stratas, cibariaq; igni apposita, inuentaq; in foro etiam esculenta tanquam pacis tempore vœnum exposita. Nô enim de tam subita fortunæ mutatione, quisquam eorû vel cogitârat. De nostris hoc prælio circiter centum quinquaginta occubuere, inter quos noti equites Lusitani, Georgius Soza, Ioannes Emanuel, Frâciscus Azeuedus, Baptista Persona, Cosmus Paiua, Balthazar Georgius, Eduardus Rodericus Nazinus, Vascus Ferdinandus, Arius Gometius Quadrus, Iulianusq; Ferdinâdus militum censor, qui omnes cum summa gloria acriter pro fide pugnando, mortem oppetiêre. Ex hostibus supra quatuor militum millia eo die cecidisse compertum est.

Rumeca-

Rumecanus verò, quem loco Sophari patris à Mamudio rege, exercitus ducem maximum fuisse constitutum, differuimus: euadere cõnitens, insignibus imperatorijs detractis, quem à nostris ad oppidi fossam cognitus esset, fortissimè resistens, interfectus est. In eodem quoquè loco Audecanus, qui pridie eodè prælium commissum esset, cum quinque millibus militum in castra venerat, vnâ cum Hidalcano externorum militum duce occisus est. Alij prætereà quatuor regis Cambaiæ strenui duces ibi desiderati sunt. Iuzarcanus iunior pro virili dimicans, viuis captus est, & magna cum reuerentia Proregis iussu à custodibus seruatur. Solus autem ex ducibus præcipuis Moiatecanus equum nactus, per pontem, citato cursu euasit. Regium Cambaiæ vexillum, atque plura militaria signa ad Proregem delata sunt. Iam promiscuæ multitudinis, virorum mulierumque, & puorum interfectorum numerum immensum & miserandum fuisse constat, quibus rabies militum & suis antea malis, & nunc sociorum mortibus irritata, nulla ratione parcere sustinuit. Quippe non solum nô ab infantibus, aut grauidis mulierum vteris, sed ne brutis quidem animantibus ferrum abstinuit militaris furor. Relicta sunt ab hostibus omnia tormenta bellica, inter quæ etiam leo ille & basiliscus fuere: qui ad Thomæam turrim

Aa 4

ab

ab hostibus erepti, causam tantæ cædis non ita pridem nostris attulerant. Vniuerso hoc bello, compertum est, cecidisse de nostris militibus, tam ad Dium, quàm in naualibus prælijs, circiter mille sexcentos. Prorex autem, victoria parta, quos vltimo hoc prælio desiderauit, sepeliri quàm honorificentissimè iussit, fauciosque reficiendos curauit. Inde militibus congiario stipendioq; dato, ac virtute singulorum pro cuiusque meritis honorata, arcem protinùs à fundamentis noua ratione ædificare coepit: Laurentiùs verò Petreius Tabora, rebus omnibus ex animi sententia transactis, Cochinum ad classem reuertitur. Inde nauibus à terra solutis, saluus Olyssiponem applicuit.

TERTII ET VLTIMI COMMEN-
TARII DE BELLO CAMBAI-
CO II. FINIS.

INVI-

INVICTISSIMO
LVSITANIAE ET ALGAR-
BIORVM REGI IOANNI. III. AFRI-
CO, ÆTHIOPICO, ARABICO, PER-
fico, Indico,

IACOBVS TEVIVS PERPE-
tuam felicitatem optat.



VM TE, REX INVICTIS-
sime, viderem, non solum domi opti-
mis legibus & institutis regnum or-
nantem, & foris iusto, ac pio bello fi-
nes propagantem, sed & priuatim
tuos ciues omni munificètia genere ad virtutis studia
ex excitatè & omnib. vndiq; gētib. in suo quosq; ge-
nere prastantissimos, amplissimis premijs inuitatè, ca-
pi mecum cogitare, qua in re potissimum, vel ciuibus
meis prodesse, vel hoc tuum sanctissimum institutum
aliqua ex parte iuuare possem. Cum interea commē-
tarius rerum nuper in India gestarum mihi oblatas
est: quem vbi perlegissem, existimaui me multis de
causis opera precium facturum, si res quæ in eo con-
tinerentur, latinis literis mandarem: quæ tantæ ac ta-
les sunt: vt nō minus ex magnitudine admirationem,
quam ex nouitate gratiam sint consecutura. Nam vt
alia bella maiorum temporibus gesta, aut numero co-
piarum, aut diuturnitate temporis maiora videri
possunt: ita hoc, vel imperatorum prudentia, vel mi-
litum virtute & tolerantia, vel periculorum magni-
tudine,

Aa 5

tudine, euentus varietate, nouorumq; machinamen-
torum excogitatione cum maximis cuiusuis aui bet-
li facile comparari potest. Iure etiam suo exigere vi-
dentur propinqui mortuorum hoc genus solatij: iure
militum superstitum virtus hanc gloria mercedem:
vt res ab ipsis prospere, ac fortiter gesta omnium si
fieri posset linguis legerentur: omnique posteritati
ad virtutis emulationem proponerentur. Haec mihi
cum iustissima viderentur causa suscipiendi laboris:
accessit praeterea voluntas tua, cui ego rem tam ho-
nestam imperanti non parere, prope nefas existima-
uerim: atq; ideo faciendum putavi, vt sub tuo po-
tissimum nomine commentarius hic prodiret, vt qua
in rebus gerendis felicitas adfuit, eadem commenta-
rio eiusdem auspicijs emisso contingeret. Quamquam
alioquis quicumq; ex literis fructus prouenit iure opti-
mo ad te pertinere videatur: qui Lusitanos tuos an-
tea in hoc genere incultos, humaniorumq; disciplina-
rum pene expertes, maximis tuis sumptibus, summo
studio ac diligentia excoli erudiriq; iussisti. Nam
ad haec fere tempora, falsa illa persuasio quorundam
animos imbuerat, non solum laude dignum non esse,
scire litteras: sed illas discere quodammodo pro vitio
habebatur. Tu primus ex mentibus nostrorum homi-
num scdam hanc & perniciosam opinionem, quae
iam altè radices egerat, euulsisti, qui iam inde à fe-
licissimis regni tui principijs Lutetiam omnium bo-
narum artium altricem optime cuiusq; indolis quam
plurimos selectos iuuenes, ad capiendum ingenij cul-
tum mittere curasti. Hoc fuit literarum in Lusitania
indies

indies magis ac magis pullulantium seminarium. his
veluti iactis fundamentis, nobilissimam academiam,
in qua à doctissimis hominibus omnes disciplinae suo
pristino nitore restituantur, Conimbrica excitasti.
Vidisti in tuis hominibus materiam ad literas capef-
sendas peropportunam, quae praeceptis doctrinae me-
lior reddi posset. vidisti illos & ingenij acrimonia &
maturitate iudicij, & perferendorum laborum
constantia, si ars exercitataq; accederet, nihil non
magnum praeclarumque praestaturos. Voluisti igitur,
vt non solum rei militaris gloria, qua semper nostri
homines floruerunt, sed etiam literarum dignitate
ciues tuos excellere, quibus vt nihil in rebus humanis
praestantius inuenitur, ita nihil tibi maius debere pos-
sumus: cuius benignitate studioq; effectum est, vt Lusitania
expulsa finibus barbaries exularet, totiusq; hu-
manitatis cuitus pro illa retineretur. Scimus quantus
omnium disciplinarum amor sit tibi: quam propitius,
liber aliq; semper hominibus literatis fueris: quid ege-
ris, vt praeclara literarum studia, iam penè mortua &
consepulta suscitares: vt nō modo fortunis & corpo-
ribus tuorum, verum etiam quod multo maius ac di-
gnius est: animis excolendis prospiciendum putares.
Quo propter vt ante dixi: cum omnes qui vel tua mu-
nificencia adiuti, vel tuis auspicijs excitati, aliquid
in literis promouerunt: suorum studiorum fructus tibi
debeant: hunc commentarium meorum veluti labo-
rum primitias, tibi dedicandum censui: idem factu-
us in vniuersa rerum Lusitanicarum historia, cum
pri-



primum per occupationes licebit: in quibus subeundis
quemadmodum tuam potius voluntatem quam alio-
rum de me opinionem sum secutus: ita etiam libenter
perferam, quoad tibi visum fuerit: nec vllum locum
humilem vnquam existimabo, in quo me tibi gratifi-
cari posse intelligam: tuaq; potius voluntatis, quam
meorum commodorum rationem habebo. Vale Rex
inuisibilis. Conimbrica Calendis Martijs. M. D.
XLVIII.

AD EVNDEM INVICTIS-
SIMVM REGEM DE HOC COM-
MENTARIO GEORGIVS
BYCHANANVS.

CVM tua sceptrā Asia gens, Europaq; timeret,
Et tremere fasces terra Libyssa tuos:
Iamq; iugi patiens Indus: nec turpe putaret
A domino Ganges postere iura Tago:
Inq; tuis Phœbus regnis oriensq; cadensq;
Vix longum fesso conderet axe diem:
Et quacumq; vago se circumuoluit olympo,
Luceret ratibus flamma ministra tuis:
Gaudebat tibi deuictus sibi redditus orbis,
Nosse suos fines, iustitiamq; tuam.
Vna aberatq; oberatq; tuis Mors saua triumphis,
Carpere victricem scilicet ausa manum.
Et comes huic tenebris nisa est obliuio cecis
Fortia magnanimū condere facta ducum:

Donet

Donet Apollineis se Teuim induit armis:
Et spolia è victa Morte superba tulit:
Victurūq; iubet chartis iuuenescere, vita
Prodiga pro patria pectora laude sua:
Proq; cui paucis, quos Mors praeciderat, annis
Reddit ab aeterna posteritate decus.
Iure ergo inuictus Rex es: quando omnia vincens
Accessit titulis Mors quoq; victa tuis.

IOANNIS COSTAE AD
LVSITANIAM, CARMEN.

GRECIA Meonio celebrata est carmine, quondam
Fortuna, ingenio, Marte, opibusq; potens.
Aequa quod edomiti sit gloria finibus orbis,
Historia debet Martia Roma sua.
Nec metuunt chartis commissa fidelibus aeuum,
Quae gessere Libes, Media, Persis, Arabs.
Deniq; gens nulla est, est si modo nomine digna,
Quae non sit laudis vindice tuta sua.
Tu sola ante omnes, ô Lusitania felix,
Et tacita, & tenebris pene sepulta, iaces.
An quia materies deest laudibus: an quia fors est
Inuida, virtuti nec satis aequa tua?
Parua ne materies lustrati est gloria mundi?
Vidēaq; militibus terra si etumq; tuus?
Hos caput intrepidus nouus orbis, territus hospes
Spectat, & Hesperio dat sua colla iugo.
Maior & inuidia est rerum mensura tuarum.
Cur ergo has laudes pagina nulla canit?

Nempe

*Nempe Deus celebrem te noluit esse, priusquam
Summa fores, summo rege, opibus, Sophia.
Sunt tria iam summa hæc, rex summus, gloria sum-
ma.*

*Gens & in studijs laus quoque summa tua.
Additus hu scriptor summus: cui tradita cura est,
Teuius, aut potius Liuius eloquio.
Gaude igitur felix ô Lusitania, cum sint
Singula vix alijs, omnia summa tibi.*

COM.

COM MENTARI-
VS DE REBVS A LVSITA-
NIS IN INDIA APVD DIVM GE-
STIS. ANNO SALVTIS
nostra M. D. XLVI.

Iacobo Teuio Lusitano Autore.



ANNO SALVTIS NOSTRAE.
M. D. XXXVIII. Noni-
us Cunna prætor Lusitanus,
indicijs prouincijs præerat:
cum Baducus rex Cambaia in
portu Dij oppidi à nauta Lusitano cæsus,
meritas suæ perfidiæ pœnas luit. ei succes-
sit in regnum summo popularium consen-
su nepos Mamundus annos duodevigin-
ti natus. Hunc præter vetus, & hæredita-
rium in nos odium, & recentem ex regia cæ-
de iram, multa ad bellum incitabant: re-
gnum inter illas gentes amplissimum: iu-
uentute, opibus, alijsque rebus, quæ bellum
vel instruunt, vel alunt florentissimum,
maximi apparatus ab auunculo relictus, fru-
mentum in horreis in multos annos præ-
paratum, pecuniæ magna vis in stipen-
dium militum, armorum, ac telorum
omnis generis infinita prope multitudo.

Acce-

Accedebant ad hæc belli tormenta, quæ domi parata habebat, quinque maximi Basilifci (sic res nouas, & ante incognitas nouis, ac suis cuiusq; gētis vocabulis nuncupare cogimur) Spallafati complures, mortariaque: è quibus vnum præcipuæ magnitudinis à Romæis aureorum ducatorum circiter sexaginta millibus emerat, innumeraq; alia tormenta: Cameli, sphæræ, passamuri, canones, ex ære omnia: quorum nonnulla, cum Antonius Sylueira arci Diensi præerat, ex nostris ceperant. Iam societates, atq; amicitia cum propinquis regibus, ac populis aut renouatæ, aut institutæ: longinqui legationibus, pollicitationibus, ac pecunia sollicitati. Hæc cum iuuenis animum & ætate ferocem, & contumelia accensum facile à quietis consilijs auertissent, accedebant principum quorundam adhortationes cõuitio interim propiores, quæ ægrum sua sponte animum inflammarent. Quo tandem animo illum ferre oportere optimi auunculi necem indignissimam? tantum regem, in suo regno, ab exteris hominibus immaniter, fraudulentèq; occisum? Cum grauissimæ cladis autoribus pacem, ac prope amicitiam esse: nec tam acerbam ipsam esse contumeliam quàm pudendos eius autores: paucos piratas commercij simulatione irrepfisse, qui nec externis auxilijs fidant, nec à suis, alium pene orbem incolentibus, quicquam

quam opis sperare possint. Eos arcem capitibus veterum incolarum imposuisse, vnde velut captiuis, ac vinctis seruitutem minantur. Quousq; tandem hæc ferenda regi opulentissimo, in regno omnibus rebus ad bellum necessarijs instructissimo, vnde maximas copias cogere posset, quibus non solum paucos istos latrones expellere, sed magnam orientis partem subigere, ac suo imperio posset adiungere? Lusitanos cum omnes vires exercitus in vnum contulerunt, Garcia Noróna Indiæ prorege, militum vix quinque millia expleffe. hac manu per exigua magnam Indiæ partem deuastarunt, nostris videlicet discordijs, non suis viribus freti: cum Magores omnia seditionibus miscerent, ac perturbarent: per quos tum minime licuit istorum impetus propulsare nunc rebus compositis, ac tranquillis, nec à Magoribus, aliove hoste periculo imminente, non magno negotio nuper acceptam vindicari posse iniuriam, & antiquam gloriam à maioribus relictam, iam pene mortuam, & consepultam erigi, excitariq; posse: nouos dominos regni finibus expelli, Diu nobilissimam ciuitatem è manibus hostium liberari, arcemque illam seruitutis domicilium aut recuperari, aut euerti. Magnum etiam momentum ad res nouandas attulit militum veteranorum, & imperatorum autoritas, qui ab exteris gentibus spe

Bb

præmio-

præmiorum à Baduco illecti in aula versabantur. Baducus enim cum secreta belli consilia diu in animo versaret, & ex omnibus orientis regnis si quem aut manu strenuum, aut consilio præstantem, aut rei militaris peritia eximium audisset, magnis ad se pollicitationibus accersebat. Conuenerant igitur ad eum plurimi Rumæi. Christianique veteris sacramenti, & religionis desertores, Abessines, Fartagines, Arabesque. Hi omnes belli, quæ sperauerant præmia in pace casura cernentes, quibuscunque poterant rationibus, nunc facilem victoriam spondendo, nunc regis vires extollendo, magnifice de se, contemptim de hostib. loquentes, omnia permiscere, ac perturbare conabantur. Sed hos omnes autoritate, potètiaq; Coius Sofar homo Italus facile anteibat. Is Surratem, Ruinelemque, & alias opulentissimas provincias tenebat: multus ei rei militaris vsus, multa peritia, idem imminètia primus videre, præsentibus periculis obuiam ire, hostium explorare consilia, suis in tēpore præcauere, amicis atq; inimicis cū res posceret iuxta comis, ac facilis, simulatōr, ac dissimulato: eoq; amicitia cōciliandę mirus artifex: cū & humanitatē vultu præferret, & oratione: irā, odiū, vindictæ cupiditatē, occulta in animo haberet, quæ in tēpore, maiore hostiū detrimèto ex inopinato expromeret:

ret: suorū consiliorū adeo celator, vt sapius euetu rerū in ipsius oratione, aut alio quouis indicio proderetur: acta, promissa, fidē, iusiurandum ad suam omnia vtilitatem referre. is adeo regi se insinuārat, adolescentisque animū adhuc simplicē ita sibi deuinxerat, vt prope vnus secretiorum consiliorum esset conscius. Itaque bellum paranti maxime idoneus is visus est, per quem quæ deesse videbantur ad copias ab auunculo relictas adijceret, & Lusitanos consilium suum celaret. nec ille regis expectationem de se fefellit: tantum enim pulueris sulfurei, tam in vsum maiorum tormētōrum, (quæ vulgo bombardæ appellantur) quam minorum, quæ sclopetæ dicuntur fieri iussit, quantum septem annis summo labore, ac diligentia multorū artificum opera parari poterat. Nulla ad litus Patani lapidicina fuit, nulla officina ferraria vsquam, quæ non globis lapideis, ac ferreis perstreperet. Bombardarios, Sagittariosque Caninos, ac Maluares magno numero habuit: arma, quibus corpora proteguntur, galeas, thoracas, loricas, aliaque huius generis ad ea, quæ in armamentarijs erant, tanta copia adiecit, vt vetus apparatus præ hoc perexiguus videretur. Galearum forma personæ instar caput, collum, totamque faciem operit. Aderat etiam operarum vis ingens, ac singulorū velut col-

legiorum magistri, qui cuniculis extruendis, castris metandis, & aggeribus protrudendis, valloq; iaciendo operam nauarent: qui machinas, omneque tormentorum genus fabricarent, promouerent, statuerent, & in quem opus esset locum obuenterent. Tanti apparatus in vnum locum contracti species oculis obiecta facilem vnus arcis expugnationem omnibus spondebat. Interea ne nostri, qui in Cambaia permulti versabantur, hæc in se comparari suspicarentur, metus belli à rege Patani prætendebatur: cum quo non sibi bene conuenire Mamundus simulabat. Itaque nequando ab eo ex improviso inuadi posset, hæc in promptu habere, hos esse opulenti regis thesauros, arma quam aurum magnorum regnorum verius opes esse. A deoq; hæc simulatio processit, vt hostes quotidie expectari crederentur: nec id commentum à gentis moribus abhorrebat, cuius reges inter se perpetuo intestinis odijs dissident. Hic igitur rumor de rege Patani seminatus, & multorum sermone continuatus, omnem ex animis nostrorum suspicionem exemerat, & quo magis animi à cogitatione belli auerterentur, Coius Sofar, qui bonam temporis partem Surratæ agebat, prætorem, quem gubernatorem vulgo appellat, cæterosq; quos poterat Lusitanorum duces officiorum genere prosequeretur, sibiq; conciliabat: nostrisq;

nostrisque omnibus plurima, nec obscura beneuolentiæ signa ostendebat. Interea callidus, & subdolos animus hominis semper velut in insidijs vigilabat, vt omnia nostrorum consilia explorata haberet, vires, opesque pernosceret: nec illum quicquam eorum latebat, quæ nosse sua interesse existimabat: qui arcibus præessent duces, quantum cuique militum, qui commeatus, quis armorum apparatus multos, seorsum, ac sepe percontando perdidicit. nec id adeo difficile erat: quippe cum callidissimus hostis amicitie, ac beneuolentiæ obtentu ita simplicibus, & candidis nostrorum ingenijs obrepisset, vt nihil eum celarent. eoque minus sibi ab eo præcauebant, quod pacem non minus ex vsu terræ Cambaie, quam suo esse existimarent. Nec me hic tenere possum, quin illarum gentium taciturnitatem, ac silentium vehementer admirer, ac laudem: à quibus nihil eorum extorqueri potest, quæ contineri, suppressique oportere arbitrantur. ac ne illa quidem produnt, quæ omnibus aperta, & cognita sunt. alij tu quidem aut signis, aut coniecturis rem cognoscas oportet: ab illis nunquam quicquam poteris extorquere, quod illorum silentium vtinam Christiani homines potius æmulentur, quam admirentur. Quis non monstri prope simile putet cum septimum iam annum bellum apparari summo studio,

& ardore audierit, nec in tanta diuersarum nationum colluie consilia belli vnquam euulgata esse. Cæteris igitur ad omnes bellivsus satis, vt videbatur, præparatis, optimum visum est, regum exterorum animos denuo tētare: missi passim legati, & ad eos potissimū reges, qui maritimæ oræ præsent, in qua nostri arces, ac præsidia habent, regesque non paucos vectigales: ad Breamalucum in Bassaino (hic regi Cambaię paret) ad Breamalucum in Chaullo, ad Dialcanem in Goa: cæterosque qui ad oram Maladari adiacent, literæ in hanc ferè sententiam missæ. Sibi Lusitanos hostes infestissimos in animo esse finibus suis expellere: ex vniuersa quoque India minimo negotio extrudi posse, velint modo officio suo non deesse. Statim vbi rupta fœdera, bellumque inchoatum audierint, singuli præsidia vicina aggrediātur, alienigenasque paucos, qui aut occultis insidijs, aut bello nefario aliena occuparunt, vndique simul oppugnent: prætorē regis Lusitaniæ vbiq; simul circumstrepēte belli terrore, tot diuersis locis, tantoq; distitis intervallo opem ferre non posse: eiusq; copias tā exiguas esse, vt diuisę facile debilitari, frāgiq; possint. orat, atq; obtestatur, vt tanta occasione arrepta fædissimum seruitutis iugum à ceruicibus excutiant. quid enim non modo fædius, sed etiam miserius esse, quā tot viros fortes,

fortes, & qui perpetuò in summa libertate vixerint, paucis hominibus exteris, quibuscum nec moribus, nec legibus, nec lingua conuenirent vectigales esse: & quod omnium esset indignissimum, nouas religiones, nouas ceremonias neglecto pristino numinis cultu inuehi? Cuius cōtemptum omnium rerum perturbatio necessario sequeretur. Apud hos reges, & si non nihil literis profecturum se sperabat, non tamen in illorum auxilijs tantum spei ponebat, vt non & mediterraneos sollicitaret. Tantum nomen Lusitanum terroris barbaris facit. Hi reges hoc solo nomine nobis infensi, quod Christum colamus partim milite, partim pecunia eum iuuerūt. Præterea Coius Sofar in sinum Arabicū (vulgo angustias Mechæ vocant) ad propinquum quendam suum magnam auri, & argenti vim, literasque misit, vti Turcas, Arabas, Abessines, ex Asabebo, Suaca, & Iuda, quæ prouinciæ intra sinum sunt, extra vero ex Adena, vicinisque regnis fortissimum quemq; militem ad se mittendum curaret: quod ille summo studio, diligētiaq; non inuitus perfecit. Id robur exercitus fuit. at reges, qui oram maris Indici tenent, tametsi sua sponte à nobis deficere cupiebant, literisq; regis Cambaię mouebantur, belli tamen alieni euentum expectare decreuerunt: amicos, inimicosq; pro fortuna partium

tium habituri. Omnibus igitur rebus ad bellum comparatis, Rex Cambaiæ Sofarem potissimum elegit, quem summæ rerum præficeret. Nam præter opes ingentes, summamq; rei militaris peritiam, in eo vno homine par tanto imperio administrando autoritas inesse videbatur: ac nostrorum mores, & instituta optimè credebatur callere. Rex præterea non cessabat pollicitationibus animum hominis incendere: in præsentia se Dium illi ciuitatem opulentissimam dono dare: maiorem in futurum præmiorum spem facit, si nostros ex arce exturbaret. Sofar accepto imperio tormēta, commeatus, arma, ceteraq; belli instrumenta in loca maxime idonea, nostroque præsidio propinqua contrahit, tirones ducibus externis, & veteranis militibus exercendos distribuit. Belli gerēdi principium in hyemem differt: cuius initium sub illo cęlo ad Cal. Aprilis est. hac enim ratione satis prouisum videbatur, ne à prætore nostro, qui Goæ (ea velut indiæ regia est) plurimum habitat, ibiq; conuentus agit, auxilia mitterentur. Nam sex integris mensibus hybernis mare tempestatibus clausum non sine maximo periculo nauigatur: facile per id tempus arcē expugnari posse credebat. Arcitum præerat Ioannes Mascarena Vir genere, factisque clarus, magno rei militaris usu: aderat & in periculis obeundis animi magnitudo,

tudo, & in præcauendis infidijs prouidentia, & in militum animis tractandis prudentia, vt nullam bene gerendæ rei spem ex temeritate, aut segnitie ducis hostes sibi promitterent. Sed vix ducentos tum milites habebat quorum virtuti nõ solum illius arcis, sed totius Indiæ defensio, salusque innitebatur. Sofar ergo, quem nihil eorum quæ apud nostros agerentur latebat, & si instante hyeme maturandum videbat, tamen vt eadem simulatione qua hætenus vsus fuerat, belli consilia, quoad posset, occultaret, literas beneuolentiæ plenas in hanc fere sentētiam ad Mascarenam scribit. Dium sibi à rege Cambaiæ donatum, se eo breui venturum, eoque libentius, quod bonã spem haberet, amicitiam inceptam mutuis ex propinquo officijs arctius coiturã; sibi in animo esse ciuitatem alioqui nobilem, & opulētam augere, amplificareq; rebus omnibus: velle eam munire commeatibus, & viris fortibus: non quod de bello quicquam cogitet: sed nõquam melius pacem conseruari, quam belli instrumentis. orare ne secus de se cogitet si munus regium magni æstimare videatur; ex opulenta, celebrique ciuitate maiora emolumenta posse capi, quam ex inope, & deserta: denique se, & quæcunq; chara haberet deuouere, omniaq; dira sibi imprecari, nisi regis Lusitanorum causa, cuius maiestatis conseruandæ se studio-

sum asseuerabat, mallet ciuitatē nobilitare, quā sua, se fœlicē, ac beatum, cui nūc demum contigisset, quod tam diu, ac tantopere optauerat, vt eius consuetudine liberè frui posset. Orare ne animum syncerum, ac beneuolum aspernetur. Bello igitur vt ipsi videbatur, satis commodè dissimulato, magnam hominum turbā commeatus in urbem inferre iubet. hos statim secutus circiter finē mensis Martij, præfectus aliquot cohortiū Turcicarum. Is & si haud dubia iam imminētis belli indicia palam erumperent, quoad potest tamen rem præclarè dissimulat, nuntijs literisq; ad Mascarennam velut amicum missis. Ille, vt erat animi perspicax, & ad omnes hostium conatus semper intentus, statim fraudem præsensit, & quamquam manifestis indicijs bellum apparari palam esset, tres exploratores, qui hostium mores, & linguam callerent, in ea oppida dimisit, in quibus rex fere versari solet, hi rebus diligenter inuestigatis, hostiumque consilijs planè exploratis, cum viderent curribus bellica tormenta, cæterumque apparatus Inangen, Surratemq; inuehi, omnia militari tumultu perstreperè, omni ope bellū parari renunciarunt. Quibus rebus excitatus Mascarenna nō oscitanter de summa rerum cogitandum ratus, iubet quam primum architectos omnes, fabrosque, & cæteros varij generis opifices,

opifices, qui vicina domicilia habebant, in arcem ingredi: omnia tabulata, tigna, trabes, malosq; nauium introferri. Interea ineunte Aprili, alia militum manus à Sofare missa in urbem ingreditur. is pacis simulandæ finis fuit. horum enim militum petulantia & contumelijs omnis prorsus ex animis sublata est dubitatio. Iam Mascarenna rebus necessarijs pro temporis angustia prouiderat: rei frumentariæ in primis cura habita Orizæ magnam copiam, nam ea loco panis Indi vtuntur, aliosque commeatus, quæcunque deniq; arci tutandæ idonea videbantur, quoad fieri potuit, diligenter comparauit. Mercatoribusque Lusitanis, qui uxores ibi duxerant, imperauit, vti quam quisque posset maximam commeatum vim in arcem aduehi curaret. sterilitatem imminentem causabatur: periculosam utique præsidijs annonæ caritatem: ærarium regium iam exinanitum: æquum esse vnumquemq; pro facultatibus priuata pecunia regem ad tēpus iuuare: se id ipsum perlibenter facturum, mutoque accepta pecunia commeatus aucturum: quod ab omnibus sedulò, ac liberaliter prouisum est: nec tam liberaliter tamen, quin & frumentum, & carnes, piscesque deficerent. Nam cum Dienses ciues intellexerunt aliunde coemi, compararique non posse, necessaria suppeditare recusarūt, circiter ducenti milites, vt diximus, in arce inuēti sunt,

cætericum exoluendis stipendijs pecunia in ærario minimè suppeteret, in alias regiones passim dilapsi sunt, & hos qui remanserant, Mascarena multis iam antea beneficijs deunctos illa veterum meritorum gratia potius, quam pecunia retinebat. Iam literas ad Ioannem Castrum Indiæ prætorem, & ad Bassaimi, & Chauli præfectos summa diligētia miserat: vti quamprimum auxilia mittenda curret: rem, nisi breui subuētum sit, fore in maximo periculo. Rebus igitur pro præsentia copia quantum prouideri poterat, paratis, cum iam, Sofar, cum reliquis copijs vrbi appropinquaret, cum paucis illis præsidarijs se ad bellum parat: quod in Sofaris aduentum modo dilatatum videbatur. Decima octaua Aprilis die Sofar ingenti multitudine stipatus, summa ciuium exultatione velut triumphās Diū ingreditur. Aderat vnà Rumicā filius, quem machinis, tormentisq; bellicis rex præfecerat. Sequebatur præter militarem turbam, ingens alia colluies, supra triginta millia hominum sine armis baiuli, & calones, ac rerum bellicarum vilioribus ministerijs tantum vtilis. sed robur totius exercitus Turcæ erant, quinque millia selectissimorum militum: è quibus quadringenti sclopetarij. Cū his copijs vbi Sofar in regiam venit, Mascarenam arcis præfectum de aduentu suo certio rem facit. eadem fere denunciari iubet, quæ

quæ antea literis mandauerat. Mascarena vicissim, & si minime ignorabat, quo animo hæc dicerentur, tempori tamen seruiens, per Simonem Feum earum cōtrouerfiarum iudicem, quæ de portorio oriuntur aduentum gratulatur, quem Sofar perhumaniter accepit, summam erga nostros benevolentiam vultu, verbisq; præferens, præfecto eum renuntiare iubet, se nihil magis habere in votis, quā vt pax perpetua inter suos ciues, Lusitanosq; coalesceret, & conseruaretur, id vt succedat ex sententia, magnum in eo momentum esse, si firma, rataq; permanerent, quæ inter regem, & Garciam Noronnam pro regem Indiæ conuenerant: ibi disertè cautum esse, vt inter arcem, oppidumq; murus conderetur: quæ res neutris damnosa videretur futura. hæc, vt mandata erāt, renūciata, Mascarena ad concilium retulit, vna omnium sententia fuit, ne rumpendi fœderis occasionem præbuisse viderentur, vt tabulas, quibus pacta, & conuenta continerentur, ad Sofarem mitterent: se omnibus quæ ibi cauta essent perpetuo staturos, ac ne latum quidem vnguem ab his, quæ pepegerant, recessuros. Ita regi suo placere ab eoque diligenter ipsis imperatum, vt omnia vti scripta essent ad amissim seruarentur. si murus ille, vti cautum est procul ab arce ædificetur, se non modo eos non morari, sed quam possent opem la-
turos.

turos. Verum si ad eum locum ædificare pararet, à quo Emanuel Sousa cognomento Sepulveda, illos iam antea opus aggressos deturbauerat, id se minimè passuros. ad hunc nuncium homo animi impotens bene dissimulatum ad eum diem odium prodit: tabulas minutim cõserpit: Simonem Feum, qui eas attulerat, comprehendi iubet: duosque milites Lusitanos, qui forte fortuna iuxta arcem inambulabãt, arreptos in vincula conijcit. toto enim superiore triduo mittẽdis vltro, citroque nũcijs nihil aliud moliebatur, quã vt ex nostris quã plurimos pacis ostentatæ fiducia incautius agentes exciperet. quod nisi Mascarena diu antè prouidisset, ea res in multorum vertisset perniciem. Pace igitur, vt dictũ est, à Sofare turbata, violatisque fœderibus, in oppido repente tumultus exoritur, ac trepidatio. ad arma ab omnibus partibus conclamatur. ductor quidam manipularium è gente Braminũ, (sunt qui Brachmanas putant), cum expedita militum manu primus aduolat: sclopetisque, & omni missilium genere in arcem iaculando aperte iam bellum exorditur. Fit maximus vndiq; aliorum cõcursus. Sed antequam ad oppugnationem aggrediar, pauca de situ arcis prius dicenda videntur. Ea in præaltæ rupis tenui velut lingua procurrat: duabus partibus flumĩne, ac mari alluitur. Tertiam, qua urbem

urbem spectat, fossa ingens, ac murus, septẽque turres modicis interuallis muniunt: quæ ferè omnes à diuorum nominibus nuncupatæ sunt. In fluminis ostio medio fere alueo rupes prominet: ea quoq; à nostris imposita turri ita munita est, vt fauces amnis hostibus infestas, nostris tutas reddat. nam inter arcem, ac turrim nauibus nostris statio est: sed tum demum onerandis aut exonerandis comoda, quam diu æstu non reciprocante mare tranquillum est, alterum præsidij latus mare habet vadofum, aut in certis gurgitibus præaltum, equiti, peditique, & nauibus iuxta imperuium. Arcem igitur vel natura loci, vel munimentis vndique tutam aggressi ab ea parte, quæ ad urbem versa est, qua sola adiri poterat, oppugnare incipiunt: ea potissimum regione, qua ad oppidum Mahometanorum, quod illi Rumeum appellat, itur. Ibi enim tumulus loco cæteris magis edito, ad iactum fere sclopetæ assurgit, ex quo pars maior arcis apparet eo in loco, anno. 1546. vicesimo primo Aprilis die, biduo ante eum diem in quem forte inciderat memoria, ac celebratio mortis Christi, vbi primum illuxit, magna nostrorum admiratione turris apparuit, noctis vnus opus: lapidibus, non calce, bitumine ve coagmentatis, sed temere in cumulũ congestis, nisi quod maceræ instar frontes exæqua-

uerant.

uerant. ingentes gossipij sarcinas pro pinnis obijciunt: quibus tecti, à tormentis nostrorū prope tuti erant, ab hac turri velut arce altera nostram arcem maximè infestabant. præfectus vero Lusitanus quantum in re subita poterat, omnibus circumspectis, turreis suis tuendas distribuit, vt quisque fortitudine, ac prudentia præstabat, locis vnde plus periculi erat, præficit. Iacobæam turrim, quæ olim à Rumeis condita fuit, Ioanni Almeida, alteram ei propinquam Alfonso Bonifacio committit: Thomæam turrim magnitudine, ac pulchritudine ceteris magis conspicuam, Ludouico Soufæ tradit: eam verò, quæ in sphæristerium prospicit, Antonius Freirus tueri iussus. Georgianam quæ nouæ portæ imminet, Antonio Passannæ vetus propugnaculum, quod magnitudine cum eo quod ad portam rupis ædificatum est non est comparandum, Ioanni Viicino. maius autem illud alterum propugnaculum Antonio Rodrico qui fortiter, strenueque dimicando ibi cecidit, credidit. Fernandum Caruallum turri, quæ in æstuario fluminis sita est, præesse iussit, ei triginta milites dati. Turribus omnibus in hunc modum distributis, ac militibus in eas pro præsentis copia diuisis, reliquam manum sibi seruat velut in subsidijs, cum qua quocunque res posceret, ad repentina pericula occurreret. Verum antequam dimisit, præfectus

fectus paucis pro tempore eos allocutus est. Se non illis ducem datum, sed Christum immortalem, & omnipotentem deum. tantiducis fiducia bene de victoria sperandum esse, qui nullo milite, nullis armis, sed solo ipso nutu, nō modo exercitum illum: sed omnes mortalium vires posset superare: omnes hac spe, fiduciaque pugnare oportere, vt diuinitus sibi auxilia non putent de futura: Sese verò iam animo præfagire victoriam, quam pro certa habeat. Quod autem sibi nonnulli forte persuadent commodius, & ad salutem tutius, id ego, inquit, non modo fcedum, & flagitiosum, sed longe omnium perniciosissimum reor. Quanto enim satius est gnauiter, ac strenue dimicando gloriose occumbere, quam se turpiter dedendo tormentis lacera-ri: crudelissimo, fcedissimoque mortis genere obtruncari? Id vnum à vobis commilitones peto, vt & religionis, cui nomen dedistis, & Lusitanorum gloriæ, & vestræ, maiorumque vestrorum virtutis vobis in mentem veniat. Cum eo autem hoste rem esse cogitate, cui præter perpetuum Christiani nominis odium, nec fides sit in promissis, nec in victoria modus, nec erga victos vlla clemētia. belli verò id genus esse, quod violatis fcederibus, contra omnis diuini, atque humani iuris contemptores, inuitii, ac multis, magnisque iniurijs, lacefliti, suscipimus: in quo vince-

re gloriosum, mori certa salus est, vinci, non minus perniciosum, quam turpe, ac dedecorofum. nolite per deum immortalem quæ maiores nostri virtute animiq; magnitudine obrinuerunt, ignauia, torporeque de manibus amittere: vestramque vitam, vel falsa spe salutis, vel turpi mortis formidine, in presentem perniciem precipitare. Hæc Mascarenna, tametsi capiti omnium imminere vltimum discrimen videbat, presentis animo locutus, primus ipse labores aggreditur: primus pericula obit: militis, & imperatoris uti res, tempusque postulabat officio fungitur. Reliqui confirmatis animis ad vltima perferenda in sua quisque præsidia abeunt: ac statim omnes operi accincti centones, ac sarcinas in summis turribus disponunt: terram accumulât. plena etiam dolia inter pinas collocant: vt minore periculo in hostem iacularentur, seque à sclopetarum ictibus facilius protegerent: nondum enim maioribus tormentis certabatur. Postero autem die, quam illa turris, cuius supra mentionem fecimus, ab hostibus ædificata est, alia ad orientem spectans, atque item tertio die alia, opus incredibili celeritate confectum, nostris apparuit. hæc leni in collem quendam cliuo ascendebant: eadem omnes materia, & muniendi genere, & forma extructæ: stationes, speculatoresque ad eas custodiendas dispositi:

positi: qui & muros ferirent, & arcem vexarent. Hoc opus, vt dixi, cæteraque de nocte summa cura, ac labore expediebant: interdum autem ab opere cessabatur. nostri enim, si quem de die munientem, aut aliquid operis molientem conspicati erant, idoneis locis dispositi, aut interimebant, aut male multatum dimittebant. Itaque nox operi destinatur: diem verò cætera turba reficiendis corporibus, milites oppugnationi dabat. & quo facilius nostrorum paucitatem multis simul obeundis fatigarent, pluribus simul locis inuadere statuunt. Erat in statione nauis Indica, ingenti magnitudine ancoris, retinaculisque alligata. hanc omni bellico apparatu instruunt: turres in ea complures excitant: amphoras, aliaque vasa pice, ac sulphure plena, hastas, sagittasque ignitas præparant: machinamque ex altitudinis erigunt, vt turrim, quam in mari sitam diximus, æquaret: vt cum æstus ex oceano relaberetur, potestatemque nauigandi faceret, eam turri ad mouerent, nostrosque milites æquato iam certamine, igni, tormentisque submoueret, ac propugnaculis propelleret: ita facile, peruiumque sibi aditum fore, superante præsertim multitudine: quippe cum triginta solum turri tutadæ milites adhibitos sciret: quos opprimere difficile non esset: Atque hac via mari nostris intercluto facile sibi de reliqua arce victoriam præmittent:

bant. Nostri cum è summis turribus tantum huius machinæ molem crescere cernerent, ad præfectum perferunt. is id quod erat facile cõijciens, duas Catures, ita enim leuia quædam nauigia appellant, quæ remis velocissime agantur, parari iussit, Remigibus Guzuratib. vinctis, nec enim qui munus illud obirent alij aderant: viginti milites Lusitani impositi, Iacomo Leiteo oræ maritimæ circa Diu præfecto parere iussi. ac iam omni apparatu ad incendium faciendum comportato, nocte intempesta soluūt, & flumē ingressi ita cursum moderantur, vt quam minimo remorum sonoper silentiū applicent. ignem in funiculis latētem, ne fulgor eos proderet, sub vola manus occultant: nec tamen excubias fallere potuerunt. Nam Sofar cum præfecti nostri summam vigilantiam semper suspectam haberet, atq; omnia quæ in nostros machinaretur, in suorum perniciem verti cerneret, neque vllum tam occultum suum esse consilium, cui non Mascarenna multo antea occurreret, ad omnes arcis aditus vigilias idoneis locis collocauerat. Nauis autem siue quia tam longe ab arce aberat, vt clam nostris ædificari posse existimaretur, siue quia nostros non putabat commissuros, vt pauci in tam manifestum periculum se conijcerent, præsertim cum nulla ab illis ad eū excursio in munientes tentata esset, vt in tuto

incu-

incustodita erat. Sofar igitur cum iam forte circumiret vigilias, primus Catures animaduertit, ac tintinabulo signum dari iubet: sclopetarumque sonitu militē excitari. Ingens hominum multitudo vndique accurrit magno passim tumultu, ac trepidatione: cum semisomnes, ac in tenebris sibi occursantes nō intelligerent cui rei signum datum esset. verum vbi nauiculas viderunt, toto litore clamor oritur: passim discurretes sclopetas exonerant: atq; omni missilium genere nostros petunt. nostri tanto vehementius festinare, remiges hortari, quanta maxima possunt celeritate per medios sclopetarum globos præfenti animo euadunt: & ad nauem, quæ non longe à regia in ancoris stabat, applicant. Sulphuris amphoras, aliaq; incendiorum fomēta ingerunt. ibi res inopinata omniū animos nouitate miraculi attonitos pene consternauit. nauis enim cum summo omnium stupore contumax aduersus incendium illæsa permansit. id inceptum vbi frustra viderunt, se mutuo cohortati in nauem aliquot insiliūt: anchoralia incidunt: funes in Catures conijciunt. ac remulco in id spacium quod inter arcem ac turrim est, machinam pertrahunt. Ibi hostium inspicientium summo cum dolore, & indignatione eam comburunt. Tātus eius incensæ fulgor terra, mariq; late reluxit, vt per aliquot noctis horas, vsum diei præberet.

Cc 3

Hæc

Hæc res hostibus spem omnem ademit maritimæ oppugnationis. in hoc tam audaci, ac prope temerario incepto, si quando alias, manifesta uis apparuit. nam cū pauci per tantam hostium multitudinem, ubi nullum incidere vanum telum posset, irent, ac redirent, vnus tantum è nostris leui, nec admodum periculoso vulnere fauciatus est: tribus igitur, vt dictum est, turribus totidem noctibus ædificatis, magno conatu reliquum opus festinant: murum ab ipsis turribus ad mare vsque magni laboris opus producere conantur: gossipij sarcinas, doliaque terræ plena superimponunt: quibus tecti nostros tutò ferire possent. Eius operis continuandi magnam eis facultatem id præbuit, quod in arce pulueris sulphurei octoginta duntaxat doliola erant: quæ vix mensis vnus spacio suffectura videbantur, si largiùs ad omnia periculorum momenta puluere vterentur. Itaque milites moniti vt parcè, moderateq; consumerent: & ad tempora magis necessaria quantum possent, reseruarent: propterea quod obsidionē sine vlla spe auxilij sex mensibus hybernis duraturā putabant: quod per id tempus, vt antè demonstratum est, mare crebris tempestatibus, ac ventorum vitoncitatum propemodum sit innauigabile: terrestria autem nulla expectabantur auxilia, propter viarum difficultates, & itinerum longi-

longitudinem. præterea reges, qui interiora Indiæ loca tenent, ob diuersum religionis cultum nomenque Christianum nostros grauitè oderunt. itaque aditus copijs nostris intercludunt, & omnibus incommodis persequuntur. Cū igitur omnium rerum ea difficultas esset, accessit præterea rumor ille passim diffusus, classem Turcarum cum maximis copijs in subsidium venturam, aut proximo mense Maio, aut ad summum, Septembri. hæ enim ex Arabico sinu in Indiam nauigantibus commodæ sunt tempestates. Itaque ad hæc tam periculosa tempora puluis reseruatur: nec in impediendo opere, nisi magnis bene gerendæ rei occasionibus consumitur. Nostri enim in id modo intenti erant, vt opus impedirent, nunc sclopetarum ictibus, tormentisq; molientes submouèdo, nunc extructa diruèdo. Sed nec hac ratione multum profici poterat: quod hostes superante multitudine, quæ deerant ædificarent, & diruta subito restituerent. Huiusmodi oppugnationis velut præludis iam mensem Aprilem, bonamque Maij partem contriuerant. Decima octaua eius mensis die septem nauigia subito apparent, quæ remis incitata recto cursu in arcem tendebant: illis hostes omnia tormenta opponunt: cursum quo ad fieri potest impediunt: obsistētibus tamē nostris in arcem excipiuntur. his præerat

Fernādus Castrus, filius natu minor Ioannis Castru Indiae praetoris, hunc plures naues sequebantur: caetera ventorum vi, ac tempestatibus disiecta Bassaimum tenuerunt. Harum septem nauium praefecti, viri excelso loconati, virtuteq; insignes fuerunt: Iacobus Reinus, Franciscus Almeida, Petrus Lopes, Iacobus Sylua, Antonius Cunna, & Georgius Vasconsellus, quem praetor, antequam de oppugnatione arcis Diensis certior fieret, duabus nauibus oram maritimam circumuehi & explorare iusserat. horum aduentus magnam fiduciam ac prope certam victoriae spe praesidiarijs fecit. Initur militum numerus, quadringenti, & quinquaginta in arce fuere: omnes fere splendore nobilitatis illustres, multi equites, & qui in aula regia honestum locum obtinerent: omnes militaris disciplinae periti, & sclopetis tractandis egregie exercitati. hi in supplementum per turres diuisi; ea quae diui Ioannis vocatur, quae omnium infirmissima turris est, Fernando Castro cum milite selectissimo custodienda traditur. Caeteri ut praefecto visum est, pro cuiusq; virtute distributi. nec quemquam sui periculi respectus ad imperium detractandum compulsi. excubiae intentissima cura factae. singulis vigilijs quinquaginta milites, interim etiam plures excubabant. Hi assidue munitores iaculando infestabant, nec vllum fere telum

in

in tanta multitudine vanum cadebat. & quamquam, ut ex Iuzarcane captiuo postea cognitum est, incerta illa per tenebras iaculatione, magna, & prope incredibilis multitudo perierat, alijs assidue succedentibus opus crescebat. nec tam animum hostibus minuit aduentus nostrorum, quam pertinaciam auxit. Itaque ad copias terrestres multarum nauium classem adiiciunt, quae oram maritimam circumuectae in aliquot naues longas incidunt, quae a Chaulo, & Bassaimo com meatum in arcem comportabant. haec vna cum vectoribus interceptae. Interea opera circa arcem confecta erant. Murus per hortos praefecti ductus, quae Iacobaea turris imminet, ad iactum sclopetae ab arce distabat. Alter ex transfuerso factus. hos muros ita ad arcem prope ad mouerant, ut nostrorum tormentorum ictus, quibus ex longinquo maior impetus, & vis est, non adeo multum illis officerent: & iam omnis pugna prope ad manus venerat: neque quisquam aut hinc, aut illinc sine certa pernicie se ostendebat. terra, marique inter hos magnarum rerum conatus melis, Maius finitus est. Ineunte Iunio rex Cambaiae cum nouo exercitu urbem ingreditur. Nostri, & ex hostium tumultu, & gaudio, & concursu numerosae supra solitum multitudinis, id quod erat, suspicati sunt. Praefectus arcis Fernandum Caruallum, qui turrim quae in

Cc 5

mari

mari sita est, tuebatur nocte proxima exploratores emitere iubet, qui vnum, aut alterum ex hostibus rapiant: è quibus, & noui gaudij causam, & consilia inimicorum scire posset. sex milites ad id electi, notæ fortitudinis, & audaciæ. ij in stationem vigilum proximam (ea quinquaginta hominum erat), impetu facto, vnum ex his vi secum in turrim pertraxerunt: nonnullis ex suo numero amissis Is & regis aduentum, ac belligerendi consilia aperuit. Postridie nostri omni genere tormentorum, tubarum insuper sono quantum possunt, strepitum excitant: ac per nocturna colloquia militum inuicem probra iactantium, (multi. n. hostium diuturno cum nostris commercio Lusitanum sermonem callebant) indicant, se regis excipiendi causa ea fecisse. eius aduentu se gaudere: ac nunc denique non cum hominum colluue, ignobiliq; turba rem sibi fore, quam hostem vocare puderet, sed cum rege, ac regio exercitu bellum legitimū, honestiorem victoriā, ac prædæ spem certiozem. Illi contra nostris vincula, supplicia, ac omnia seruitutis dedecora minari. Hæc per noctem vltro citroq; iactata. vbi illuxit: in muro, quæ per vallem è regione turris Iacobæ duxerant, tres restudines ingentes apparuerunt, vndique diligenter munitæ. in has basiliscos duos, spallafatum vnum, & complura minora tormenta

menta conuehant: quæ per muros disposita ita vineis tegebantur, vt hostes velut è tuto iaculantes, omnia nobis infesta facerent. Thomæam potissimum, & Iacobæam turres, & quod inter eas muri erat, ita crebris atque ingentibus globis feriunt, vt adictus mœnium cum terribili sonitu editos, omnia statim ruitura viderentur. Huic ergo parti Mascarenna in primis succurrendum ducens, accurrit: aliumque interius murum viginti pedes latum, ex ruinis ædificiorum quæ in arce erant, obijcit. has enim necessitates iam animo ante prospiciens, plurima in arce ædificia diruerat, vt lapides, aliamque materiam ad omnes casus opportunam haberet. Præfectus ipse cum cohorte nobilium primi manum admouet: horum exemplum alij secuti continuatis nocte dieq; operibus, indefessis animis, ac corporibus sexto die opus perficiunt. Basiliscum vnū, ac Leonē in Thomæa turri aduersus hostium castella obuertunt: omnesque eorum conatus, quantum consilio prouideri poterat, frustrantur. Illi interea pertinaciter instare, muros concutere, ac pinnas detergere: & iam Thomæam turrim pene mediam diffiderant, magna nostrarum, qui intus erant trepidatione, maiore etiam periculo: cum ad ea potissimum loca concursus fieret, quæ infirmiora viderentur: & ytriq; velut signo dato, ad omnem ruinam

ruinæ sonum aduolarent: ac pari pertinacia hi ruinas defendere, illi superare contenderent, ac alij aliorum opera nouo semper aliquo commento turbarent. Itaque cum nostri neminem hostium sine præsentis pernicie in muris consistere paterentur, tormenta sua in fenestras arcis, per quas nostri iaculabantur, collimant: eo consilio, ut bombardarios machinas onerantes opportunos ictibus haberent. & erant hostes ea iaculandi peritia, ut quodeunque signum animo destinassent, facile ferirent. Erat ea tormentorum vis, & magnitudo, ut tabulata à nostris ad fenestras obiecta, perfringerent, fragmentisque passim disiectis, multos vulnerarent, nonnullos occiderent, ne quicquam tutum paterentur. Igitur cum nostri multimoda arte eluderent, atque inuicem eluderentur: multiq; circa tormenta, ac fortissimus fere quisq;, vulnerarentur, commodissimum id visum est, ut pulueré, & globos Guzarates, Bragiq; nautæ immitterent, ignemq; admouerent: milites vero ad magis necessaria tempora se reseruarent. Cū circa Thomæam res in hoc statu essent, ne quid vsquam nostris tutum finerent, aliam oppugnandi rationem ad Iacobæam turrim tentant. Ibi enim cum extrema pars muri paulo cæteris editior esset, mortarium ingenti magnitudine admouent, qui globum

oçto

oçto in orbem palmorum mittebat, ac paucis diebus triginta globi in turrim iacti sunt, maiore nostrorum terrore, quam damno: quippe qui assidue ingentem molem omnium capitibus impendentem prospicerent, quæ solo pondere, non solū corpora, ubi incidisset, comminueret, sed ædificiorum tecta perfringeret, ac fragmentis late volitantibus omnia circum infesta redderet: & quam toto eo tempore nemo vulneratus esset, nihilominus trepidabant: cum se casu magis, quam consilio incolumes viderent. Huius malivnum remedium fuit æque fortuitū, quod Bombardarius, homo singulari in hoc genere peritia, temere emisso telo interemptus est. huic successit alius pari fortasse nocendi animo, ac voluntate: arte tamen, ac fortuna dispari. nā globi omnes, quos in nostros destinauerat, in sua ipsorum castra cadebāt. mortario itaque illo carere maluerūt, quam in suam abuti perniciem: nihilo tamen remissior erat oppugnatio. tanta enim omnis generis tormentorum copia muros instruxerant, tantus artificum numerus, tanta erat peritia, ut neminem nostrorum in muris consistere paterentur. Puluis autem sulphureus quo utebātur, tam purus erat, tamq; subtilis, ut Canis æreus, quod tormenti mediocris genus est, terræ dolium transmitteret. Cum dies iam complures in hac parte arcis oppugnan-

pugnan-

pugnanda frustra consumpti essent, de alijs oppugnandis turribus consilium ineunt. 13. Iunij dies agebatur, cum è regione turris, cui Antonius Freirus præerat, duo Castella de nocte excitata, mane conspecta sunt. in his singuli Basilisci erant: extra verò in proximo mortarium ingensq; aliorum visus tormentorum. Hæc omnia Diui Io. turrim spectabant: quæ, vt supra meminimus, omnium erat infirmissima, & loco, & structuræ genere: quippe ab alijs semota longius, & grauioribus faxis, nec optime coagmentatis ædificata: quod inter illam & Iacobæam muri erat, concutere cæperunt. neque alijs tamen locis cæptam oppugnationem omittunt. & vt nostrorum paucitatem plurib. simul prælijs distinerent, quatuor partib. simul aggrediuntur. accendebat hostiũ animos Rex præfens, fortitudinis, atque ignauix spectator, ac testis. Nostri tanto vndique circumfuso terrore, iam præsentis vitæ spem omnẽ proiecerant, & alienato à periculis animo ad immortalitatis cogitationem toti se conuerterant: ac iam vitæ futuræ fructus animo percipientes, in extremum se discrimen parauerant. Vna res eos continebat, ne in præsentem se perniciẽ præcipitarẽt, quod arcem sua morte prodi hostibus videbant: ex cuius incolumitate, ac tutela, omnium qui in India erant, Christianorum salus pendeat: Itaque

cum

cum hinc spes, hinc desperatio animos accenderet, tanto ardore vtriusque partis concursus est, tanta contentione certatum, vt omnia superiorum dierum prælia, omnis oppugnatio, cum hac comparata, leuis, ac segnis videretur. Nullum illa die tormentum ociosum fuit. Mortarium, quod ad summum quater vno die exonerari solebat, septies in arcem globos misit. Parique vtrinque animorum cõtentione certatum est: nostris nullum momentum in aduentu regis esse, ostendere conantibus: illis in eius oculis iam de abitu cogitantis operam nauare cupientibus. Rex enim cum lentiolem sua spe, ac aliorum promissis, oppugnationem cerneret, nostrorũq; obstinatam ad moriẽdum pertinaciam etiam timeret, ne quod maius facinus ex desperatione auderent, se in tutiorem locum recipere decreuerat. Principes etiam aulici, studij, & amoris erga regem prætextu, suum occultates metum, suadebãt, vti rerum summæ consuleret. Non enim esse prudentis regis officium tam periculosis prælijs interesse. exercitu amisso alium cogi, compararique posse. siquid regi accidisset, in eius salute non exercitum modo, sed vniuersum regnum periclitari. His, atq; alijs huiuscemodi rex permotus, Iuzarcam in castris reliquit, cum Abessinum copijs, virũ, quem vt propter eximiam prudentiam in rebus

rebus

rebus gerendis plurimi faciebat, sic ob sua-
uissimos mores, & intimam familiaritatē in
primis charū habebat. Itaq; Madabam urbē
amplissimam, ac totius regni caput, se rece-
pit: vt hinc militem, pecuniam, com meatū,
ac cætera, quæ vsus belli postulat, suppeditaret.
Iam hostes omiſſa spe arcis per vim
capiendæ, operibus expugnare contendunt:
aggeres ita nostris muris admouent, vt tor-
menta nostris inutilia redderent. Ante Tho-
mæam ad sclopetæ iactum, lapidum con-
gestu, arborumque ramis, magno cona-
tu turrim ædificant. quod opus, cum nostri
impedire non possent, in immensam altitu-
dinem breui excreuit: adeo, vt arcem prope
adæquaret. Ea res velut oppressos coercuit
& à libero per arcem discursu maxime con-
tinuit. Erat enim hæc omnium turrium
longe fortissima, quam nostri à virentibus
arborum ramis Ramosam appellarunt. Ab
ea vtrinque muri brachia ad mare perducta.
& iam aliud immensi laboris opus dies, no-
ctesque intenti inchoauerant, vt Iacobæ-
am turrim, fossasque eius muro, & castel-
lis includerent. Mascarenna cum vnum pu-
gnandi genus videret superesse in operibus
impediendis, tormenta in alium, atque ali-
um subinde locum trāsserebat, vnde hostes
maximè infestari posse credebat & quia, vt
ante dictum est, noctes in opere hostes cōsu-
mebant

mebant, vt nostros in tenebris facilius late-
rent. ferrea candelabra, magnamque vim
lampadum ingentium passim disponit: è qui-
bus lumen late refusum, & castra, & o-
pera, & omnium hostium conatus veluti in-
terdiu nostris ostendebat. hac ratione o-
pus hæctenus impediabatur, vt è baiulis, ac
vilibus operis magna multitudo conficere-
tur. sed hac iactura hostes non magnope-
re mouebantur. abiecta enim, miseraque illa
mancia nullo vitæ, mortisque respectu fu-
stibus propellebant: ac si remissius opus fa-
cere viderentur, ferro plerumque sæuie-
bant. illi tāquam pecora in medio trucidati,
nostros, suosque iuxta timebant: ac metu sup-
pliciorum, & vitæ tædio plerumque se telis
obijciebant Inter hæc, mensis Iunius efflu-
xerat: nostrosque magis vires, quam animi
defecerant. nullus præteribat dies, qui non
paulatim exiguam manum carpendo immi-
nueret. indigenæ vero, aliaque seruitia, quibus
in tormentis promouēdis, ruinis murorum
obstruendis, aut cuniculis agendis vtebatur,
pene ad vnum perierant: aut ab hostibus cæ-
si, dum inter præliantes versantur, aut mor-
bis, quos ex continuato labore, ac peruigi-
lijs contraxerant, consumpti. Turris cui Ant.
Freirus præerat, item altera, quæ Ioan. Al-
meidæ commissa fuerat, vt semper hosti-
bus infestissimæ fuerunt, ita tum acerri-
mè op-

Dd

mè op-

me oppugnatae iam bombardarij logo belli
 vsu, ac periculis saepe obeundis audacio-
 res fieri, & milites diu inter tormenta ver-
 sati bombardariorum munus obire: cum
 omnium reru copia abundaret, quaru apud
 nos summam esse sciebant inopiam, & supe-
 rante multitudine integri fessis assidue suc-
 cederent, breuisperabant arcem aut con-
 ditionibus dedi, aut vi expugnari posse.
 Iam muros ad fossam perduxerant: ac e re-
 gione Thomæ turris ingentes fauces pa-
 tescerant: quas ita supratexerant, vt per
 eas tuto fossas implerent. Iam e turri diui-
 lo. pinnas absterferant: nec materia suppe-
 tebat, vnde nouæ fierent. Ipsa vero turris
 ita vndique labefactata erat, vt iam iam mi-
 lites oppressura videretur: & ramosa hostiu
 turris omni bellico apparatu instructa arcem
 æquabat. Aduersus hanc crescentem indies
 perniciem Mascarena iam animo pericu-
 lum prospiciens, non longe a sacris ædibus
 loco mari vicino tumulum excitat. huic
 castellum imponit, ex aduerso turris ramo-
 sæ. Huc ingentem Basiliscum, qui fauces por-
 tus tuebatur, aliamq; magnam tormetorum
 copiam transfert: quibus ita ramosam turrim
 cõcussit, vt & ipsa sua ruina custodes oppres-
 ferit, magnãq; muri partem secum traxerit.
 sic multorum dierum opus, in quo maxi-
 mam victoriæ spẽ hostes posuerat, breui præ-
 fectus

ctus ludificatus est. Hac spe ergo destitutis,
 vna ratio superesse videbatur, vt fossas imple-
 rent & per ruinas in arcem vi erumperent. A
 Thomæa turre orsi, quæ maxime tormen-
 tis lacerata erat, castella frequetia muro, qui
 fossam contingebat imposita, alius murus
 viginti pedes ab hoc distans, totidem in alti-
 tudinem surgens eodẽ perducitur: inter hos,
 ex transuerso alios ædificant flexuoso circũ-
 actu, & velut imperuios quosdam angipor-
 tus: in quos si nostri irruptionem tentantes
 ingressi essent, deprehensi, errore viarum cir-
 cumuenirentur. ad oram fossæ vineæ fre-
 quentes maioribus trabibus factæ: super inie-
 cti rami arborum, rubique: ac terræ ingestu
 omnia solidata, vt aduersus ingentia saxa, i-
 gnemque tuta essent. Anterior pars asse-
 ribus tegebatur: qui ferreis clavis compacti,
 in tecti speciem, ictus a superiore loco elu-
 derent. Superiniectum aduersus sclopeta-
 rum ictus multiplex e durissimis corijs te-
 gumentum. alia item ex tabulis structura
 ad oram fossæ acclinata: vt per tabulas in de-
 cliue prominentes saxa prouoluta, vltra me-
 diam fossam suo impetu ferrentur: spatium
 vero inter tectum, atque hoc tabulatum in-
 ferius, ita vndique opertum erat, vt qui lapi-
 des in fossam mitterent, a nostris conspi-
 ei nequirent. Ita vndique satis prospectu vi-
 debatur, vt operæ tuto commearent. Nostri

Dd 2

vero,

vero, cum nec erumpere ad opera deturban-
da possent, quippe qui turribus vix tuen-
dis sufficerent: & tormentorum iam nullus
esset usus: aliud commēti sunt remediū. Erat
inter duas turres, ad quastū maxime pugna-
batur, ad imam fossam in ipsa rupe, angu-
sta quædam velut crypta, lapidibus exteri-
us in muri speciem obstructa, hanc nostri
aperiunt, militibusq; intromissis nocte, dieq;
continuato labore, lapides in fossam missos
abstrahunt: per manus traditos in arcem
inferunt, hostibus nihil interea sentienti-
bus, vt qui prospicere in fossam nō auderēt,
nostris sclopetarijs ad omnia loca idonea
dispositis: & aurium usum abstulerat strepi-
tus materiæ in fossam coniectæ. Quatuor
diebus, totidemque noctibus in hoc opere
consumptis: cum alijs implentibus, alijs ex-
haurientibus fossam, mirarentur hostes cu-
mulum non excrecere, plumbi libramento
altitudinem fossæ explorant: ac labores suos
irritos, inanesque conatus Sofari referunt.
Ea res vehementer hominis animum per-
turbauit: non tam, quod præsens consilium
parum successisset, quam quod nihil se in po-
sterum machinari posse speraret, quod Mas-
carena non facile eluderet: neque forti-
tudine modo, & laborum patientia, sed con-
silio etiam se à Lusitanis vinci moleste fe-
rebat. Itaque anxius animi, cum multa se-

cum

cum versaret, neque quicquam eorum quæ
succurrebant, satis placeret, iam ingruen-
tibus tenebris homines linguæ nostræ pe-
ritos ad muros summittit, qui nostros ad
prælium prouocarent: Enimvero mulie-
rum more intra tecta conclusos solem, &
puluerē pati non posse: velut fractos delicijs,
& gloriæ militaris oblitos domi desiderere:
non ita maiores eorum, non nuper Anto-
nium Sylueiram ducem fortissimum bel-
lum gessisse, sed cōgrediendo cum hoste: nō
in munimentis, sed in manibus spem victo-
riæ gessisse: neque se tamen id militum, sed
ducis proprium dedecus credere: misera-
ri se fortunam tot virorum fortium, qui
ab homine imbelli constricti, & vincti
teneātur. suæ etiam fortis pigere, cui cum tali
hoste res sit, è quo victo nullam gloriam spe-
ret: victus, si modo vir à fœmina vinci possit,
in summo dedecore, & ignominia futurus
esset. Hæc ab eo iactata, vt militem laudibus,
ducem contumelia accenderet, vt se fortunæ
committerent. At Mascarena satis gnarus
quo hæc pertinerent, & alioqui aduersus am-
bitionem satis firmus, cum nulla in eruptio-
nibus spes esset, suos continebat, neque quic-
quam temerè aggrediendū censebat, eo præ-
sertim tempore, cum minima etiam peccata
in summā perniciē possent conijcere vniuer-
sos. Hac spe destitutus Sofar omnesq; conat⁹

suos

Dd 3

suos frustra esse cernens, adeo excauit, ut præ animi impotentia in conspectu exercitus lachrymas non tenuerit: quod postea coeptum est ex literis Emmanuelis Rodorici, qui tum Dij in vinculis erat: quas ad Ioan. Dabreum Chaulum misit. Eo tempore fossis implendis hostes intenti erant. quæ res ut dixi, cum parum succederet: Sofar, id quod erat, ratus materiam à nostris subduci, ipse murum conscendit, ut aditus nostrorum, per quos in fossam commearent, dispiceret. & cum intentis in fossam oculis, velut cogitandum in cubitum dextræ manus inniteretur, bombardam globo nequaquam in spem tantæ rei missa, capite cum dextra manu perfractis interficitur. Hic fuit Coij Sofaris exitus, & magni profecto imperatoris, & cui præter diuturnum rei militaris usum, multæ, magnæque virtutes & animi, & corporis adessent: quas omnes prava quædam ambitio corruerat: ac non solum suæ religionis desertorem, sed omnium Christianorum acerrimum hostem fecerat. nostris præcipue hominibus, & si sedulo dissimulabat, infensus erat, quod eos maxime spei suæ obstare videret. Itaque sæpe illam ex eo vocem auditam ferunt, fore ut à Lusitanis occideretur. Ex repentina Sofaris cæde tantus stupor omnium animos tenuit, ut toto postea triduo vix sex sclopetæ in hostium castris auditæ fuerint: cum antea ita assidue tormenta obstrepe-

rent, ut nec vocis, nec aurium pene usus esset. Cum interea velut pactis utrinque inducijs ab oppugnatione cessaretur, nostrique pro suo quisque ingenio eius rei causas cõiectarent, ecce fugitiuus quidam Bramin tam læti nuntij præmium sperans, ad nostros venit: Sofarem narrat mortuum: in castris tumultuari: militum maiorem partem obsidionis diuturnitate fessam: duces præterea animo concidere, quod omnia sua incepta eludi viderent: eamque nostrorum hominum esse patientiam, ut in finem hyemis obsidionem facile protraherent: hæc cum totis castris passim fremerent, se existimare breui discessuros: unum esse Rumicanem Sofaris filium, qui eos moraretur. Hæc insperata lætitia animos nostrorum recreauerat, tanquam in præsentia defuncti periculis essent: cum subito bellum longè vehementius exarsit. Rumican enim Sofaris filius viginti quinque annos natus, iam à pueritia Christiani nominis odio imbutus, domestica insuper calamitate accensus omni arte retinere exercitum contendit. ac principio cum palam reluctando se nihil acturum speraret, obsecundando paulatim impetum illum, & consternationem sedat: literas à rege expectandas suadet: neque integris viribus, ac saluo exercitu committendum ut potius fugisse, quam discessisse videantur. Interea ut quisque

autoritate apud vulgus pollebat, eorum se-
 orsum animos tentare: Interim apud singu-
 los opportuna temporis dicere, interdum se
 circulis inferere, ac multitudinis animos om-
 ni arte tractare: patrem quidem suum magnū
 ducem, ac fortem virum fuisse, sed vnum
 tamen hominem: ex cuius vita, aut morte nō
 modo eius exercitus, & regni Cambaiæ, sed
 totius prope orientis spes pendere, vniuersis
 quidem turpe, tot verò ducibus, qui in exer-
 citu superessent, etiam contumeliosum. nec
 ferendum, vt tot annorum apparatus, tot
 mensium opera, hostibus timidissimis, ac sua
 iam confessione victis sint ludibrio. Eo e-
 nim iam redactos, vt neq; progredi ad con-
 ferendam manū audeant: neq; latebris se di-
 utius protegere possint. quicquid erat pericu-
 li iam exhaustum, gloriam verò perfecti bel-
 li superesse. Itaque si quando alias, nunc a-
 cerrimè contendendum, ne eam è manib. di-
 mittant: cædemq; sui ducis, & commili-
 tonum vlciscantur: demantq; sui contemptū
 in posterum: & libertatem à maioribus reli-
 ctam posteris suis relinquunt. His, ac talibus
 sæpe audiendis confirmati militum animi,
 Rumicanem in locum demortui patris du-
 cem creant: ac literas opportunè à rege acci-
 piunt, quib; iubebat multo acrius oppugna-
 tioni insistere: neque pecuniam, neque com-
 meatū de futurū: se propediem nouū militem
 in

in supplementum exercitus missurum: præ-
 rogatiuam suffragij militaris de Rumicane
 confirmat. Igitur magno militum studio ce-
 lebratis exequijs Sofaris, maiore quam vn-
 quā antea cōtentione ad opus reditū. Diruta
 restituant, intermissa continuant, & si qua
 deesse videbantur, adiiciunt. Aduersus eam
 partem muri, quam maxime labefactaue-
 rant, frequentiora fiunt castella: vt inuicem
 sibi auxilio facilius esse possent, & pluribus
 tormentis murum citius diruant. Aduersus
 hæc, in turri Diui Ioannis duo Cameli op-
 positi, qui ex transuerso opera, quæ ad Tho-
 mæam fiebant deturbarēt. Eo enim tota vis
 hostium incubuit: ac ruinis turris Ramosæ
 duo castella erigunt. Eo comportati duo Ba-
 silisci, duo cameli, tres sphæræ, & iā his tor-
 mentis, quæ in turre Diui. Io. erat, omnem ad-
 nocendum viam obsepserant, & turrim cui
 Ant. Freirus præerat, propemodum totā di-
 ruerant, fossasque circa Thomæam assidue
 implebant: nostrorum vero militū cæsi non
 pauci: Ceteri aut vulnerati, aut morbis ex as-
 sidua fatigatione continuati laboris langu-
 di, vix arma ferre posse. præfectus tot malis
 vndique circumuentus vnam tuendam arcis
 spem habebat, si auxilia à prætore accepisset.
 Itaque ad eum scribit, quanta in difficultate
 versetur, quantaque celeritate opus esset; &
 ne forte, quia prætor longius aberat, id se-
 rum

rum auxiliū rebus perditis superueniret, literas ad præfectos prælidiorum in Bassaimo, Chaulo, cæterisque maritimis oppidis, quæ nostro imperio parent, mittit. cum his mandatis Ioānes Coellus ad Hieronymum Menesium, & Ant. Soufam speculatoria nauicula vehi iussus. inde à Chaulo terrestri itinere (nam mare hybernis tempestatibus imperuium erat) penetrare, lisdem ferè diebus quatuor millia Rumeorum, Abissinumque à rege Cambaiæ missa, magno reliqui exercitus gaudio tormentorum strepitu, tubarumque sono excepti. Ea res non modo spem victoriæ auxit, sed studia, & contentionem in opere faciundo accendit. præter catones, & baiulos mercenarios, vndique ex oppidis vicinis vulgi promiscui coacta turba, quæ materiam fossis implendis comportaret. Ea, ne sua multitudine munia confunderentur, diuisa: ac alij alijs ad signum tintinabuli succedere iussi: nunquam intermisso labore nostros vigilijs maximè fatigant. Ex hac turba, cum plurimi occiderentur, nunquam fere aberrantibus in tanta multitudine nostrorum telis. cæsi pro rudere, in fossam prouoluuntur: ac rursus alia iniecta materia operiebantur. ita cæsoforum multitudo exercitum latebat. Nostri quanquam subtrahendæ materiæ non sufficerent, tanta tamen erat amplitudo, & altitudo fossæ,

vt om-

vt omnia ligna in eas iniecta velut profunda voragine hauſta minime celeriter pro spe hostium cumulus cresceret. Itaque brachia murorum, & aggerem, quem tanto labore perduxerant, eodem deiciunt: arboresque vndique cōuectas, ac præcipue palmas (quarum ea regio feracissima est). Et iam trabibus aditum occultum nostrorum in fossam obstruxerant. Itaque nullo impediēte opus paulatim crescebat, breuique fossam impleſſent, nisi præfectus animaduerso materiam magna ex parte ligneam esse, atque incendio opportunam, tria dolia pice sulphureque plena in fossam conijecisset: atque immisso igne ingens latè incendium excitasset. aduersus hæc hostes velut id quod euenit veriti, amphoras fictiles aqua plenas ingerunt, quibus fractis aqua effusa magis flammā quam incendiū restinxit. nam cū in materia viridi conceptus semel ignis pertinacius hæreret, paululum aquæ iniectu sedatus vehementius exarsit: atque ingentem cumulum, qui iam fossæ altitudinem pene æquauerat, subito in puluerem redegit: qui ita subsedit, vt restincto igne vix tanti laboris, ac operis tandiu continuati vestigia apparerent. Neque segnius tamē eo damno accepto in proposito persistunt: vnamq; spem victoriæ in fossis implendis positam existimant. Igitur totam mercenariorū manū, quæ multitudine

pene

pene incredibili erat, cogunt: ac distributos in certos ordines, terrâ, lapides, & quicquid occurreret præ se agere iubent. Iamq; ad orâ fossæ ea moles promotâ erat. sed veriti ne q̄ prius euenit accideret: nouâ excogitât machinam: equos vocant, trabes ingentes inter se compactas multiplici ordine coriorû tegunt. sub his tuti aggerem promouent. deinde vbi eorum altitudinem terra æquasset, alios, atque alios super aggerem nostris obijciunt: & quo minus opus impediretur, ex omnibus oportunis locis ita tormenta intonabât, vt omnem prospectum nostris adimerent, nisi si quem flamma inter fumum emicans dedisset. Sed præfectum non tam consiliû de implendis fossis perterrebat, quâ occulta consilia metuebat: ad quæ dissimulâda hæc velut oculorum ludibria obiecta essent. vna succurrebat nocendi ratio, ne cuniculis sub terram ductis, turre, ac murû subruerent. Itaque in incertos huius periculi euentus, transuersos cuniculos in arce agit: quæ res ei magno postea fuit vsui: nam dum acriter ad fossas pugnatur, ac materia iterû, atque iterum iniecta, superinfuso igne incenditur, hostes ex seruis transfugis certiores facti, quanta paucitas esset nostrorum, simul vt pluribus locis pugnantes distinerêt, simul vt tentarent, an in tanto tumultu fallere possent, cuniculos in arcem agunt: ac iâ ad

ad fossam transuersam ad turrim Diui Thomæ peruenerant: nonnullosque è vigilibus incautos oppresserunt. Sed cum aliorû concursu retro essent reiecti, maiora tormenta in cuniculum comportant: ac fundamenta turris labefactare conantur: id quoque vbi parû processit, denuo ad fossas redeunt, quæ cum iam propemodum plenæ essent, ingentes nauium malos ad murum applicant: quibus scalarum loco vsi, in summum nituntur. Nostri vero & si tædas, stuppam, picemq; & quicquid ignem facile concipit, in eos mitterent, tanta tamen subeuntium fuit pertinacia, vt in vltimum discrimen eo die ventum esset, nisi Mascarenna velut huic malo prospiciens, intra murum semidirutû aggerem excitasset, è cuius area quadraginta milites propugnare possent. huic propugnaculo Antonius Passanna præesse iussus. quam prius ipse tenebat proximæ turris præfecto reliquit: quod is cum satis magnam militum manum ad vigilias obeûdas haberet, vtramque tueri ad tempus posse videretur. Præterea Antonius Rodericus è turri, quæ in portu est, cum suo milite ad Fernandum Castrum transit. qui locum omnium infirmissimû, ac maximè suspectum tuebatur: neque à mari quicquâ periculi timebant, cû nullę hostium copię maritimæ in propinquo essent. Ita omnium curæ atque animi vtrinq; in turres, &

res, & fossas versi, à quibus hostes non solum terrore ignis repulsi, sed longioribus hastis pleriq; deiecti, & ià vano incepto fatigati in castra redeūt: ac dies aliquot reficiēdis virib. tradūt. Interea Simonē Feū de nocte pertrahūt, vnde facillime à nostris ex voce agnosci posset. Agnitus igitur cōtinuo cū colloquiū expeteret, & se cōditiones pacis afferre affirmaret: vbi præfectus aduenit, vt ab hoste edoctus erat, admonet, vt statum rerū suarum animaduertēt: murū dirutū, turrets laceras, ac pene captas esse, quibus amissis reliqua arx defendi nō posset: nihilo tamē minus Rumicanem, si arcē dedant incolumitatē omnibus polliceri: naues insuper benignè daturum, quibus Chaulū ad suos, aut si quo aliò velint. trāsportarentur: monere igitur vt sibi in tēpore consulāt. neue eas cōditiones recusent, quibus fortasse posterius cum vti cuperēt nō liceret. Mascarēna ad ea mādāta nihil respōdet. Simoni, atq; alijs qui eum adduxerant, ni subito discedāt, minatur. Rumicani renūciari iubet, nullam sibi cum hominibus perfidissimis pacem fore, quos propediē aut mortuos, aut captos se visurū speraret. ad hāc vocē hostes omnia tormenta, quæ in eum locū iam pridem intēta habebant soluūt. id enim colloquium petiuerant, non tam spe quicquā transigendi, quam quod nostros agnita **Simonis** voce ad eam partē muri frequentes

concur-

concurfuros existimauerant. Verū res eorū spem longè fefellit. duo enim à nostris soli desiderati sunt. Simon statim è cōspectu nostrorū subductus est. Postridie inclinato iam in vesperum die, delecti ex toto exercitu, quos Rumican corporum velocitate, & armorum leuitate aptissimos ad id ratus est. Hi duabus fere hōris ante solis occasum turrim Diui Io. aggrediūtur: quæ quāquā à Fernādo Castro impigrè defenderetur, tanta tamen pertinacia ascendere cōtendunt, vt iam pene ancipiti prælio ad manus ventū esset. nostri non minus periculo, quam pudore moti, se mutuo exhortantes impetum faciunt: ac triginta primos, qui iam ascenderant, ex summo præcipitant: alios in scalis hærentes longioribus hastis deturbant: ac deturbatos faxis, et igni superingesto obruūt. eum; habuit exitum eius diei oppugnatio: hostiumq; temeritas castigata est, qui facilem de nostris victoriam sibi promiserāt. quos & paucos esse scirent, & morbis, ac laboribus fessos. sed cū eos redintegratis viribus ferociores cōperissent, omisis scalis redeūt iterū ad tormēta, magis inopia melioris consilij, & vt nostros laboribus conficerent, quam quod ad summam belli proficere putarent. Aliquot tamen è nostris fragmentis saxorum vulnerati: vnus tantum amissus. Ex eo tempore eum vigilijs obeundis per singulas turrets, vt

antea

antea assueuerant, paucitas nō sufficeret, excogitatum, vt communes excubiæ inter binas turres vigilarent: gradusq; facti, per quos in summum murum euaderent, eatenus, vt eius fastigium capitibus æquarent: hastæ longiores datæ, quibus aggerem defenderent, alij ad turrium latera obseruabant: nam interiorem partem hostes igne iniecto infestam reddebant. Cum enim semel, atque iterum apertā vim infeliciter experti essent, occultè accedētes ollas ignitas, ac varia missilium genera, quibus adhæret ignis, in turrim immittebant. Interdum simulato impetu in aliam, atque aliam partem insultabant: vt nostros ad tuendum accurrentes tormentis ad id dispositis exciperent, tanta tamen militū fuit constantia, & in periculis obeundis animi magnitudo, vt neque dolo educi, neque vi expelli, neque periculo absterreri à loco sibi commisso potuerint, adeoque in fimi generis homines aliorum virtutem vel æquabant, vel æmulabantur, vt plerique ambusti ignibus, aut vulneribus cōfecti, nec commilitonū admonitu, nec ducum imperio adducerentur, vt salutis suæ cōsulerent. Iam supra centum & quinquaginta ex nostris aut cæsi erant, aut ita vulnerati, vt exigua spe vitæ animam traherent: plurimi morbo, vniuersi laboribus, & vigilijs cōfecti: nemo tamen omnium inuentus est, qui se excusaret, quominus

minus suum obiret munus. Iam diuorum Io. ac Thomæ turres, & quod inter eas muri est, hostes aut diruerant, aut ita labefactauerant, vt per eas erumpere se posse existimarent. Itaque in eam partem, tota belli moles inclinauerat: omnium vtriusque partis animis ad has turres oppugnandas, & defendendas cōuersis: in turri quæ portus fauces seruat, Fernandus Caruallus intentissimas habebat excubias: ex ea enim velut specula magna pars vr̄bis cerni poterat. Igitur pridie Diui Iac. qui dies vicesimus quartus est Iulij, animaduersum est, omnes vias facibus collucere: magnosque cætus templa ingredientium, & egredientium passim vagari: audiebantur etiam canentium voces velut lamentis, precibusq; mixtæ, obsecrationumq; ritus, quales ad eum vsq; diem nullas audierant. Mascarenna hac de re certior factus, omnium turrium præfectos admonet, vt suos in armis paratos habeant, hostemq; quam primum expectēt: haud dubiè supplicationes illas eo fieri, quod omnibus viribus collectis, in summā dimicationē se parent: nobis tamen eo maiorem accertiorē spem esse debere, quanto veriore cultu Deum promerere studemus: illis vero suas preces, peruersumq; sacrorū ritum, quo numinis maiestatem offendant, in ipsorum perniciē versurum: hinc etiam de victoria bene ominari, quod Iacobi potissimū festo

Ee

nos

nos aggredierentur, quæ diuū Lusitani, actota Hispania præcipuo quodâ honore profequitur: cuiusq; nomine aduersus Christiani nominis hostes pugnaturi pro tessera fere vntur. Nostri cū his admonitionibus dimissi ad discrimē se vltimum parauerāt, cū hostes paulo ante lucē aciē struūt: ac nostros incautos opprimi posse rati, summo silētio ad urbem ducunt. Eorum aduentum vexilla, incerta etiam dū luce cōspecta, prodiderūt, vnūq; in primis, quod in lōgissima hasta Mahometē pictū habebat, cuius velut ductu victoriam sibi pollicebantur. His igitur animaduersis clamor ex omnibus turribus se mutuo exhortantium tollitur: ab hostibus, qui iā se non posse fallere videbāt, maior redditur. Vix signū in arce tintinnabulo datū erat, vt ab omnibus partibus ad omnia intenti essent, cū iā ad manus ventū est: ac alijs conscēditibus, alijs subeūtes è superiore loco, igni, ferro, ac saxis, omniq; telorū genere detruentibus. acerrime pugnatur. circa turrim Io. ac Thomæ maxima belli moles ingruit: quæ circiter sex millibus hostium oppugnabatur. Mascarena cum expedita manu quocūque clamor vocabat, subsidia submittit: vbi maius aliquod discrimen imminebat ipse obuiam ibat: nec vllum boni militis, aut ducis eo die munus prætermisit. Contrā hostiū duces suos admonere paucitatis nostrorum,

suz

suz multitudinis, neq; cum hominibus iā rē esse, sed verius cū hominū simulacris, vulneribus, vigilijs, fame, morboq; cōfectis. ad extremū sacramenti memores esse debere: cū nuper in tēplis cōiurassēt, se nō nisi victores in castra redituros: presente hoc ipso Mahomete, quæ suæ quisq; fortitudinis, aut ignauie, iurisiurādi seruati, aut violati nūc testē, mox vltorē habituri essent. Omniū igitur ad hūc diē oppugnationū hæc fuit acerrima: cū spes, desperatio, vetus odium recenti ira cumulatū omnium animos variè versarēt: cum in illius diei euentu Indiæ regnum positum vtraq; pars arbitraretur: milites vbi muri deerāt frequentes cōglobati se hostibus obijciēbāt: è locis superioribus ignibus passim coniectis hostem deterrent. cum in ea re fere nostri vnicum præsidium positum putarēt, paulum abfuit, quin summam perniciem attulisset: venti enim sub auroram acrior vis coorta flammæ, fumumque in nostrorum ora inferebat: adeoque omnia repentina nube inuoluit, vt nec quid hostes molirentur cernerent, nec suos prope agnoscerent. & cū sulphuris odore intercluso spiritu vix honestè moriendi locus superesse videretur, statim præter omnium spem secuta cum serenitate tranquillitas. Ea res à nostris in religionem versa animos addidit. itaque renouato impetu se mutuo cohortati, hostes

E e 2

denuo



denuo deturbant. Et iam mutuo conspectu reddito, tantus inter turriū præfectos eorū-
 que milites ex æmulatione ardor cohortus
 est, vt nisi ratio cōmunis salutis potius, quam
 suæ singulos tenuisset, eruptione pugnatū ef-
 fet. Thomæ enim turri præerat Ludouicus
 Soufa cum cohorte nobilium adolescentiū:
 proximam Diui Ioann. turrim prætoris fi-
 lius Fernan. Castrus tuebatur, horum vter-
 que cum contenderet, vt penes se hostis fu-
 gati gloria esset, cum magna hostium clade,
 multisque suorum vulneribus vterque præ-
 clarum virtutis suæ specimen edidit. Egre-
 giam quoque eo die operam nauauit Anto-
 nius Passanna, qui ex aggere, quæ tuebatur, ita
 hostes infestauit, vt eum locū, quæ ob humi-
 litatem muri semidiruti facillimū aditu spe-
 rauerant, magis etiam quā turres ipsas vita-
 rent. multi circa eum locum vulnerati: supra
 trecentos sclopetis interfecti. Interea dū hæc
 circa turres geruntur, inopinata calamitate,
 vnde minime expectauerant, penè omnes
 circumuenti sunt. Erat prope Jacobæam
 turrim rupes quædam satis ardua: is locus,
 quia natura satis tutus videbatur, minus
 quam cætera munitus erat; Mascarena ta-
 men, quia suspectum habebat, modicum in
 ea præsidium collocauit: sed cum circa alias
 turres omnia cōfuso tumultu, vt in noctur-
 no prælio personarent, milites ad clamorē
 suorum

suorū velut signo dato exciti relicta rupe oc-
 currūt: hostes verò ad omnia intēri relabēte
 æstu in mare per vada penè iā sicca manū cir-
 cū mittunt: hi omnia spe sua opportuni-
 nacti, rupē custodijs nudatā alij alios suble-
 uātes, conscēdunt: ac sicubi locus opportuni-
 or erat, scalis admotis in arcē penetrant, & iā
 dubia adhuc luce in proxima rupe ædificia &
 que etiā deserta ingrediūtur: ac velut iā om-
 nia suæ potestatis essent, etiā ad prædā vertū-
 tur: ex his vnus mulierem in ædicula nactus,
 trepidam, ac pene exanimatam metu, bono
 animo esse iubent: cultellum petit, quo sclo-
 petā vt videbatur impeditam purgaret, ac si
 quid pecuniæ haberet, rogat: illa animo re-
 collecto benignè omnia pollicetur, ac velut
 id ipsum, quod pollicita erat, factura, interio-
 rem domus partem ingressa, per posticum e-
 labitur: ac vicinam quandam mulierem no-
 mine compellans, arcem captam, ac omnia
 plena hostium esse clamat. ad hanc vocem
 excita alia è proximo mulier animi plane
 virilis, hastam arripit, ac pro foribus stās ho-
 stes intra domum cohibet, ac totum angu-
 portum aliquandiu tuetur. Interea Malca-
 renna tam trepido nuncio accepto, cū par-
 ua manu, quam circa se ad omnes casus para-
 tam habebat accurrit: omnia plena hostium
 videt: mulieres tantum complures adesse,
 quæ tenebris, & locis cognitis adiutæ tumul-

tu verius, quam prælio eos remorentur. Ad-
uentu igitur præfecti ingenti clamore, qui
speciem maioris turbæ faceret, à mulieribus
sublato cõcurritur. qui in rupe erant, statim
præcipitantur: cæteri per vicos passim uagi,
ac locis ignotis impediti obtruncantur: inte-
rim ab alia parte non minus tumultuosè
affertur, hostes iam irrupisse tanta multitu-
dine, vt necesse sit è turribus accersiri sub-
sidia. Mascarena vero: siue quod ex vano
timore eum nuncium ortum existimaret,
siue quantum periculi esset, si turres suis præ-
fidijs nudentur perspiciens, cum sua cohorte
illuc aduolat, vnde periculum nunciaba-
tur. sed cum id vanum comperisset, vnde ve-
nerat regressus, iterum hostes per rupem as-
cendentes comperit: nam siue eum digressum
fenserant, siue rarefcentibus tenebris loca
magis explorata sibi rati, resumpta audacia
rursus ascenderant, ac rursus aduentu præfe-
cti deterriti, cum magna strage repelluntur.
triginta circiter, qui in vnum locum se con-
globauerant, ad vnum omnes cæsi: qui per
domos ab initio prædæ cupiditate dilapsi e-
rant, passim à fæminis, ac promiscua turba
iugulantur. hæc ferè dubijs tenebris gesta.
Iam dies exorta hominum, & armorum stra-
gem ostendebat. Minor itaque trepidatio,
sed pugna nihilo remissior in meridiem vs-
que protenditur: quo tempore cum hostes
multa

multa conati, vndique cum magna cæde re-
iecti, fessi in castra se recepissent: nostri præ-
ter suam & hostium spem, ex hac clade inco-
lumes ad vota & supplicia versi, gratias pri-
mùm deo agunt, cuius numini, ac potentia,
non suis viribus, & consilijs victoriam de ho-
ste, arcem seruatam, suamq; incolumitatem
acceptam referunt. Deinde inito numero v-
trinque cæforum, comperiunt è suis septem-
tantum amissos: circiter quadraginta vulne-
ratos. hostium supra mille in fossis, ac turri-
um ruinis inuenti. intra arcem verò cum tā
angustus esset ascensus, vt vix bini penetrare
possent, trecenti qui ingressi erant omnes ad
vnum cæsi: quos ex habitu & genere armorū
facile apparebat ex selectissima iuuetute fu-
isse, qui ea nocte, quæ oppugnationem præ-
cessit, in templis coniurauerāt, se nisi victo-
res in castra non redituros. In his etiam v-
nus ex Iuzarcenibus est inuentus: ita enim
vocantur, qui potentia ac nobilitate cæteros
præcellūt. supra mille & quingenti ex hostib.
vulnerati: magna pars flāmis ambusti, mite-
rabili etiam nostris spectaculo, capta signa
militaria complura, in his etiam Mahome-
tis, cuius supra meminimus, imago. omnia
fumo, ac fuligine fēdata, & flammis semiusta.
funus deinde occisorum magno militari
studio celebratū. Milites pro cuiusq; virtute

à præfecto laudati, & ad cætera perferenda confirmati. sceminarum vero, quæ complures in arce erant, cum toto obsidionis tempore, tum hoc præcipuè die virtutis enituit: nam cum antea non solùm ea, quæ propriè ad earum curam existimant pertinere, sedulo fecissent, sed lapides ac terram quò opus esset ferrent, cuniculis faciendis & aggeribus struendis militarem laborem iuuarèt, tela in muros comportarent, vulnera obligarent, ægrotos curarent: eo vero die alienato à periculis animo, & velut sexus oblitæ, contineri non poterant, quo minus inter pugnantes versarentur, ac belli partem, sicubi opus esset, cum viris capefferent: & cum plerisque inter ministrandum viri aut propinqui vulnerati occurrerent, nullam earum aut luctus domesticus, aut terroris species oculis obiecta ab opere deterruit. Secundum hanc pugnam nostris spes facta est, hostem tanta repulsum clade, aut soluturum obsidionem, aut per aliquot dies quieturum. Contra Indi nostros, quos paucos esse sciebant, partim cæsos, partim sauciatos cum putarent, instandum rati, nec vllum respirandi tempus dandum: nouum Mahometis simulacrum magis horribili, quam antea, specie hastæ affigunt. Caput erat ingens: capilli ad cubiti longitudinem in humeros demissi simulacrum operiebant.

Ad

Ad hoc rursus coniuratione facta, vigesimo septimo die Iulij arcem denuo oppugnare aggressi. sed cum nostros spe sua paratiores inuenissent, lentius in muros subibant: ac nisi principes, qui agmè cogeabant, vltimos protruderent, ac regredientib. minitarentur, in castra statim reuersuri videbãtur. nam cum primi qui ascéderãt deiecti essent: magnusq; ollarum ignitarum numerus esset infusus: ibi miserabilis facies oculis obiecta est. Indi enim ferè omnes aut gossipio, aut lino ad vestem vtuntur. Ignis itaq; desuper immisus: cum in ea velut fomenta incendij incidisset, flamma statim per totos cuneos peruagata, latè relucebat, tanta celeritate, vt momento temporis corpora cute nudata, aut vndique ita pendente, velut in lora concisa esset, oculis exustis, orisque specie amissa, deformes trunci ingentem horrorem cernentibus afferrent: nec quisquam in tanta calamitate, ne contagio corriperetur, opè afferre auderet. Quibus vero ignis inhæserat, velut cæci, & amentes, cum nec arma detrahere possent, nec flammam restinguere, præcipientes quò impetus ferebat, nullo sui, aut hostium respectu procurrerant. Nostros vero ab igne longè minus erat periculi, quod panino fere laneo vestiebantur: manusq; chirothecis, femora, ac tibias ocreis è corio muni-

erant: vt. & ignem ipsi tractare, & ab hoste

Ee 5

conie-

cōiectum excipere, sine magna pernicie pos-
sent. Sed cum iam ad id genus vestis, coria nō
suppeterēt, multis iā tegumētis igne corrup-
tis, nullus, n. fere dies abibat, quin supra ducē-
tas amphoras sulphuris, hostes in arcē immit-
terēt: Mascarēna tapeta preciosissima ē pelli-
bus inauratis, in eū vsum per manipulos di-
stribuit. ab latere præterea duob. tormentis
camelo, & sphaera magna strages edita. Ea. n.
tormēta ita cōmodè posita erāt, vt nihil ad-
uersus eorū vim obijci posset. Itaq; hostes vn-
diq; male habiti à nostris, trecētis amissis, plu-
ribus etiam faucijs in castra redeunt. nostro-
rum perpauci vulnerati, nemo occisus. Hæc
fere ad Thomæ ac Ioan. turres gesta: in
quas tota belli moles se inclinauerat. Inte-
rea tamen ab nulla parte, neque ab hostibus,
neq; à nostris cessatum. Nā & fossa turris Ia-
cobææ impleri cæpta erat: & castella ad
operas tuendum passim erecta: & in medio
ardore pugnæ admota muris testudo: &
sub ea milites omni genere ferramentorum
ad id instructi murum diruunt. hi statim
vbi animaduersi sunt, cum magna cæde
submouentur: ad opera disturbanda tor-
menta locis commodis disposita, alia pro
turre Iacobæa, alia pro Thomæa: aduersus
que mortarium ingens cum magno numero
minorum tormentorum oppositum: in qui-
bus cū parum momenti videretur, rursus ad
solis

solitas artes versi, frequentiora castella, ma-
ioresque aggeres excitant: quibus protecti
per omne id tempus fossas implebant: neque
vlli toto oppugnationis tempore nostris
molestiores fuerunt, quam transfugæ Chri-
stiani. & primi lacessebant, & vehemen-
tissimè instabant, & ad perseuerandum hor-
tabantur: neq; quemquam eorum aut patriæ
respectus, aut religionis, cultusque pristini,
quem ipsi se abieuisse, nisi si quando Turcis
gratificari volunt, negant, vt vel ad nostros
redirent, vel hostium consilia iudicarent cō-
mouebant: quin quotiescunq; colloquēdi fa-
cultas erat, omnia tētabāt, vt nos ad deditio-
nis cōditiones pertraherent: nostris, n. vires
præsentis fractas, & debilitatas esse, auxiliij
spem præcisam, sibi in castris fortissimum
adesse exercitum, à tergo regnum opulentis-
simum, vnde milites & com meatū, quoties o-
pus esset, liberè assumant: Iuzarcanem per-
humanum, ac facilem esse, ac facile ab eo
impetrari posse, vt, si se statim dedāt, omnes
incolumes dimittat: nec sua pertinacia ani-
mū natura mitem exacerbent. Nostricōtra
hominum sceleratorum perfidiam execra-
ri: qui corpus & animū ita lucro addixissent,
vt exiguæ mercedis gratia, vtrūq; perditum
irent. In præsentia pœnas, quæ ab hostibus
exigi possunt, minari: in posterum æterna
illis supplicia expectanda æquissimo dei iu-
dicio,

dicio, cuius auspicijs certam sibi victoriam propediem polliceretur. Dum hæc ad Diu geruntur, postridie quam asperrima illa oppugnatio ccepta est, Lembus appellit à Bassaimo; noñem erāt in eo milites lectissimi, qui maioris auxilijspem faciebant, sed tardioris multo, quàm res tanta postulabat: literis nimirum ad prætorem terrestribus itineribus Goam perlatis, quod mare hyberno sydere tum maximè tumidum, imperuium esset. Huius nauiculæ aduentus quantum nostrorum animos spe recreauit, tantum labores ac pericula auxit. Nam hostes cum per exploratores, quos in maritima ora collocatos habebant, certiores facti essent, milites plusquam mille à prætore missos in Bassaimo hyemare: ac mare viderent minus tépestuosum per aliquod dies fuisse, quàm quiscquam hybernis mensibus in illis regionibus meminisset: & nauiculam illam cum maxima nostrorum gratulatione & gaudio exceptam sensissent: procul dubio sibi persuadēt, auxilia non longè abesse. itaque, quanquam sæpe magna clade reiecti essent, denuo remtentandam cēsent: ac maiore quam vnquam antea conatu, circa meridiem, quod tempus in calidis maximè regionibus quieti dari solet, quam occultissimè possunt ordines explicant: ac partito labore, ab omnibus simul partibus impetum faciūt, tanta celeritate, vt prius

prius pene in muris cōspecti sint, quam quiscquam venientes sensisset. subito ad arma cōclamatum. Primum impetum stationes, quæ in excubijs erant, exceperunt. reliqui tam tumultuosè accurrunt, tantoque ardore se in confertissimos inferunt, vt qui ascenderant, ad vnum omnes interempti sint. Repentina enim illa trepidatio, ita vltimi discriminis cogitatione, omnium animos perfudit: vt suæ salutis immemores, velut in certam se perniciem conijcerent. Ac prima impressione primis coercitis, qui sequebantur minimè retardati, siue quod suos intra arcem pugnare crederent, siue quod ad hanc velut vltimā oppugnationem animos obstiuauerāt, alios alijs impellentibus in summa nituntur. Nostris sedata trepidatione, ad solitas artes vertuntur: ignes deuoluunt: sclopetis multos conficiunt: ac maioribus globis ex transfuerso missis scalas vna cum hominibus deiiciūt. In hac pugna omnia fere eadem fuerunt, quæ in superioribus: iam notis inter se artibus, nisi quod hostes maiore quam vnquam antea pertinacia contendissent, festinantes finem bello imponere ante aduentum auxiliorum: & nostri omnia alia spe sublata, aut vincēdum, aut moriendum scirent. Et quemadmodum eisdem artibus, & animis, quibus antea, pugnatum est: sic idem pugnae fuit euentus. Hostes inferendis accipiendisq; vulneribus fessi, sub occasum

occasum solis se recipiunt, circiter mille suorum amissis: quorum magna pars in primo congressu ceciderat. Hæc pugna omnem spem hostibus ademit, arcis per vim capiendæ. & tamquam pro certo haberent, nostra auxilia non procul abesse, tormenta omnia colligunt, certi discedere, si subsidia ad nostros in tempore venissent. Obsidio tamē interim continuata: & cum iam rumor de adventu prætoris paulatim euanesceret, ad cuniculos extruendos, ne quid intentatum relinquerent conuersi. Interea in arcem ad ultimum malorum ventum erat, foris bello; intus fame grassante: ad tantamq; rerū omniū ventū erat inopiā, vt frumentum quadragies multiplicato precio vāniret, gallina decem aureis venderetur: nec tanto proposito precio, inueniretur tamē qui vēderet: nisi si quis suo se victu necessario defraudans, faucijs aut morbo laborantibus id daret. & qui acceperant non emptum, sed donatum interpretabantur. Iam murium feliumq; carne passim vescebantur. quidquid herbarum aut radicū vsquam erat, sine discrimine in victus vsum conuersum. His malis patientia militum victa: & qui ad eum diem tam obedienter imperata fecerant, sæpe de erumpendo consilia inierunt: & iam vitæ spe proiecta, dū aliquid virium ad pugnam superesset, in hostium potissimum castris morerētur. Verū Mascarenna

renna variè animos tractando, eos consolabatur, nunc spe auxiliij propinqui, nunc hostium confessione, qui desperata victoria, de fuga quotidie cogitarent: neq; se in mora futurum, quo minus cum eis erumperet, nisi morte eorum arcem, & vna cū arce quicquid in India præsidiorū Lusitani tenerent, prodideret. Accessit his malis illa difficultas: quod puluis bombardicus deficere cœperat, adeoque parcè suppetebat vnde fieret, vt vix in singulos dies parari posset quantum vni tormēto sufficeret: & amphoræ igni sulphureo in hostes mittēdo comminutæ erāt: neq; oliæ supererant aut vsui domestico, aut pulueri excoquendo. In hūc vsum à Mascarenna excogitatum, vt bini imbrices cōponerētur, suppletis bitumine cōmissuris. ita paululum pulueris in vsum quotidianum cōficiabatur. Interea hostes dies noctesq; in cuniculis excauandis cōtinuabāt, quos in turrim. D. Ioa. direxerāt: quod ea infirmissima omniū esset, & ad id maximè opportuna. Erat. n. sita partim super rupē: & partim in vetere fossa, quæ arcē ambiebat, cū ei præerat Ant. Sylueira. Emanuel Sousa qui illi successit, turres deiectas à fundamentis, firmiores quā antea instaurauit: fossa que latiori inclusit. cum ad Ioannis turrim ventum est, cætera vt erant, reliquit. veteris tantum fossæ partem noua inclusit. Id cum hostes animaduertissent, omnes



omnes suos conatus eò verterunt: ad murum propinquum opera admouent: sub quibus tecti quanto maximo possint sonitu in eam partem demoliuntur: alij cum ingēti fragore saxa in fossas conijciunt: omnia de industria strepitu ac tumultu complentur, ne à nostris cuniculum molientes presentiri possent. Ita continuato per aliquot dies opere, ad transuersum cuniculum peruentum est, quem nostri id ipsum, quod euenit, veriti, multo ante perfoderant. Ligneos etiam equos, aliasque complures machinas ad eam turrem opponunt: & quam proximè possunt ad muros admouent. Nostri interea bōbardis machinas disturbāt: dolium puluere sulphureo plenum ad exitum cuniculi, vbi cum transuerso committebatur, vt igne ac fumo hostes eò ingressos exanimarent, obijciunt. Eisdem diebus, quibus hæc ad turrem gerantur, Guzarates quidam ex eo genere calonum, qui seruilem in morem verberibus ac supplicijs materiam in fossas ferre cogebantur, propius ad murum accessit, velut vitæ tædio morti se vltro obijciens. is cum à milite inuitatus vt ascenderet, facile annuisset, acceptus in arcem ad Mascarennam ducitur quis esset, & cur transfugisset, cum respondisset: de consilijs hostium ecquid sciret rogatus, fabulam ad quam agendam missus erat, intrepidè orditur: Regem Patanæ cum magnis

magnis equitum ac peditum copijs in Cambaiam descendere: hoc biduo Moiatecanem à rege missum in castra venisse, literasque ad Rumicanem attulisse, quibus iubebatur obsidione soluta, cum omni exercitu ad regnum tuendum venire: iam curus ac iumenta tormentis auhendis comparari. Rumicanè antequā discederet, diem statuisse, quo die. D. 10. turrem toto exercitu admoto aggredi decreuisset: à qua si per vim repulsius esset, sine mora castra moturum. Multa erant quæ indicis orationem confirmarent: veteres regum Cambaiæ, & Patanæ inimicitia: & tormenta superioribus diebus, incertum qua de causa, amota: & lentior solito oppugnatio, velut ad vltimi conflictus euentum se præparantibus: & loci, qui petebatur, infirmitas. Et quod de Moiatecanis aduentu indicauerat, verum erat: id tamen nostros calauerat, militum quatuordecim millia cum eo vnà venisse. Nostri igitur in eius diei discrimen (neque enim longe aberat) alacrius quā ad vllū vnquā certamen se præparabant: quod pro certo putarent, eo die aut honesta morte, aut victoria, malis præsentibus & imminentibus se liberatum iri. In id ergo tempus intenti, se ad dimicationem parāt: cuius potestatem toties à præfecto sibi negatam, hostis iam iam facturus esset. Eo tempore Fernandus

E f

Castrus



nandus Castrus cum febris vehementer laboraret, nec admonitionibus, nec precibus, nec auctoritate cuiusquam retineri potuit, quo minus partem periculi in se capesceret: neque ferendum existimabat, ut qui periculis aliorum toties subuenerat, locum sibi proprie commissum in extremo discrimine defere-
ret. Itaque animi viribus, corporis infirmitatem dissimulans, suorum animos ad pericula subeunda hortando, preparat: rerum præclarè gestarum à maioribus in India & Africa commemoratione accendit: parua sæpè manu hostium numerosos exercitus fufos ac fugatos: oppida capta: vnūquēque præsentium sui priuatim decoris, ac rerum per totos menses, quibus obsessi fuerunt, gestarum admonet: neminem esse omnium, qui nõ eo tempore decem aut plures hostium occiderit: esse nonnullos, qui totas à se cohortes extinctas meritò gloriari possint: Diuinum verò præsidium cum Lusitanis in omnibus bellis semper adfuerit, in hoc non defuturum, quo nullum vnquam iustioribus de causis sit susceptum: quæcunque humano consilio prouideri possent, ea præfecti sapientia ac diligentia prouisa: itaque in hoc prælio, quod vltimum futurum esset, eum quem superioribus diebus animū præstitissent, præstare debere: semperque illud secum cogitent, fortissimum quemque tutissimum esse. Ijs ille adhortatio

hortationibus, animos suorum sponte paratos, in expectationem conflictus erexerat. Et iam decimus Augusti dies aderat, quem maiores nostri Diuo Laurentio consecrauerant: hostesque prælio destinarunt. Iam signa ex oppido efferri cœpta: maioresque, quæ ad eum diem visæ fuerant, in armis copiarum productæ: & nostri stationibus per murum dispositis, ad impetum eorum excipiendum stabant parati: cum Indi vbi primum intra teli iactum venerunt, velut subito terrore perculsi retrocedunt: ac iterum statim velut turpis fugæ puderet, renouato impetu incurrunt: ac denuo eadem timoris simulatione, qua antea fuerant vsi, retro abeunt. Mascarena pro certo habens id fraude agi, ad Ferdi. Castrum mittit, qui admoneat: ut cum suis in tutiorem locum se recipiat: paucos in speciem tantum pro muris relinqueret: non dubium esse, quin hostis ignem cuniculis admoturus esset. Vix perlato nuntio, impetu longe maiore quam antea illati, statim se trepide recipiunt. Hec simulatio eò pertinebat, ut ad turrim tuendam quam plurimos nostrorum contraherent. Id cum iam abundè fecisse viderentur: procul intentis in eam oculis, doli euentum expectant. Interea è turri Ramosa magnam ignis vim quidam coniecit: qui per semitam puluere sulphureo constratam, repente in

veterem fossam, ac per eam in cuniculos pul-
uere sulphureo nitroq; plenos cucurrit: ac
statim incendio latè fuso, cum spiritus in an-
gusto loco inclusus egredi niteretur, et turrim
à fundamentis conuellit: ac partem eam, quæ
ad fossam pertinebat, tanta vi sustulit, ac rur-
sum libero cælo euanesceus dimisit: vt non
modo corpora hominum, sed saxa ingen-
tia ruina ipsa collisa & comminuta sint. Alte-
ra pars quæ in rupe stabat minore impetu,
sed nihilo minore perniciem militum corruit:
fragmenta enim saxorum passim volantia,
si quos non penitus obtriuuerant, cruribus aut
brachijs fractis truncato in miserabilem morè
corpore, semianimos inter ruinas prostrauere-
rant. Quidam maiore vi in altum elati, quantū
penè oculi acies sequi poterat, suo pondere
cadentes contriti sunt: nonnulli velut tor-
mento missi in aciem hostium proiecti sunt:
quorum morte non contenti homines cru-
delissimi, in deformia ac trunca cadauera
sæuiebant. Viginti quinque præter suam
& aliorum spem incolumes euaserunt, è
quibus tres post perierunt. Cæteri ad nona-
ginta quinque maiori ex parte nobiles clarisq;
orti maioribus, vario mortis genere perie-
runt. in his Fernandus Castrus duodevigin-
ti annos natus: cuius in ea adhuc ætate tanta
fuit prudentia, & consilij maturitas: vt ea
pars arcis vnde potissimum ab hoste time-
batur

batur periculum, ei commissa sit: toto-
que obsidionis tempore ita se gessit, vt nul-
lum in eo magni imperatoris munus desi-
deraretur: magnumque sui desiderium a-
pud omnes reliquit: quippe in cuius ingenio,
si maturuisset, magnum rei Lusitanicæ præ-
sidium esse positum credebant. Horum om-
niū corpora postea requisita, ac per noctem
à mulieribus sepulta. Huius turris ruina
(nam à fundamentis vsque sublata erat) latè
viam hostibus in arcem patefecit: neque illi,
occasione tantæ rei defuerunt, iam pridem
in eam spem instructi ac parati. Ex ijs qui
calamitatem eam euaserunt, quatuor Lusi-
tani venientium hostium impetum excepe-
runt. cæteri enim aut corporibus vulneratis
erant inutiles, aut animis attonitis nondum
sui compotes erant. Mascarena cum octo
militibus in subsidium venit, Sacerdote
Christi Crucifixi imaginem seu vexillum
præferente: ac nunc singulos, nunc vniuer-
sos magno clamore ad pugnam hortante,
eius auspicijs pugnarent, qui vt omnibus vi-
tam daret, vnus mori voluit: cuius ductu nec
de victoria esse desperandum, nec mortem
timendam: eo itaque animo certarent, vt qui
supereissent certamini, ad præclaram se vi-
ctoriam reseruos putarent: qui caderent,
aditum sibi ad immortalitatem per mortem
factum crederent. Hæc aliaque pro loco ac

tempore clamitans, accurrentib. vndiq;, qui prope erant, pauci aduersus tantam multitudinem hostium pugnam aliquandiu sustinuerunt. Cæteri ex lapidibus ac materia turris prostratæ, murum in ruinis ducere incipiunt, ac terra iniecta velut aggerem solidare: ac præter omnium expectationem ante noctem opus confectum est, omnibus in id vnum conuersis: quod reliquam spem salutis in eo positam viderent, si hunc aditum obstruxissent. prælium nox diremit: hostes in castra reuersi, magna omnium indignatione, quod iã via in arcẽ patefacta, tanta exercitus, cui quatuordecim millia recentium militum triduo ante accessissent tam paucos homines omnibus malis, quæ fert bellum confectos, loco depellere nequiverint. In hoc congressu ex Indico exercitu plus minus trecenti occisi: vulnerati octingenti. aliquot è nostris inter muniendũ ceciderunt: In quibus Ioannes Chirurgus egregius: cuius mortem conspectiorem fecit Isabelis Maderæ vxoris constantia. Ea erat florente adhuc ætate mater ex eo quatuor liberorum: ac summa cõcordia cum viro ad eum vsq; diẽ vixerat: cuius mortis cum spectatrix adesset, nõ modo non lachrymis & luctui se dedit, sed mulieres se consolantes castigabat, & ad opus secum vt redirent iubebat. ferebant enim omnes materiam ad aggerem struendum, ac sibi & suis

& suis liberis, si quando vsus posceret, eundem exitum optabat, quo nullus possit esse præclarior. Ea nocte agger muro exæquatus est, gradusque facti. Hostibus quanquam toties depulsis, ex hac nostrorum calamitate animi aucti: & quoniam in primis cuniculis conatus illis tam feliciter successerat: alios in alias turres perducere conantur. auxit eorum insolentiam per eosdem dies mare tempestatibus agitatum: quæ res omnem auxiliorum spem ante finem hyemis nostris ablatura videbatur. Igitur omnibus iterum locis admota tormenta: ac maiore quam vnquam antea ardore, ad oppugnationem reditum: eumq; aggerem in quo Ant. Passanna præsidium agitabat, demoliri conantur: murumque aggeri iunctum tanta vi feriunt, vt eius concussi sonitus nostris suspicionem fecerit fundamenta cuniculis tentari. hunc murum cũ nulla vi labefactare possent: magnam lignorum vim congerunt: ac struem pene muro adæquatam, supposito igni incõdunt: ac residete iam flamma, vt propius adiri posset, Siphonibus aceto in saxa calentia immisso ea putrefaciunt. Inter hos conatus, quartodecimo augusti die, Antonius Monisius, & Garcia Rodericus cognomẽto Tauora, in parua nauicula cum paucis militibus appellunt: qui spe maioris propeditem auxiliij omnium animos vehementer cõ-

firmarunt. Ex his enim intellectum est, Aluarum Castrum maximum natu filiorum prætoris, Franciscumque Menesium cum quinquaginta nauibus, cum quibus paulo minus mille militum esset, à Goa soluisse, nec longius quadraginta millibus à Dio abesse, ad futurosque, vbi primum per tempestates liceret, se verò non sine maximo periculo ad arcem peruenisse, dies noctesque egerendis aquis fatigatos: fluctibus enim assidue in nauiculam irrupentibus vnum inuentum esse remedium, vt omnes in vnam partem versi, eò nauem inclinarèt, dum exhauriretur. Interea dū deflagrat ignis: ne ab vlla parte cessaretur, cuniculus in Thomæam turrin, quâ murus contingebat, perducitur. sed cum in transuersos cuniculos incidissent aditus obsepiūt: ac iniecto puluere sulfureo, igne inferūt: & ne turri deiecta ruinæ statim, vt antea factum est, munimentis obiectis obstruerentur: suos instructos propius continent, vt statim erumpere possent. Mascarenâ vbi hostem paratum ad ignem inferendum videt: suis signum dat, vt se recipiant. Ibi hostium nimia festinatione, ancipiti periculo penè vtraque pars afflictâ est: nam cum transuersum cuniculum opere tumultuario male obturassent, magna vis flammæ fumique ab ea parte erumpit: omniaque intra arcem ad instar noctis densis tenebris operuit:

operuit: & spiritus per eam partem libere erumpens, minus validè turrin commouit: cuius pars, quæ labefactata fuerat, exterius prolapsa, hostium trecentos, qui propius steterant ad erumpendum intèti, ruina sua oppressit. reliqui nihil eorum clade deterriti, qua quisque potest, in murum euadit: ac iam Thomæam turrin pene occupauerant: cum nostri, qui per tenebras cæci in pericula ruentes in murum ascenderāt, iam rarecente fumo, hostes conspicati, sclopetis eos adoriuntur, ac supra ducentos occidunt, reliquos deterrant. Vna potissimū res Lusitanis fuit saluti, quod hostes paucitatem eorum ignorarent, nam cum vix centum & quinquaginta essent, qui arma ferre possent: omnes tamen idoneos locos præsidij tam commodè dispositis tenebant, vt quocunque irruptio tentata esset, alij alijs auxilium ferrent. ea res fecit, vt hostibus multitudinis speciem præberent. et quanquam rationem inire nō poterāt, vnde tam sæua hyeme mari in nauigabili subsidiū venisset: venisse tamen sibi persuadebant. Igitur quamquam arx multis locis diruta esset: et quæ adhuc stabant, tormētis labefactata mox ruitura viderentur, opugnatione, quam sæpe frustra tentauerant, ommissa, quæ supererant diruere statuunt. et quando aliter non possent, tectorum ruina præsidium opprimere. Paucis ergo diebus

facram ædem quæ in arce cæteris altior extabat, magna ex parte diruerant: et fastigia ac tecta reliquarum ædium deiecerant. Et quatenus in corpora sæuire non poterant: in hæc impotentiam suæ iræ ostendūt. Interea omnibus ad belli munera intentis, serui tres genere Indi, siue desperata salute præfidiariorum, siue melioris fortunæ spem secuti: qua in mare arx spectat, per anfractus rupis mutuo conatu se iuuantes, in aquam delapsi ad suos pernatarunt. qui diligenter interrogati, iureiurando affirmant, nō plures sexaginta militibus in arce superesse, qui arma tractarent: cæteros qui tot prælijs superessent, ita vulneribus ac morbis esse confectos, ut potius oneri sint, quam vllum momētum præliantibus adferant. Illi, ut fert natura mortalium, proni ad ea credenda, quæ vehementer exoptabant: & qui scirent magnum Lusitanorum numerum varijs belli casibus perijisse, se mutuo exhortati, in vltimum laborem parati essent, arcemq; dirutam ac propugnatoribus vacuam inuaderent, in Thomæam turrim impetū faciunt, cum ibi globū circiter sexaginta militū offēdissent, cætera propugnatorib. vacua rati, ab alia parte irrūpere conantur. cū illinc quoq; non minoris cohortis occurso, cum magna strage repellerētur: in castra reuersi, irā ab re male gesta collectā, in fugitiuos tanquam mendaces effundunt.

fundunt. Ad opera quæ cæperant perficienda reuersi, murum igne & aceto putrefactū multis in locis ferro perforant: per ea foramina complures Indos, qui in arce seruiebāt, sclopetis vulnerant. hi enim ad radices muri in loco cauo, cui fossæ nomē erat, habitabāt vicosq; omnes adeò infestos fecerunt, ut nemo fere prodire in publicum, aut per arcem ministeria obire auderet. Aduersus id malū optimū Mascarénæ visum est, parietibus perforatis, omnes ædes peruias facere: ut tecti in omnes partes commeare milites tutò possent. Profuit ea res præcipue aduersus globos ex stupa & Gossipio puluere oblatos: qui in tecta ac vicos proiecti, cum magno terrore prouoluebantur, conceptum incendium latè fundentes. Eodem tēpore diuerso loco, ad Jacobæā turrim magna contentione vtriusque partis certatum: dū nostri transuersis cuniculis Indorū cuniculos impediūt. Eo animo aduerso, intersepto quod in medio erat spacio, Indi ignē subiiciūt: ac turrim antea labefactatā ac iā pene nutatē magna ex parte diruūt. ea ruina sine dāno nostrorū, ac stantibus muris tota in fossā, procubuit: secūq; Camelū traxit: quo potiti hostes ab ea parte nostros vehementer infestabāt: & admoto à nostris camelo ipsi inuicem infestati. Erat vicina turri dom⁹, quā cætera intactā ruina nudauerat: de ea occupāda acerrimè pugnatū. Dū hostes, ei⁹ aditu,

aditu,

aditu, qui ad ipsos versus erat. Lusitanos prohibent: tandem opere tumultuario, obiecto muro nostri eos excluderunt. multis vtrinque vulneratis, nonnullis ex Indico exercitu interemptis, certamen diremptum. Vicesima secunda Augusti die Ludouicus Mello cognomento Mendosa, & paucis interiectis diebus Eduardus Menesius Comitum Feiræ filius, & Georgius Menesius cum octodecim militibus paruis scaphis appulerunt: classemque Lusitanam nuntiatis non longe abesse. Hi quia recentius aduenerat, ad Thomæam turrim, ubi plurimum laboris erat, missi. eius maiorè partem hostes à regione, quæ cuniculis diruerant, ingressi tenebant, quos Mascarèna recentis militis fretus, continuo deiecit. Ad hunc tumultum signo dato, omnes Indorum copiarum ex vrbe suis subsidio aduolant: ac per tres turre continuè ruina prostratas, aut semidirutas vno tempore irrumpunt. Et quia vehemens imber repente effusus usum tormentorum ademerat, certamen ad manus venerat: hastisque vtrinque pugnatum. multi ex nostris, sagittis fauciati: cuius teli usus Indis vulgo est plurimus: quibus longo certamine fatigatis, ac iam se recipientibus, imbre cessante statim serenitas secuta est. Hanc occasionem nacti Christiani, è maioribus tormentis globos in confertos ordines iaculantur. Ea res latè stragem edidit. Hæc sub occasum solis gesta, cum per

sex

sex horas continuas pugnatum esset. postridie huius diei Ioannes Taidæus, & Franciscus Gillus, qui duobus lembis cum triginta militibus aduenerant, in arcem excipiuntur: nec iam fere dies ullus erat, quin noua auxilia venirent, quæ eo maius quam pro numero gaudium nostris afferebant, quanto propius ad interitum ventum erat. Magnum etiam momentum delati cum his vna nauæ attulerunt: quibus ad opera admotis, verus miles à continuo labore non nihil recreabatur. Indis nostrorum pertinacia vnam spem victoriæ reliquam fecerat: si totam arcem funditus diruissent. Igitur vno tempore, diuersis locis cuniculos facere aggressi, iam ad murum peruenerant, qui Passannæ præsidium sustinebat. is immisso igne, sua ruina turrim secum traxit, sine vlla nostrorum pernicie, qui superiorum dierum calamitatibus admoniti, se in tempore receperunt intra alterum murum: quem id, quod euenerat, metuentes, interius construxerunt. & hostes velut id ipsum fore rati, tormentis iam antea dispositis, ut nostros pro ruinis muri pugnaturos de improviso adorirentur, ad primum ruinæ fragorem aduersus locum iam antea animo destinatum, magnum numerum ingentiū globorum fundunt. Ab nostris verò adeo nusquam cessatum est, ut eo die præfectus ipse lapides & materiã muro struendo comportauerit.



tauetit. Illud miraculo propius visum: quod inter tam varios hostis conatus nemo Lusitanorū eo die sauciatus fuerit. Hinc repulsi, ad Thomæam turrin occupādam animum adiiciunt. Primū pauci inter ruinas obrepentes, latus quod in fossam vergit, muri casu patefactum, ingrediuntur: complures cum id successisse viderēt, secuti, lapides comportantes muros pluribus locis transversos ædificant: post quos tuti cū nostris, qui reliquam partem turris tenebant, æquo Marte pugnant: donec Basiliscus in æde sacra qua deiectis turribus nostri loco propugnaculi utebantur, in eos versus, eorum munitiones deiecit. Vigesimo octavo Augusti die, Alvarus Castrus, & Franciscus Menesius, cum parte classis portum ingrediuntur: ac trecentos & quinquaginta milites in arcem exponūt. Cætera classis viginti quinque nauium, vi tempestatis retro Basaimum, vnde venerat, reiecta, per totum deinde Septembrem modo singulæ, modo plures, obseruata mitiore tempestate Diu applicant. Hac manu recepta, ac per ea loca vbi plurimum erat periculi diuisa: & laxiore iam annona, nostri spe pleni, non iā quomodo se tueantur, sed qualiter hostem offendant, consultant. Tres ergo Cameli locis idoneis per muros positi, omnia circa adeo infesta hostibus, fecerunt: vt nemo citra fossas prodire auderet. Inter

eos

eos vtrinq; spe, viribusq; satis sibi cōfidentes, Basiliscus ingens inter ruinas iacens certamen conciuuit. Hunc cū rotis in terram demersis, & fragmentis murorū impeditis nostri ad se retrahere nequirent: funes alligarunt, ne hostes eum ad se pertraherent. Hoc ergo tormento strenuè defenso, & hostibus cū satis magna cæde pulsus, qui nuper aduenerat, sermones primum serunt, iā nō amplius in ruinis velitandū, neq; cæco Marte in subterraneis cuniculis inuicem eludere oportere: enimvero aciem struendam, clara luce in campum prodeundū, manumque aperto iā Marte cū hoste conserēdā: has vere Lusitanas esse artes: sic hostem repellēdum potius, quā expectandum, dum magis fessus, quam fugatus sua sponte decedat. Hæc, vt cuique minimum erat consilij, ita maxime laudare. Accēdebat animos præterea æmulatio: vt si penes Mascarennam laus defensi præsidij esset, se perfecti belli gloriam laturos. Et hostes cognito per exploratores prætoris aduentu castra muro circumducto communierant aduersus repentinās nostrorum incursiones: quorum numerum quotidie nauibus appellentibus augeri videbant. Id nostri timoris indicium interpretati iam palam in Mascarennam probra iacere; ac per eum vnum stare dicere, quo minus obsidio cum hostium clade solueretur: minari, si pugnae signū nolit

lit

lit dare, non defuturum in tam nobili iuuetute, quæ sequerentur: aut si reliqui pari cunctatione eam laudem negligant, se vel luteum præposituros ducem, cuius auspicijs rem gerant. Quid enim aliud Mascarennam esse quam vnum hominem, cui multi adsint virtute vel pares, vel etiam fortasse superiores? Hanc eorum amentiam auxit pugna illa de basilisco, cuius supra meminimus: hoc verò flagitium esse, si timidissimus hostis non modo ad pugnam, sed ad prædam etiam se pareret. Ita concitatis animis, ad ædes præfecti concurritur: quem vbi non compererunt, domi occultari rati, etiam ædibus minatur. Mascarenna hoc motu audito, cum Alvaro Castro & Fran. Menesio deliberat: & cum omnibus tentatis remedijs, frustra tumultum sedare conaretur, consensu multitudinis velut tempestate abreptus in posterum diem, qui primus erat Septembris prælium edicit: in arce præsidia relinquit, simul ne inter pugnam custodijs nudatam hostis inuaderet, simul vt si quid aduersi, quod vehementer timebat, accidisset: facilius nostris receptus esset. Omnibus igitur ita ad pugnam animatis, paucis milites exhortatus, ne nimio pugnandi ardore, ac festinatione victoriam corrumpent: neue ordines relinquerent: in eo solo spem esse perrumpendi aduersus tantam hostium multitudinem, si conferti pugnant.

ineant.

ineant. Hæc cum præmonuisset, Alvarus Castrus, Franciscusq; Menesius primi sub signis progressi, in murum euadunt: ac iam intra castra pugnabant, Indis contra acriter se defendentibus. Qui secuti sunt cum murum opinione sua altiorē cõperissent: re inopinata perculsi ibi hæserunt. id enim eos fefellerat, quod herba, quæ ad radicem muri lætius excreuerat, ac humiliorem videri ex arce prospicientibus fecerat, pedibus ascendentium proculcata: murum nudauit. hac eorum cunctatione hostes audaciores facti, cum multos sclopetis vulnerarent, nonnullos occiderent, pleriq; perterriti se inter herbas occultabāt. Hos Mascarenna veris probris increpans, ac domi seditiosos, in acie timidos, commilitonum proditores appellans, se sequi ac murum conscendere iubet. Igitur rursus conglobati impetu renouato murum superant: ac per trāsuerfos aggerum anfractus, frustra Indis repugnantibus, ad pontem perueniunt. Hæc dum pro castris geruntur, hostis arcem vacuum ratus superante multitudine manum ad eam capiendam circummittit. Id quidam è nostris conspicatus, cum parum præsidij aduersus tantam multitudinem relictum crederet, magna voce exclamat ab hoste arcem teneri. Ad hanc vocem trepidatione per totam aciem orta, ad arcem recurritur. Mascarenna nunc singulos reprehensans, nunc

Gg

ad vni-



ad vniuersos proclamans nihil illic esse periculi, paucos retinuit: cum quibus iterum superato muro, cum Castro Menesioque, qui primi conscenderat, se coniungere contendit. Hæc paranti, miles occurrit, qui Franciscum Menesium, se præsentem, cæsum narrat: cadauer ab hostibus asportatum. Aluarus verò Castrus saxo, cedente ad ictum galea, grauitè vulneratus est. Hoc igitur recepto, ac reliquis à fuga collectis Mascarenna reuertitur, pluribus vulneratis triginta amissis. Magnum sui desiderium in primis fecerunt Franciscus Menesius genere & factis clarus, ac omnibus, animi magnitudine alijsque virtutibus charus: Franciscus Almeida, Lupus Sousa, Rodericus Fernandus, Franciscus Gulielmus. Georgius Menesius multis acceptis vulneribus modica spe vitæ, animam trahebat. Nonius Periera homo nobilis, Mascarennæque in primis acceptus, acceptis ab eo ad gubernatorem litteris, Goam, vt commodius vulnera curaret, ire instituit. verum inter nauigandum iactationem non ferens, mortuus est. Hostes hoc successu compressam nostrorum temeritatem rati, iterum Thomæ turrin aggrediuntur: nec Basiliscum modo, quem antea tentauerant ruptis funibus ad se pertrahunt: sed Leonem ac Saluagium (id quoque genus tormenti est) in ijdem ruinis compertum, de no-

de nostris ceperunt. Turris ægrè defensa, exteriori muro prolapso, interiori iam procumbente, nisi Mascarenna interius aggerem obiecisset: qui ruentem sustineret. Interea hostes opus immensum, ac prope incredibile aggressi: latum fluminis alueum aggerem constructo angustant: & quâquam fluminis altitudine, quæ facile quinquaginta pedes explebat, & maris æstu reciproco opus impediretur: eo vsque tamen coercent: vt pontem consterni posset: vt ex oppido Rumeorum compendio curribus portare possent commeatus, qui antea longo circuitu circumibant. Eodem tempore alia manus cuniculos in arcem agebat: vt quæ reliqua erant ædificia dirueret. Id opus eo magis properatum, quod rumor erat prætorem breui ad futurum, ac vnâ cū eo supra tria millia Lusitanorum. Rumican verò cum supra viginti quinque millia militum selectissimorum in armis haberet, tantosque in vrbe commeatus, tantumque belli apparatus, vt vel obsidionem quâuis diuturnam pati posset, non tam congregi metuebat, quàm ne subsidiorum aduētu obsidio arcis in longum protraheretur. Inter hæc sub finem Septembris, mixtus luctu gaudioque nuncius ad Prætorem perfertur: arcem quidè strenuè defensam. sed multos nostrorum cæsos: in quibus filium ipsius Fernandum Castrum. Ille priuato dolore suppresso



multa de Mascarenna, & militibus eius honorificè locutus, ob rem bene gestam lætus veste preciosissima indutus, equum conscendit: ac extra oppidum magno comitatu progressus, de totius belli ratione cum suis aliquandiu differuit. equo deinde ad exercitationis militaris morem sæpius circūacto, ac libero decursu campi spacio confecto, magnam vultu lætitiā præferens, in oppidum redit. Ibi animo eius in priuato luctu tam constantem duplex casus turbauit: & funus Nonij Pereiræ, quod tum ducebatur: et nuntius de morte Fracisci Menesij. Iam mitescente hyeme, prætor gnarus quam celeri opus esset subsidio, Vascum Cunnan litora legere iubet: ac reliquas ex Aluari Castri classe naues violentia ventorum dissipatas, cogere: ac Dium ducere: Mascarennam vero monere, ne omnino ante suum aduentum eruptionem tentet. ipse alias quinque naues celerimas armat (Lusitani qui soli hoc nauigij genere vtuntur, Carauellas, vocant) in hoc commeatus, puluis sulphureus, globi, ollæ, scalarum, omnisque generis ferramentorum magna vis imposita. in his item milites missi: quorum quadringenti sclopetarij erant. Eodem ferè tempore hostium aliquot naues, quæ militem ac varij generis mercem è sinu Arabico ad exercitum vehebāt, in nostros inciderunt: è quibus aliq̃ Chaulū perductæ. in

æt̃. in omnes nullo sexus, aut ætatis discrimine, animaduersum est. aliæ Dium pertractæ, quæ Turcicum militem ex Arabia vehebant, duce Coij Sofaris propinquo, cuius antea meminimus. Is cū pro suo capite triginta millia ducatorum offerret, plus valuit ira, quam pecunia: eius reliquorumque capita in fluuium proiecta, vt æstu per aduersum amnem relabente, in castra hostium perferrentur. Id spectaculum hosti magis atrocitate rei auxit iram, quā dāno militum, animos imminuit. Igitur proñi in vltionē, in eas, quæ stabant turres, cuniculos agunt. & quāquam nostri transuersos semper obijcerēt, nō potuerūt prohibere, quo minus igne subiecto, pars aliqua murorum dirueretur. Antonij Freiri turris, quæ hostes spectabat, prostrata fossam impleuerat. Ad murum igne & aceto antea solutum duo cameli admoti, per foramina eius, vicos arcis infestos fecerant, globi etiam in cisternam nonnulli missi, è qua sola nostris aqua suppetebat. Aduersus hoc malum murus alius interius celeriter obiectus: & agger excitatus, in eo Camelus, aliaque aliquot tormenta posita, hostium impetum adeo compresserunt: vt eam muri partem postea nunquā tētauerint. & cum iā arce militum plena, ollas ignitas, vt antea sæpe fecerant, è propinquo iniicere non auderēt, trabe funibus intenta ad antiquum mi-



litia morē tormentum fabricantur: huic impositas ollas ignitas intra munimenta nostra iaculantur: multoq; plures quam antea. muri partes cuniculis prostrauerant: & nostri in transfuersis cuniculis non magnum esse momentum iam sæpe experti, superante multitudine nouum interius murum per totum arcis spacium construxerant, quo munimēto omnibus turribus deiectis, spem habebant ad finem hyemis duci bellum posse. Hæc agentibus, October mensis peractus est. Principio Nouembris subiectus ignis cuniculis non satis obturatis, ideoque inualidus, non adeo multum damni nostris attulit. Interea Prætor coacto exercitu, idoneam ad nauigandum tempestatem nactus, Balsaimum cum classe proficiscitur. ibi paucos dies commoratus, dum copias è vicinis locis expectat. Interea Emanuelem Limam hominem notæ virtutis, & prudentiæ, & singulari in rebus gerendis felicitate, cum paucis nauibus Surratem vsque, maritimam orā exploratum mittit. multæ ab eo onerariæ captæ, quæ commeatus Dium ferebant. in omne genus animantium, militum ira sæuijt. Sextodecimo die cum præda ad prætorem Lima reuertitur. Iam prætor omnibus rebus ad nauigandum comparatis, magno in primis indigenarum numero coacto ad opera facienda, Lima cum viginti longis nauibus

præce-

præcedere iusso, ipse cum reliqua classe vëto secūdo Diū tendit. Ille vt iussus erat, crebris excursionib. in terrā factis, orā maritimā latè populatur. à Bramaluci prouincia tantum vim belli abstinuit. Is principio belli, vt supra demōstratū est, à rege Cábaiæ, cui vectigalis erat, sollicitatus, vt Balsaimi præsiidiū aggrederetur, in fide tamen nostris pacta permāsit. reliqua ora maritima flāma, ferroq; vastata: in primisq; Guzaratū prouincia, quæ tota mari vicina est. quicquid nauium inuentum est, quicquid portuum aut villarum maritimarum toto eo tractu erat, veluti continenti incēdio conflagrauit. terror etiā latius serpsit: & in interioribus continentis locis, trepidatum. Lima his, vt imperatum erat, confectis, ad Mortuorum insulam (quatuordecim millia à Dio is locus abest) ad prætorem venit. Is cum octoginta nauium classe septimo die Nouembris eò appulerat. classem in ancoris habet in statione, vnde à Dio prospici posset. Eò Mascarennam accersit, ac habito cum eo de summa belli consilio remittit. Scalæ frequentes in arce factæ, quibus è rupe demissis milites sine trepidatione in arcem occultè acciperentur. per has triduo expositi omnes, per auersam ab hostibus partem arcis, sine tumultū ingrediūtur. quicquid erat tormentorū per muros cōmodè dispositū, in hostium muni-

menta

Gg 4

menta conuertitur: quibus pars muri quæ regione arciserat ædificata, per hos dies labefactatur. Hostes interea nostrorum consiliorum ignari, omnibus locis idoneis præsidia disponunt. ad Thomæam turrin, qua nostros erupturos putant, intentissimas habent vigilias: ollas, picem, puluerem sulfureum, magnâ sagittarû vim, ac saxa ingertia in muros comportât. Partem murorum, quæ ad fluuium pertinebat, nouis munimentis augment: tormenta maiora eò conuehunt, vt descensum nostrorum impedirent: totum id latus quod arcem respicit, quindecim millia militû tueri iussa. septem millia Turcarum, Arabumque, & aliarum nationum, quæ bellicosiores putantur, in fronte posita ad primum impetum excipiendum, pontem fluminis per quem ad Rumæorum oppidum itur, septingentorum præsidio obtinent. Alijs circa locis ad quæ naues appellari poterant, fossæ præaltæ factæ, ramisque arborum ac terra leuiter contactæ. Omnibus, vt videbatur, satis prouisis, tanta in suorum viribus erat Rumicani fiducia, vt paucitati nostrorum illuderet, & conatus, velut vanos, irrideret, neq; quicquam minus expectaret, quam vt conferere manum secum auderent: nostris contra cum nono die Nouëbris prætor in arcem venisset, tantum gaudium fuit, vt nemo esset, qui de victoria velut ambigua dubita-

dubitaret. Prætor hoc ferè pacto suos instruxerat. in nauibus nautas tantum, & calones, quos Goa & Bassaimo aduexerat, reliquerat. Hi iussi erant omnes nauiculas, quæ remigio impellerentur, complere. Indi hastas erectas tenere, remiges altera manu remum agere, altera funiculos ignitos habere: amplum illis vexillum, quod prætoris esse videretur, datum. ita instructi, vbi signû quod conuenerat, accepissent, iussi tympanorum, ac tubarum quantum possent maximo edito sono, ad Iacobi Lopis turrin tendere. Ea in angulo vrbs sita fuerat super rupem in mare obuersam: quam hostes initio obditionis, quia nullum vsum eius putabant, diruerant: vt materia ad aggeres struendos vterentur: aduētū vero prætoris triduo instaurarunt, vt propinquo portu nostros, si eò appulissent, descensu prohiberent. Arcis tuendæ cura Antonio Corree commissa. datum ad id militum quantum satis esse videbatur. Reliquus exercitus (ad tria fere Lusitanorum millia erant) iussi in posterum diem se ad prælium parare, ac tertia vigilia armati adesse. Cum, vt imperatum erat, conuenissent: loco magis quam cætera edito, in area arcis, vnde prospectus in omnes partes erat, Ant. Custodius Franciscanus, homo integræ vitæ, ac summæ sanctitatis opinione, sacrum orditur. eo cum magno silen-

tio peracto, cæteris tacitè subsequētibus ora-
 tionis verba præit. Christū omnipotentem
 precatus Deū, vt suū nomē à contumelia vin-
 dicet: suam potentiam hosti superbissimo o-
 stendat: & hanc manum, quamlibet paruam,
 ipsiustamē auxiliij fiducia innumerabiles ho-
 stiū copias non reformidantē, spei, votiq; sui
 compotem faciat: ac in hostium castra, qui
 ad religionē eius euertendam coniurati vene-
 rant, tumultum, terrorem, & fugam conuer-
 tat. Hæc vbi dixisset, quāquā omnium animi
 spe, & fiducia erecti viderentur, Prætor ta-
 men paucis admonendos sibi ratus, silen-
 tio facto, ita exorsus est. Si magnitudo ista
 animi, & alacritas quam in vobis intueor, aut
 ex vestrarum virium nimia fiducia, aut ho-
 stium ignorantia oriretur, comprimendam
 potius putarem, nec in præcipitia ruentes o-
 ratione etiam impellerem. sed cum & vos
 memineritis Lusitanos esse, quorū maiores
 ingentes sæpe, non Afrorum modo, sed &
 Romanorum copias parua manu fuderint:
 & hos eosdem esse hostes, de quibus hoc ipso
 in loco tam præclara victoria superioribus
 annis parta est: nemini dubium est, quin v-
 traq; pars suos animos, suos mores in discrimen
 adferant: alteri scilicet vincēt: alteri fu-
 gient. neque enim æqua illis, & vobis propo-
 sita sunt vel pericula, vel præmia. nobis enim
 victis à tergo Oceanus tempestatibus inuius,
 Lusita-

Lusitania quam petamus toto terrarum or-
 be interiecto dissita: arx in quam fugiamus
 diruta: neque si incolumis sit, aliæ supersunt
 copiarū vnde subsidia expectemus. Illis con-
 tra pugnantibus omnia infesta: fugienti-
 bus à tergo latebræ, & spes plerisque rede-
 undi ad suos: ad quos vt reuertantur, ho-
 mines barbari, ne ignominie quidem notam
 reformidant. Illis ne si vicerint quidē, spes
 vlla emolumēti est ex vnus arcis nō adeo o-
 pulente præda: nec è liberalitate regis quicquā
 est quod expectent, ærario diuturna obsidio
 ne exhausto, & fide barbarorū cum fortuna
 mutabili. nobis vincentibus Indiæ regnū vi-
 ctoriae præmium proponitur. nā & parta ser-
 uabimus, & eorum animos, qui euentum hu-
 ius belli expectant, confirmabimus: & hostes
 ita profligabimus, vt in multos annos vi-
 res resumere nequeant. Quicquid enim a-
 pud eos virium est, in Turcarum auxilijs po-
 situm est: cum his solis, quinon multo plures
 sunt quam vos estis, de gloria certandum
 est: his profligatis, non multo facilius illi è
 Thracia, & Macedonia auxilia accersent,
 quam nos è Lusitania. nam Asiæ gentes
 quæ in medio sunt positæ, aut non mul-
 to Indis bellicosiores sunt, aut non mi-
 nus quam nos Turcis infestæ. Vulgus ve-
 ro Indorum seruituti assuetum, in præ-
 mium victori cedit. Horum itaque me-
 mores

mores cum prælium inieritis, ita pugnate, tanquam sub oculis Regis Lusitaniæ res geratur: qui & vestræ virtutis idem iudex optimus, & remunerator est futurus: & suum honorem, maiorum gloriam bello partam, & orientis imperium, quod in huius prælij euentu positum est, vobis absens commendat. Ita pugnate, tanquam non meo, sed dei præsentis, atque omnia intuentis ductu, aduersus eius hostes, omnis iuris diuini & humani expertes dimicaturi: neque existimate eum qui mortuus est, vt nos viueremus, permissurum, vt homines impij, qui eius morti illudunt, & potentiam contemnunt, impunè in nos insultent. nescio quid alijs vsu venerit: equidem ita animo affectus sum, vt cum hoc signum intueor (Christi cruci affixi imaginem manu ostendebat) mearum virium oblitus, vel si solus irem, de victoria minimè dubitem. Extremam eius orationem cum summa alacritate militum clamor subsequutus est poscentium, vt quam primùm in hostem duceret. Prætor acie intra arcem instructa, signum quod conuenerat, dat his, quos in nauibus reliquerat. Illi maiore quam pro multitudine strepitu, vt iussi erant, in portum vrbs, qui est ad turrinam Lopis, ac vicina litora naues dirigunt. Hostes incerta luce, cum in prætoriam naue lumen, quod pro signo solebat esse, cernerent, prætorè ipsum adesse rati: & hastæ frequenter

in

in nauiculis erectæ, & ignis in funiculis passim interlucēs, speciem totius exercitus præbuit. Itaque cum magno tumultu ad mare concursus est. Prætor vbi in castris hostilibus trepidationem sensit, apertis per silentium portis, incerta adhuc luce exercitum educit. In prima acie præerat Mascarenna cum suo milite, cuius fidem, & virtutem per tot menses expertus erat: adiecta ex reliquo exercitu Cohors quadringentorum militum. prætor cum alijs copijs paruo interiecto spacio consequitur. Primierant sclopetarij, & ea manus quæ scalas ferebat: quibus ad muros hostium admotis, Mascarennæ miles notitia loci fretus, statim in castra irrumpit: accessis, aut fugatis his qui pro muris erant, ingentem tumultum edit. consecuti statim hastati, iam aciem intra castra direxerant. Hostium qui occurrerant non adeo multi, cum magna strage in fugam versi. nam quod virium erat in exercitu, ad mare versum erat. hi cum ex suorum fuga castra iam capta audirent, ad subsidium suis ferendum versi. alijs fugientibus, alijs, quò clamor vocabat, properantibus, totis castris tumultuatur. Indi quos res inopinata à principio perculerat, in pontis angustijs rursus conglobati resistunt: actorum mentis nostros aditu submouere conantur. Ibi, siue terror, & nocturnæ tenebræ

hosti

hosti impedimento fuerunt, siue ut potius credi par est, præsens numinis fauor nostris adfuit, vnus tantū globus missus est: eoque vnus è Lusitanis interfectus. reliqua tormēta quater hostibus frustra tentantibus ignē cōcipere non potuerunt. nihilo tamen segnius pro ponte pugnatur: nostris successu, Indis loco superiore fretis. Ibi cum aliquandiu certamen hæssisset, prætor suos nunc increpare, nunc hortari, vt antequam tota hostium vis eò se conferret, præsidia occuparent: pōte semel capto, nihil fiducia hosti superesse, nisi in acie, vbi haud dubiè Lusitanus superior esset. His vocib. miles admonitus, renouato impetu, è turribus hostem deiecit: nō incruenta tamen pugna. Quadraginta enim ex Lusitanis ceciderunt. Insignis in paucis vulnerum fœditas declarat, quantis viribus pertinaciaque certatū sit. Cosmo Paiuæ gladij vno ictu femur abscissum. Vasco Fernando cum hostem pertinacius persequeretur, à tergo lorica decisa: & patefacta per vulnus vitalia. alteri quid supra oculos auresque erat è capite, à reliquo corpore ita diuisum fuit, vt non temerario ictu factum, sed arte ad ostentationem quæsitum videretur. Ponte occupato, iam omnia penes hostem in fugam spectare. vbi enim quod roboris in exercitu fuit, fūsum est, Lusitani à tergo ita vrgebant, vt nusquam redire in ordines, &

con-

conferre aciem sinerent. Mascarenæ miles præcipue iræ, atque odio indulgit: commilitonum tot prælijs cæsum, & longæ obsidionis mala vlcisci cupidus. Itaque quacunque irruerat, procellæ instar ingentem stragem dabat. Eius cohortis impetum Bragmines sagittarij, & hastati remorari conati, aciem ex aduerso dirigunt: ac nonnullos eminus vulnerant: sed vbi ad manus ventū est, impetum non sustinuerunt. Per idem tempus in diuersa castrorum parte prætor summa vi turrim oppugnabat: alijsq; segnius subeūtib. ipse primus in muros euasit, sequenti Laurentio Pyro Tauora, viro fortissimo, qui nunquam à prætore discesserat. Eduardus Barbudus signifer ter vi detrusus, atque è muro deiectus, tandem pertinaciter instando irrupit: & iam pluribus ingressis summa vi, & intra, & extra certabatur. Ant. Custodius linea veste, ac reliquo sacrificij apparatu indutus, imaginem Christi manu tenens, vbi plurimum erat laboris, & periculi, eò se inferebat: & nostros quantum poterat, hortabatur. Lusitanis præcipue missilia tela, sagittæ & sclopetæ infesta erant: quibus prope obruti paulum abfuit, quin è turri recesserint. Sed vbi per cohortes conclamatum est, prætorem cum fortissima iuuentute ingressum esse: eum si paululum certamen remisissent, prodi: id verò

flagi-

UNIVERSIDAD
D SALAMANCA

flagitiosum rati, sese mutuo cohortati, tanta vi irruunt, vt nulla ratione impetus eorum sustineri potuerit, Antonio Custodio vexillum Crucis præferente. Ibi cum in turba lapidis ictu brachium imagini perfractum esset, tum palam proclamare, vt deo duce, de dei hostibus præsentis sacrilegij pœnas expecterent: ac palam truncam imaginem ostentare, vindictam spretæ religionis militibus commendare. tanto furore miles ad hanc vocem incurrit, vt momento temporis omnes propugnatores è muris deiecerit: deiectos insecutus, tota castra strage profligauerit. ne hac calamitate accepta vlla vsquam hostium manus se pugnae obtulit: sed ab altera parte cædes, ab altera fuga fiebat. Rebus in hac castrorum parte succedentibus, iam prætor suis ad signa reuocatis ad reliquas copias delendas perguit. erant ad sex hominum millia, quæ ad Lopisturrim opposita erant, aduersus nauales copias: hi cum nostros victoria feroces, sanguinis, ac pulueris plenos, magno gradu aduentare vident, statim in fugam vertuntur: in qua cum sua ipsi multitudine impedirentur, ac tumultus nauticus speciem alterius exercitus aduenientis præberet, incerti quid peterent, aut fugerent, alij se in flumen præcipitabant, alij cæci in ipsa pericula ruebant: pauci è tanta multitudine euasere, qui pro-

primo tumultu elapsi erant diuersa castrorum regione. cæteri passim fœda strage vias compleuerant. A castris in urbem statim itur. ibi præconis voce proclamatum, ne cuiquam parceretur, pœna grauissima adiecta, si quis contra fecisset. sed militi sponte sua satis accenso nihil ea denunciatione opus erat. nam ab initio huius belli non de imperio, aut gloria, sed de interitu alterius partis certatum erat. Itaque victi nihil sibi reliquum ad misericordiam impetrandam fecerant. passim igitur sæuitum sine vllius sexus, aut ætatis discrimine. in domibus latitantes protracti, ac iugulati in publicum proijciuntur. Præda oppidi, & castrorum in solatium tot laborum militi permissa. erat autem ea ingens, qualem in opulentissimæ gentis exercitu credere par est, qui sine vlllo metu hostili, omnibus rebus suis collatis, sedes sibi perpetuas, ibi destinabant. His rebus confectis prætor equo conscenso, exercitum per oppidum, & castra in multas manus sparsum, colligit. Milites, vt quisque in notum inciderat, gaudio pleni, sese amplecti, & ad imperatorē suum concursu facto, eius virtutem, & animi magnitudinem admirari: & qua quisque poterat contingere, amplecti, alloqui, eius virtutem, & prudentiam ad cælum laudibus ferre. Hanc tantam lætitiā auxit à Mascarena nuntius, qui ab ea parte hostem fustum &

fugatum diceret. itaque omnibus locis re bene gesta, manipuli aliquot circa fossas, & ruinas murorum dimissi, qui latitantes protraherent, ac perspicerent, si quicquam vlla ex parte hostilium copiarum restitisset.

Hic fuit finis nobilis illius ad Dium prælij, in quo eo die cæsa octo millia hostium. ex Lusitanis quinquaginta quinque milites partim in conflictu, partim ex dolore vulnerum, paucis post prælium diebus, expirarunt. Duces hostium cæsi: Rumican Sofaris filius, inter cæforum cadauera vilissima veste contactus, ac vix tandem à nostris agnitus: item Acedecan, qui pridie quam pugnatum est cum quinque millibus in castra venerat: & Fidalcan, qui Turcis, externisque auxilijs præerat, præclari in primis nominis apud suos imperator: ex regno præterea Cambaia nobilissimus fere quisque, & primæ apud regem autoritatis. confluxerant enim in castra, ut regi gratificarentur, pleraque omnis nobilitas, tanta sui fiducia, ut non ad bellum, sed ad conuentum aliquem celebrem proficisci viderentur. Pauci capti vel nobilitatis vel virtutis admiratione seruati. in his fuit Iuzarcan Abissin eius Iuzarcanis frater, qui in illa asperrima oppugnatione, quæ fuit vigesimo quinto Iulij, ceciderat. Tormento-

rum omnis generis ingēs vis in castris reperia, in quibus triginta fuere inusitatae magnitudinis. Qui è tanta clade euaserunt, in sua quisque oppida dilapsi. Moiatecan verecundia impeditus, ad regem accedere non ausus, cum paucis, ijsque magna ex parte vulneratis domum redijt, nonnulli in oppidum quod septē millia à Dio abest, conuenerunt: ibi regis imperium expectaturi. E captiuis nonnulli aiebant in extremo prælio humana specie augustiorē super arcis sacrarium mulierem sibi visam, quæ ita oculos perstringeret, ut prope cæci in prælium ruerent: tantamque nostrorum apparuisse multitudinem, ut prope deni in singulos Indos pugnare videretur. itaque metu consternatos nunquam coire, aut aciem struere potuisse. Prætor hac parta victoria, duos pontes diruit: quibus in insula continenti iungebatur: ac magno numero operarum adhibito ad rudera purganda, totam denuò arcem multo quam antea firmiorem ædificare aggressus, primus ipse operi manum admouit: cuius exemplum reliquis secutus exercitus. Saucijs curandis curam diligenter adhibet. qui vulneribus ita debilitati erant, ut militare in posterum non possent, Bassaium missi: agri ibi assignati. reliquis militibus pro cuiusque virtute præmia data: complures in equestrem ordinem relati qui inter honores militares amplissimus habetur. Hęc

443 COMMENT. DE REB.
sunt, quæ ad hunc diem de secunda obsidio-
ne Dijcomperta habemus: quæ Olisiponem
ad IOANNEM tertium inuictissimum Lu-
sitaniæ Regem, anno salutis nostræ. 1547.
mense Augusto perlata, quanta
potuimus fide retu-
limus.



F I N I S.



UNIVERSIDAD
D SALAMANCA

13
21 110
18

18 L
21

~~21~~

18
34
72
~~34~~
~~34~~

0
2 03
6 +2 129
2 11
2

21
29
189
423
612

R

